159 **HEISTER (Lorenz).** Compendium medinae practicae, cui praemissa est de medicinae mechanicae - Venetiis, Occhi, **1748** - In 8° cart. d'epoca, pp. LXIV-455. 1985 **L. 150.000**
(Blake, 303. Famosissimo compendio di medicina pratica del celebre maestro, innovatore delle medicina tedesca, in esso ogni affezione è esaminata e descritta con grande maestria e prosa essenziale, dal mal di capo al mal di denti, dalle malattie nervose al mal d'orecchio....).


EX LIBRIS
B. B.

LAURENTII HEISTERI

COMPENDIUM MEDICINÆ PRACTICÆ

Cui præmissa est

DE

MEDICINÆ MECHANICÆ PRÆSTANTIA

DISSERTATIO.




VENETIIS

APUD SIMONEM OCCHI

Superiorum permissu, ac privilegio.

MDCCXLVIII.



DISSERTATIO
DE
MEDICINÆ MECHANICÆ
PRÆSTANTIA.

I. 

Edicinam varia habuisse fata, variasque pro vario tempore passam esse mutationes, atque ob varias eam excolentium opiniones & ingenium in diversas abiisse sententias ac sectas, illis satis notum esse existimo, qui vel leviter in historia medica versati sunt. Prima enim secta fuit *empirica*, quæ *sola experientia nitebatur*, quam vero HIPPOCRATES adjecta ratione fecit *rationalem* sive *dogmaticam*; hanc, Julii Cæsaris tempore, auctore THEMISONE secuta est *Methodica*, quam vero seculo secundo post Christum natum rursus evertere studuit GALENUS, quo auctore secta *Galenica* orta est. Seculo decimo sexto PARACELSUS condidit *chemicam*; decimo septimo orta est *Cartesiana*, *Sylviana* sive *TacKeniana*, *Eclectica*, ac denique *Mechanica* (sub qua tamen & *Hippocraticam* sive *Rationalem* intelligo) atque *Stahliana*. Quoniam vero nomina priorum sectarum fere abolita sunt, atque hodie in Europa, quam maxime vero in Germania nostra, omnes, præter *Mechanicam* & *Stahlianam* quasi desierunt, atque hæ duæ potissimum a Medicis nostris nunc excoluntur, atque hoc meum Compendium practicum secundum Mechanicorum principia con-

Medicina varias habuit sectas.

scriptum est, placet hic præfationis loco *Medicinæ mechanicæ præ Stahliana* præstantiam hac in dissertatione *ostendere*; ut sic quid forte commodi ex hoc libello in facienda Medicina lectores & præsertim Medicinæ practicæ tirones capere queant, perspicere possint.

Quid Mechanica.

2. Medicina vero mechanica ea mihi dicitur, qua *Medicus ex fabrica corporis humani*, utpote, quæ tota Mechanica est, *per anatomen accurate cognita & actione reciproca partium solidarum in fluida*, & fluidarum in solida, observationibus atque experimentis physicis, mechanicis ac chemicis, *secundum leges mechanicas ratiocinatur* & agit. Nam *corpus humanum machinam esse* artificiosissimam, ex quamplurimis machinulis minoribus compositam, tam anatome docet, quam a Cel. BOERHAVIO in Instit. Medic. aliisque quamplurimis scriptoribus Medicis Mechanicis & nominatim, *Borello*, *Bellino*, *Stenone*, *Lovvero*, *Pitcarnio*, Frid. *Hoffmanno*, *Bergero*, *Guilielmino*, *Lancisio*, *Keilio*, *Meadio*, *Michelotto*, *Mazino*, *Schreibero*, &c. evictum est, qui excusso jugo auctoritatis, *nihil pro certo aut vero admittunt*, quisquis etiam illud dixerit, *nisi quod sensibus*, vel *certis observationibus atque experimentis* probatum esse cognoscunt, atque ex fabrica corporis per certa ratiocinia, tam in statu ejus sano quam ægroto, deduci potest.

Quid secta Stahliana.

3. Sed circa finem superioris seculi in nova, quæ in Saxonia tunc condebatur, Halensi Academia, juxta modo laudatum Frid. HOFFMANNUM, mechanicis principiis addictum, cathedram Medicam exornavit Georg. Ernest STAHLIUS, vir quoque acutissimus & laboriosissimus, & cui ars Medica revera multum debet; cui vero neque mechanica principia, neque alia tunc in Medicina usitata arridebant, sed novas easque sequentes, quantum ego saltem ex scriptis ejus asseclarumque ipsius

co-

cognoscere potui, *ab anima potissimum petitas*, sibi *formavit hypotheses*, quibus ipse & asseclæ ejus & *theoriam & therapiam medicam superstruxerunt*.

Qua principia sibi formaverit.

4. Nimirum *ad animam*, ut dixi, *quam naturam esse volunt*, *sive ad naturam*, *quam animam hominis esse contendunt* atque *pro synonymis* habent, in Medicina tam addiscenda quam facienda, quam maxime *esse respiciendum*; *animam* enim *rationalem* esse dicunt, *quæ fœtus corpus in utero* matris *fabricaret*; animam deinde eandem esse, quæ in corpore formato & nato *ad omnes ejus actiones* attenderet, *curamque semper*, *ut hoc corpus*, *tanquam habitaculum suum*, *sartum tectumque conservet*, *gereret*, *actionesque omnes* corporis animales, vitales & naturales *regeret*, atque etiam eum in finem, si aliquod vitium in corpore adesse cognosceret, quod corpori noxam inferre posset, ipsam omnes nervos intendere, ut *noxium hoc vel corrigeret*, vel *e corpore expelleret*: atque hanc ob caussam animam, matura hanc ob rem deliberatione facta, *in quibusdam excitare vomitum*, in aliis *fluxum ventris*, in aliis sudorem aut urinam copiosiorem movere; rursus in aliis *fluxus sanguinis* vel per nares, vel per pulmones, vel per ventriculum, renes, vesicam, vel intestinum rectum, quem fluxum *hæmorrhoides* vulgo appellant, *concitare*, atque sic supervacaneum vel noxium e corpore pro eo sano præstando eliminare. In aliis per *spasmos sive contractiones partium* & dolores animam noxium ex certis partibus, vel ad alium locum, eumque minus *noxium* compellere; illudque vel in pus convertere, sicut in inflammationibus & abscessibus fieri solet, vel hærentes humores spissiores ex parte læsa his spasmis & doloribus *propellere*, aut per sanguineas excretiones, hæmorrhoidum præsertim, sicut in morbis hypochondriacis, spleneticis, hepaticis, melancholicis, arthriticis & podagricis fieret, aut etiam

per serosas, ut in coryxa, tussi & asthmate humido, *expellere*.

Quanam alia adhuc obtineat placita.

5. Ubi simul monendum, Stahlianos pro multorum morborum fœcunda matre *non tam pravas sanguinis qualitates*, acidum nempe aut alcali chemicorum, sed *potius abundantiam sanguinis*, quam plethoram vulgo Medici appellant, haud inepte habere; adeoque dicunt, animam quamplurimis in morbis studere, immo quam diligentissime laborare, *ut corpus suum per excitatas sanguinis profusiones spontaneas a nimia sanguinis copia*, a qua quamplurimæ noxæ ipsi imminerent, liberet, atque ubi hunc scopum obtinere sponte non posset, *medicum* vel per idonea ad hanc rem remedia, vel *per artificiales sanguinis detractiones naturæ succurrere debere*. Immo si anima scopum suum in excretionibus ejusmodi obtinere non possit, ipsam haud raro *extrema quæque tentare*, & non solum vehementissimos dolores, ac speciatim arthriticos, rheumaticos, podagricos vel hypochondriacos, atque *convulsiones*, sed *ipsam quoque epilepsiam* haud raro inducere, ea intentione, ut corpus ab imminente gravi noxa liberet. Speciatim vero *multos morbos capitis*, ut cephalalgiam, ophthalmiam, otalgiam, odontalgiam, tonsillarum & faucium inflammationes sæpe oriri, *quando anima abundantem sanguinem per nares expellere studeret*; spirandi vero difficultatem, *pleuritidem & peripneumoniam*, si per pulmones, & dolores hypochondriorum, colicos, cardialgiam, lumborum, intestini recti & hæmorrhoidalium venarum dolorem, quando vel per ventriculum, renes, aut intestinum rectum se a nimia copia sanguinis liberare tentaret. *Verbo: omnes actiones in corpore contingentes*, tam animales, quam naturales & vitales, in *statu secundum & præter naturam ab anima dependere* volunt, animamque sic actionum omnium *aucto-*

rem

rem esse statuunt; ita, ut quoties dolores, inflammationes, convulsiones, profusiones sanguinis, febres, epilepsiæ, paralyses aliique morbi in corpore humano oriantur, hos *omnes a sapienti*, ut loqui amant, *naturæ instituto*, cum deliberatione prudenti, in utilitatem corporis *fieri contendunt*. Atque ad has actiones perficiendas *ipsam potissimum motu cordis & arteriarum aucto*, *motuque tonico* fibrarum membranarumque uti, quibus omnia ea, quæ modo diximus, efficeret, corpusque suum a morbis vel imminentibus vel præsentibus liberare studeret. Medicum igitur in singulis morbis attendere debere volunt cum HIPPOCRATE, *quo natura sive anima vergat*, *ejusque ductum sequi præcipiunt*; naturam enim optimam esse morborum medicatricem, & Medicum tantum ejus ministrum: *quique hos motus rite observaret*, *atque naturam* in sua intentione optime *sequeretur* aut juvaret, *illum optimum* esse *Medicum*. Atque hæ præcipuæ, ni fallor, sunt hypotheses STAHLII ejusque asseclarum, quos propterea vulgo *Stahlianos* hodie appellant, quibus & theoria & curandi ratio ipsorum innititur. Ubi tamen nec hoc prætermittere possum, quod *multi eorum*, quemadmodum de mechanicis demonstrationibus mechanicisque partium corporis humani actionibus considerandis, ita etiam *de anatome* sive vera structura corporis nostri, & præsertim ea, *quæ subtiliores partes & functiones corporis exponit*, forte ob tædium laboris, quas hæ duæ Medicinæ partes, solidissima genuinæ Medicinæ & Chirurgiæ fulcra, requirunt, parum sint solliciti, atque eas *vel inutiles* in Medicina *curiositates* appellarunt, vel sicut nonnulli, quos hic nominare nolo, tam perfrictæ fuerunt frontis, ut *anatomen Medico prorsus inutilem & supervacaneam proclamaverint*, immo nonnisi *pompam theatralem* vocaverint, existimantes, *se sola observatione intentionum animæ* bonos Medicos esse posse.

Anatomen contemnunt.

Scopus dissertationis indicatur.

6. *Itaque Medicinæ Mechanicæ præstantiam præ Stahliana*, cum *in speculatione* sive theoria, quam vocant, *tum in praxi*, sive medendi ratione hic demonstrare sive evincere conabor.

An anima omnium actionum auctor.

7. *Quod igitur ad theoriam attinet*; dissertationis limites non permittunt, ut ad omnes & singulas ejus partes me extendam, sed sufficiat mihi, *primaria quædam ejus capita* tantum *excutere*; & quidem primo, dum perhibent, *animam omnium actionum naturalium & p. n.* in corpore humano *esse auctorem*, hoc revera probare hactenus nondum potuere: adeoque in veteres labyrinthos & *occultas qualitates*, *quos* CARTESIUS & Mechanici tam diligenter e Medicina hucusque expurgare studuerunt ac commendarunt, *rursus incidunt*, juvenesque Medicos inducunt. Sed antequam hic ulterius pergam, moneo, *hanc dissertationem revera non altercandi caussa conscriptam esse*; sed ut in veritatem, sine præjudicatis opinionibus, rebus in utramque partem probe perpensis, serio inquiram, lectoribusque a præjudiciis liberis postea *dijudicandum relinquam, an non Medicina mechanicis principiis utens præstet Stahliana.*

An corpus suum struxerit negatur.

8. *Quando igitur unusquisque* animo a præjudiciis libero, animam suam explorat, atque *ex ea quærit, an corpus suum struxerit?* anima solertissimis etiam hanc ob rem institutis meditationibus, *hujus actionis nulla ratione recordari*, adeoque etiam profecto ab ea hoc factum demonstrari non potest. Nam quia anima est substantia cogitans, *scire deberet*, *quid fecerit*, & adhuc faciat. Sed *objicere possunt*, hominem, quando eum ad statum sive ætatem pervenit, quo anima ad judicandum rite idonea est, viginti & plures forte annos præteriisse, animamque tam longa annorum serie earum rerum oblitam esse, quas in prima generatione corporis sui peregerit; interea tamen verum esse, quod anima corpus suum con-

construxerit, quia hoc aliter concipi non posset: *Verum respondeo*, dum anima harum actionum, quæ ad corpus humanum ex tot minoribus partibus, machinis & visceribus constans, exstruendum requiruntur, sibi non amplius conscia est, *omnes prudentes etiam incertos manere, an hæc sententia* & primum Stahlianæ *doctrinæ postulatum verum sit*. Prudens vero Medicus & Philosophus *nihil in rebus naturalibus pro vero aut certo assumere debet*, ut jam dictum est, *nisi quod vel experimentis* vel *sensibus verum* ac certum esse, sicuti apud mechanicos usitatum est, *cognoverint*; alias enim *incertis fundamentis semper fluctuat*, atque incerta ratiocinia, & conclusiones superstruit; quæ, cum fundamenta adhuc dubia aut falsa sunt, & nonnisi hypotheses, etiam *vera esse vix possunt* (*a*); adeoque, quicquid postea ex hoc fundamento ratiocinantur, non nisi *incertum & dubium manet*, quod animo veri cupido, qui clare, distincte & certe res scire amat atque satagit, nulla ratione satisfacit; alios autem, qui de vero non sunt adeo solliciti, aut ad verum indagandum inepti, quemadmodum quamplurimos esse homines ingeniosissimus CARTESIUS quam verissime jam docuit, (*b*) incertos relinquit, qui dicta STAHLII ejusque asseclarum de animæ potentia in corpore suo formanda, aliaque similia arripiunt; dum ea tanquam vera assumunt, licet veritatem eorum demonstrare nequeant, adeoque & ipsi de veritate earum convicti non sint, eaque *ut articulos fidei credunt*; id quod autem cordato ac prudenti Medico atque Philosopho indignum esse, & præstantiores Medici & Philosophi a tempore CARTESII uno quasi ore con-

(*a*) Vid. Oratio mea de *Hypothesium medicarum fallacia ac pernicie*. Altorfi A. 1710. jam a me evulgata. (*b*) In Præfat. ad Meditat. de prima Philosophia.

confessi sunt & adhuc confitentur. Conf. scripta acutissimi Philosophi VVOLFII, aliorumque præstantissimorum recentiorum & Philosophorum & Medicorum.

Stablii hypotheses uberius perpenduntur.

9. Sed fingamus, licet non concedamus, *animam tanti negotii actionem oblitam esse*, tamen ex multis aliis actionibus, quæ quotidie adhuc in corpore nostro contingunt, quam *manifestissime demonstrari potest, eas ab anima non perfici, immo ne quidem dirigi*, dum earum nullo modo sibi conscia est. *Actiones*, quæ in corpore humano contingunt, ab antiquis *jam in animales, naturales*, ac *vitales* distributæ sunt, atque animales *dictæ sunt eæ*, quæ secundum animæ voluntatem in corpore nostro fiunt; quales sunt *motus voluntarii*, quum plerasque corporis nostri partes pro lubitu & ad nutum animæ movere possimus: ex quibus manifeste apparet, *animam hos motus perficere, dirigere*, eosque ad voluntatem hujus inchoari, continuari, augeri, accelerari, retardari, aut etiam omnino rursus sisti posse. *Altera pars actionum animalium corporis humani sunt sensus nostri*: quos etiam ab anima nostra dirigi tam clarum, certum atque perspicuum est, ut actum agerem, si hoc uberius hic probare vellem, præsertim, cum vix aliquis hac de re vel unquam dubitavit, adeoque *Mechanici cum Stablianis egregie hic conveniunt*, iisque concedunt, *actiones, animales* dictas, *ab anima perfici* & dirigi; licet qua ratione anima in corpus, & corpus rursus in animam agat, definiri certe hactenus a nemine potuerit.

Quas actiones animæ non perficiat.

10. *De actionibus* vero *vitalibus* & *naturalibus* alia res est. Dicuntur autem actiones vitales & naturales nostri corporis eæ, *quæ ad vitam & naturam*, h. e. *fabricam corporis nostri conservandam inserviunt*: ut exempli gratia *actio cordis* & inde pendens circuitus sanguinis per vasa corporis, *digestio sive concoctio alimentorum* in ventriculo & inte-

testinis, *nutritio, vegetatio, secretiones omnium liquorum* in corpore nostro, ut urinæ, salivæ, bilis, geniturae aliorumque, quos brevitatis studio hic prætermitto. Hæ actiones a Medicis antiquis haud sine ratione, & ni fallor, propterea ab animalibus distinctæ sunt, quia probe perspexerunt, *probari non posse, eas ab anima provenire* aut dirigi, *sed sponte*, anima de iis ne quidem cogitante, fieri. Verum, hoc non obstante, *Stahliani tamen contendunt, eas etiam ab anima & oriri, immo & summa cum prudentia dirigi*. Sed si hoc ita probare debent sicut sapientes id hodie desiderant, nimirum ut certe demonstretur, non possunt, vel saltem huc usque non potuerunt. Nam si quilibet prudens cum anima sua serium ac severum init consilium, an has actiones, *vitales* scilicet & *naturales* perficiat ac dirigat, profecto *earum neque conscia est neque reminisci potest*, se eas *unquam perfecisse*; licet hæ actiones in corpore nostro continuo fiant; adeoque an eas perficiat ac dirigat, necessario etiam scire deberet: sed ne sapientissimi hactenus homines hoc cognoscere potuerunt. At *contrarium potius patet ex eo, quod anima per voluntatem suam actionem cordis, ventriculi*, hepatis, renum aliarumque actionum naturalium ne quidem vel minimum vel per momentum accelerare aut retardare possit; verum omnes has partes actiones suas, *ut automata*, nimirum horologium quoddam, molà, vel aliæ machinæ artificiales perficiunt, quæ per solam hominis cujusdam voluntatem absque adhibita vi externa actiones suas non mutant, neque accelerant, neque retardant; *sed prout fabrica sive mechanica constructio eorum motus* regulari modo *perficit* & dirigit, *continuo agunt*, donec ab alia causa aut vi id impediatur. Ergo hæ actiones, quia ab animæ voluntate mutari non possunt, *ab anima quoque non dependent*, adeoque ab ea etiam nec fiunt, nec diriguntur.

Stahliani qualitates occultas inducunt.

11. Dum autem Stahliani volunt & docent; has actiones ab anima institui ac dirigi, illud vero probare non possunt, & anima ipsa hoc cognoscere nequit, quamvis summo studio in id inquirat, quid illud hoc est, *quam animæ qualitates occultas*, præstantioribus Philosophis adeo exosas, & *præjudicatas opiniones pleno agmine in Medicinam rursus inducere*, atque discentibus sine sufficienti ratione credendas obtrudere? Sed de his hodie quam maxime valet, quod CICERO quondam de opinionibus præjudicatis dixit: (a) *Tantum opinio præjudicata poterat, ut etiam sine ratione valeat.* Nam multi, quia tam sæpe a Doctoribus suis audiverunt vel adhuc audiunt, *animam actiones omnes corporis perficere*, hoc tandem credunt, eoque ipso in præjudicium de veritate hujus rei incidunt; quamvis hoc nunquam sufficientibus rationibus probatum sit: sine quibus tamen nihil in rebus naturalibus & medicis vel credendum vel admittendum.

Mechanici quomodo in fũdamentis hic Stahlianis præstent.

12. Contra *Mechanici Medici nihil pro certo aut vero assumunt, nisi quod sensibus vel experimentis* certis, aut ejusmodi ratiociniis ac demonstrationibus, quæ certo convincunt, adeoque demonstrationum vim obtinent, probatum est. *Assumunt autem omnia* ex omnibus disciplinis & sectis, *quæ vera esse demonstrata sunt*; assumunt, quod *fabrica corporis humani*, tanquam machina artificiosissima hydraulica, sive automatum ex solidis & fluidis, quemadmodum anatome docet, mirabiliter a Deo constructa sit.

Quomodo solida considerent.

13. Nam *solida*, *aut vasa humores coercentia sunt*, *aut instrumenta sive organa* aut *machinæ certa ratione constructa*, *in certum* finem sive *usum sic facta*, figurata & connexa, sicut divus ille Medi-

(a) Lib. de Nat. Deor. I. Cap. V.

dicus Mechanicus BOERHAVIUS quam rectissime scripsit, (*a*) ut *ex singulari hac fabrica*, qua quælibet pars instructa est, *determinati motus* & *actiones*, sicut *in aliis machinis exerceri* queant, si caussa movens accedit. Deprehenduntur enim in nostro corpore, pergit, *fulcimenta*, *columnæ*, *trabes*, propugnacula, tegumenta, hypomochlia, cunei, vectes, trochleæ determinantes, funes, prela, folles, cribra, filtra, canales, alvei, receptacula; quibus vero a BOERHAVIO indicatis machinis nostri corporis merito adhuc addi possunt *siphones*, *antliæ*, *valvulæ*, *forcipes*, *forfices*, *molæ*, *pistilla*, *mortaria*, *infundibula*, *tympana*, *cameræ obscuræ*, *machinæ acusticæ*, similesque res aliæ, quas omnes legibus mechanicis agere atque non nisi per eas rationali modo explicari posse & ratio docet, atque a modo laudato BOERHAVIO, aliisque supra §. 2. laudatis auctoribus, itemque a celeberrimo Philosopho VVOLFFIO (*b*) & SCHREIBERO (*c*) rerum physicarum & mathematicarum expertissimis, satis demonstratum esse existimo.

Quomodo fluida.

14. *Fluidæ* vero *partes* intra solidas in corpore humano continentur atque in iis, quamdiu vivimus, jugi modo *a corde & arteriis moventur*, in motu hoc per vasa & canales determinantur, varie miscentur, separantur, mutantur, vasa cum nexis instrumentis movent, horum parietes atterunt, mutant, restituunt, fiuntque hæ actiones juxta leges hydrostaticas, hydraulicas & mechanicas, ideoque & juxta has, si quid certi de iis scire volumus, ultimo exponi debent: ita tamen, *ut accuratissima simul ratio habeatur naturæ uniuscujusque humoris specialis & actionis* ejus, prout

(*a*) In Institut. Med. §. 40. (*b*) Libro de usu partium corporis humani & animalium, aliisque in locis. (*c*) In elementis Medicinæ physico-mathematicis.

prout per omne genus experimentorum (physicorum præsertim & chemicorum) innotescere potest, sicut quam rectissime præstantissimus docuit BOERHAVIUS. [a]

Quid Mechanici speciatim in Physiologia præstiterint.

15. Ut vero ad specialiora quædam nunc transeamus, *quæ mechanici Medici* in Physiologia sive usu partium explicando *præstiterunt præ Stahlianis*, consideremus, quæso, paucis quam docte STENO de fabrica & actione musculorum egerit, [b] quam mirifice Joh. Alphons. BORELLUS motus musculorum negotium, tam in homine, quam animalibus, *secundum mechanicas leges exposuerit*, [c] & quos mechanicos usus & actiones *ossibus & ligamentis eorum* hac in re tribuerit, quæ sane a rerum peritis sine stupore atque admiratione legi vix possunt, præsertim cum Dei sapientiam summam in corporis nostri constructione, ad motus & actiones multivarios, in usus corporis nostri quam plurimos, quam commodissime, quam constantissime & optime præstandos, quam evidentissime demonstrent; quæ profecto a Stahlianis tam solide nusquam exposita deprehendimus. Quam eleganter STENO, MALPIGHIUS, BELLINUS, KEILIUS, HARTSOEKERUS, MICHELOTTUS *secretionis negotium* exposuerunt. Quam pulchre LOVVERUS & BORELLUS *actionem cordis* ex mirabili sua musculosa fabrica explicarunt. Quis enim mirabilis circuitus sanguinis rationes rite comprehendet, nisi qui *ex admiranda structura cordis*, arteriarum distributione & elastica fabrica, venarum situ sive cursu earumque valvulis, pulmonum & thoracis vera constitutione, [d] & ex ina-

---

(a) In Instit. Medic. §. 41. & deinde passim in aliis locis. (b) In specim. myologiæ, itemque in libro de musculis & glandulis. (c) Libro doctissimo de motu animalium. (d) Hæc omnia ex anatome cognita hic desideramus, quia nimis prolixum foret, ea hic describere.

mathematicis hydrostaticas & hydraulicas leges perceperit. *Cor enim est musculus cavus*, ejusque fibræ musculosæ magno artificio ita sunt contortæ, ut *præli* vel *siphonis in modum sanguinem* magno impetu in arterias expellant [a]. *Arteriæ autem sunt* canales conici, robusti & elastici, quæ ob hanc suam fabricam sanguinem, e corde susceptum, ex ampliori per angustiorem semper & tandem angustissimum diametrum, reciproca cum corde actione in omnes partes, & tandem in venas propellunt, quæ quoque canales membranacei & conici sunt, sed inversi, ita, ut sanguis in iis ex angustissimo diametro semper in ampliorem influat; adeoque ille sanguis, qui primas & maximas earum angustias superavit, postea in amplioribus viis vix hærere queat. *Atque hunc motum in venis, præsertim brachiorum* atque infra cor positis *promovent* multæ in eis conspicuæ *valvulæ semilunares*, membranaceæ, a FABRICIO AB AQUAPENDENTE primum & elegantissime delineatæ: quæ mirabili mechanica ratione impediunt, ne sanguis in partibus infra cor, ac præsertim pedibus & brachiis pendentibus relabatur; sed dum a corde per sanguinem arteriosum semper urgetur, faciliori ratione ascendat. Præterea *per arteriarum & venarum ordinatam distributionem* per corpus fit, ut sanguis e corde projectus, *non temere hinc inde*, sed per determinatas vias, ad determinata loca & partes, sursum & deorsum feratur. Quidnam autem est, quod cordis actionem in circumpellendo sanguine per arterias & venas elegantius illustrat ac docet, *quam sipho & prelum*, *machinæ vulgatissimæ*,

---

(*a*) Sicut eleganter hoc demonstravit LOVVERUS Lib. de Corde, BORELLUS Part. II. de motu animal. Cap. V. propos. 50. & seq. BELLINUS de motu cordis, LANCISIUS de corde, aliique.

mæ, quando liquores per canales propellunt? *Quid respirationis modum* planius exponit, quam *follis*? qui dilatatione laterum suorum aerem per tubum suum recipit, constrictione vero eorum aerem per eundem rursus expellit: sicut quam ingeniosissime id exposuerunt BORELLUS, MAYOVIUS, BERGERUS, BOERHAVIUS, HAMBERGERUS, aliique: nam in corpore habemus organa maxime mirabilia, diaphragma præsertim aliosque musculos quamplurimos, respirationi dicatos, [a] per quæ thorax, dum costæ ab ipsis elevantur, diaphragma vero descendit, dilatatur in inspiratione, sed in expiratione, dum diaphragma ascendit, costæ autem descendunt, constringitur: ut sic per *tubum pulmonis*, *arteriam asperam* intelligo, aer pulmonem, ut in folle, ingredi, & ex eo rursus egredi possit.

Hoc uberius exponitur.

16. Quis *visus*, quis *auditus rationes* mirabiles exponere potest, nisi qui ex anatome harum partium mechanicam fabricam, ex optica vero, catoptrica, dioptrica & acustica, partibus matheseos in arte salutari utilissimis, *camera obscura* & *tubis acusticis* radiorum visibilium & sonorum naturam, refractionesque & reflectiones eorum probe didicerit. *An non glandulæ* & viscera nostra, ubi secretiones certorum humorum, & quidem modo tenuiorum modo crassiorum fiunt, *vera cribra & filtra pharmaceutica*, per quæ tenuiora a crassioribus separantur, repræsentant? *Valvulæ cordis* & *triangulares* & *semilunares* regressum sanguinis per eam viam, per quam venit, tam mirabili mechanica ratione impediunt, ut in machinis humanis tam apte hoc vix unquam factum sit. *An non in ventriculo*, *vesica* urinæ collectioni destinata, vesicula

(a) Qui videri possunt in compend. meo anatom. §. 330. aliisque in recentioribus scriptis anatomicis.

ficula fellis, veficulis feminalibus, & fimilibus *vera habemus receptacula*, in quibus varii liquores, ob certas caufas aut ad certos ufus, per certum tempus, quafi in receptaculis hydraulicis, affervantur. Quam eleganter *dentes noftri* in ore, & præfertim anteriores, *cuneos* quam egregie maxillæ *forcipem*, aut etiam certo modo *forficem*, qua cibos difcerpimus aut difcindimus, repræfentent, atque revera etiam conftituant, olim in differtatione de *mafticatione* [a] demonftravi. Immo eædem *maxillæ cum dentibus* certa ratione *mortarium cum peftillo*, fed fic exhibent, ut fuperior maxilla conftituat corpus refiftens five mortarium, inferior autem piftillum, quo cibi in ore, quafi in mortario, conteruntur ac comminuuntur; immo & eorum fimilitudinem *cum mola* Antiquiffimi una cum Scriptura facra jam cognoverunt [b] unde etiam *pofteriores dentes* jam dudum *molares*, anteriores vero ab ufu incidendi ad modum forcipis, *incifores* dicti funt. Denique in *faucibus*, fpeciatim in œfophago & capite ejus pharynge dicto, aptiffimum confpicimus *infundibulum*, per quod degluticnda, præfertimque potio, quafi per infundibulum in dolium vel lagenam aliudve receptaculum, quod ventriculus hic eft, demittitur. Tandem os, fauces & præfertim *larynx* cum pulmonibus *nobile organum muficum pneumaticum*, cui fimile in artificialibus non exiftit, conftituunt, ficut varii, qui de voce & loquela fcripferunt, egregie demonftrarunt. (a) *Quæ omnia fane*, nifi me omnia fallunt, *mechanifmum & actiones mechanicas in corpore humano*, adeoque & præftantiam Mechanicorum in phyfiologia præ Stahlianis, abunde demonftrant.

(a) Quæ Altorfii 1711. prodiit in 4. (b) Vid. Ecclefiaft. c. 12. v. 3.

In actionibus animalibus Mechanici cum Stahlianis conveniunt.

17. Sed objiciunt Stahliani, hæc omnia tamen moveri & agi ab anima, atque sine concursu vel directione animæ non fieri, quemadmodum in mortuis post excessum animæ omnes prædictæ actiones cessarent. Sed respondeo, *distinguendo primum probe inter actiones animales, vitales & naturales*: In actionibus animalibus; sive iis, *quæ ab animæ voluntate dependent*, Mechanicos (saltem plerosque) ut jam dictum est, cum Stahlianis amice conspirare, opinor, atque ratione caussæ efficientis cum ipsis prorsus consentire, quod scilicet ab anima dirigantur, eaque auctor earum atque director sit: quia hoc sensibus obvium atque manifestum est. Sed quando caussam instrumentalem, ut vocant, consideramus, nullus profecto actionum animalium, motuum scilicet voluntariorum, organorumque sensuum idoneam explicationem adhuc dedit, aut *dare forte unquam poterit*, *nisi eorum instrumenta, ut organa mechanica considerabit*, & earum actiones secundum has leges explicabit. Adeoque quoties Stahliani recte de actionibus animalibus sive voluntariis disserere volunt, mechanicam partium structuram & agendi rationem vel inviti in auxilium vocare coguntur.

In naturalibus vero dissentiunt.

18. Verum ut in his est concordia, sic e contrario *in actionibus vitalibus & naturalibus* explicandis tanto major inter ipsos est dissensus: dum *Stahliani has quoque ab anima produci*, dependere & dirigi statuunt, ut supra jam §. 4. & seq. dictum est; *Mechanici vero hoc cum antiquis prorsus negent*; *quia anima* de excitatione aut directione harum actionum, sicut §. 7. & seq. ostendimus, nihil scit, *nihil cognoscit*, *nihilque in iis mutare*, hoc est, eas *neque accelerare neque retardare sua voluntate* ulla ratio-

(a) Vid. DODART. in act. Acad. Reg. Paris. An. 1700. VVEDEL & SCHELHAMMER diss. de voce, AMMAN. de loquela.

ratione & ne per momentum quidem temporis potest.

19. Qua ratione igitur Mechanici hasce actiones fieri existimant, dum animæ nullas partes hic dare volunt, dicam. Evicimus non solum jam supra, & anatome, opinor, omnes attentos & a præjudicatis opinionibus liberos facile convincet, *corpus nostrum esse artificiosissimam machinam hydraulicam*, ex diversis machinis minoribus, vasis, canalibus, & ductibus, certos liquores vehentibus, ita conflatum, ut *solida fluida, fluida vero solida reciproca actione moveant ac propellant*, & ut una semper pars per communicationem & nexum cum altera, ope vasorum præsertim & nervorum, alterius actioni succurrat, atque sæpe plures ad unam actionem perficiendam, instar automati, horologii vel molæ concurrant. *Demonstrat hoc*, (ut exemplo uno alterove rem illustrem & extra justæ dubitationis aleam ponam) *concoctionis ciborum negotium*: quod non solus ventriculus, ut haud pauci imperiti existimant, perficit; sed ad illud conficiendum primo manducatio in ore facta, deinde omnes *glandulæ salivam secernentes* juxta os, in ore, in faucibus & œsophago consitæ concurrunt, ac præterea *intestina*, præsertim tenuia, glandula *pancreas* dicta, hepar & lien; suum quoque Symbolum conferunt, quemadmodum hoc a Physiologicis recentioribus unanimi consensu probatum est, neque forte vel ab ullo prudentiorum Stahlianorum negatur. Ita *bilis præparationem* non solum hepar præstat, sed lien, intestina, mesenterium, omentum, aliæque partes in unam hanc actionem amice conspirant; id quod etiam vix ab ullo prudenti hodie in dubium vocatur, atque a BOERHAVIO in Institut. Med. eleganter demonstratum est.

Quid Mechanici de his sẽtiunt.

20. Sic *ad cordis actionem*, quæ primaria est vitæ nostræ, *cerebri*, sive rectius *cerebelli concursus* sive adjumentum & quidem per nervos, qui a cere-

Quomodo cordis actio peragatur.

cerebello ad cor excurrunt, requiritur ; quia his resectis vel ligatis in animali vivo cordis motus atque inde pendens vita desinit, quod quamplurimi etiam probarunt, inter quos unicum rursus BOERHAVIUM nunc tantum nominare volo. [*a*] *Ad cerebelli* autem actionem præstandam *requiritur communicatio cordis cum cerebello per arterias*, per quas ad cerebrum & cerebellum sanguis tenuissimus per leges mechanicas devehitur, sine quo actio cerebelli nulla est, & animalis vita quoque perit. Probant hoc vulnera, per quæ sanguis ita profunditur, ut ad cerebrum nullus amplius pervenire queat. Quemadmodum vero ab influxu sanguinis ex corde in cerebrum sublato actio cerebri & cerebelli tollitur; ita *ex influxu alicujus liquidi subtilissimi ex cerebello per nervos ad cor impedito* aut sublato, quod vulgo *liquidum nerveum* sive *spiritus* appellamus, tollitur motus cordis, atque inde mox subsequitur mors. Quamdiu autem hoc commercium inter cor & cerebrum salvum sartumque conservatur, tamdiu observamus actionem quoque cordis & cerebelli perdurare; quæ partes, ut causæ sociæ, reciproce se invicem juvant, se invicem conservant, & sic automatum præcipuum nostri corporis, quod sine animæ directione movetur, & artificiosissimum, PERPETUUM MOBILE, ut vulgo dicunt, quale vel præstantissimi adhuc Mechanici perficere nondum potuerunt, constituunt, in quo cor per sanguinem ad cerebellum propulsum actionem hujus, secretionem scilicet liquidi illius subtilissimi præstat; cerebellum, contra, per nervos hoc liquidum continuo rursus ad cor demittit, ejusque ope motum cordis singulo ejus pulsu instaurat, & quamdiu animal vivit, conservat,

(*a*) Vid. ejus Institut. Med. §. 401.

vat, atque *sic hoc perpetuum mobile*, quod stupenda prorsus ratione per centum sæpe annos, sine ulla interruptione, constanter noctes diesque movetur, centies fere millies singulo die pulsat, atque sic vitam hominis reliquasque omnes actiones in corpore conservat; [a] *ad quos motus nullum principium immateriale sive anima requiritur*; sed hi motus *ob solas corporeas atque mechanicas illas rationes fieri possunt*. Ut vero hoc aliquo simili illustretur, placet producere *molæ exemplum*, in qua videmus rotam maximam, quæ ab aquæ motu aut lapsu movetur, reliquas rotas interiores & minores, una cum ingentibus lapidibus molaribus movere, subjectumque frumentum comminuere, idque tamdiu fieri, quamdiu molæ machina est integra & affluxus aquæ moventis non deficit. Quemadmodum vero illas rotas & lapides ab affluente aqua moveri videmus, sine animæ alicujus directione; ita & quamdiu ille affluxus spirituum sive liquidi cerebelli in cor non desinit, tanquam in machinam, quæ apta est ab hoc liquido moveri (quia via huic liquori per ligaturam præclusa mox desinit moveri) atque machina corporis integra est, *motus ille cordis conservari & quam diutissime*, ut dictum, *instar perpetui mobilis continuari sæpe solet*.

21. Sic *eadem ratione* rem se habere Mechanici statuunt *in aliis visceribus*, quorum actiones per se fiunt, atque *animæ voluntati non sunt subjectæ*; verum quæ inscia & non advertente anima, & ubi anima nihil mutare, actionesque accelerare, ne-

Quomodo aliæ actiones naturales.

b 3 que

(a) Hoc non modo in comp. anatom. §. 261. ubi de motu cordis egi, sed & postea uberius VVACHTERUS in diss. *de vera perpetui mobilis in homine vivo idea*, sub præsidio Fr. HOFFMANNI, Halæ 1731. edita, exposuit.

que retardare potest, contingunt, adeoque automaticæ sunt: quales, ut supra jam diximus, sunt *viscerum concoctioni ciborum famulantium*, *glandularum* aliarumque partium, *ubi secretiones variorum* in corpore humorum perficiuntur actiones: ut *hepatis*, *renum*, *testiculorum*, *ventriculi*, *mammarum*, &c. ex quibus exempli loco unicam modo partem ob prolixitatem nimiam hic vitandam, paulo intimius considerabimus, & quidem nominatim ventriculum, *concoctionis organum* primarium.

Speciatim ratione vegetationis.

22. Hujus actionem, concoctionem scilicet ciborum, *animam pro lubitu neque accelerare neque retardare posse*, *sicut de corde diximus*, experientia loquitur, interea tamen ventriculus sanus intra certas horas certam alimentorum assumptorum copiam concoquit, digerit, & in fluidum, quod *chylum* vocant, resolvit, eadem fere ratione, ut *mola intra certum temporis spatium*, certam frumenti copiam conterit & *in farinam resolvit*. Nullus adeo demens est, qui credit animam esse, quæ actiones molæ benæ fabricatæ & semel in motu constitutæ, dirigat, quia tam ordinate hic omnia procedunt, sicut in horologio; sed potius vel *rustici agnoscunt*, *hæc omnia*, *quæ mola perficit*, *ob mechanicam fabricam*, quam habet, *ita fieri*. Qua propter etiam opus non est, ut in corpore humano, quod machina est longe excellentior, quam mola aut horologium, aliter de ejusmodi actionibus spontaneis sive automaticis, quales digestio & secretiones sunt, sentiamus & judicemus. Nam ventriculus ob fabricam & figuram, quam habet, aptum receptaculum præbet alimentis assumptis, eisque, quantum satis est, retinendis; *humores dissolvendi potentia præditi* ex ore, œsophago & ipsa ventriculi substantia continuo in cavum ejus *influunt*, aut potius sub tenuissimi vaporis specie, dum copiosissimis vasis sanguiferis & nervis instructus est, per quæ ope

pul-

pulsus cordis & arteriarum propelluntur, exhalant, ut sic tanto melius ac facilius in subtilissima interstitia assumptorum sese insinuare, atque sic ipsorum resolutionem efficere possint. *Aer*, qui in foraminulis assumptorum hærebat, dum deglutiebantur, jam a calore ventriculi & vicinorum *vim suam elasticam innatam exercet*, atque alimenta, liquore calide in ventriculo semper fota ac macerata, sensim molliora fiunt, atque ab aere in foraminulis eorum contento, tanto facilius jam dissolvuntur. Quando denique ad hæc omnia adhuc accedit alterna ipsius *per tunicam suam musculosam vegeta constrictio* & relaxatio atque sic perpetua conquassatio, ut & *motus* ac *pressio partium vicinarum*, diaphragmatis præsertim ac musculorum abdominis, utpote a quibus, maxime quando homo in exercitationibus corporis versatur, concutitur, digestionem, sive resolutionem ciborum, cum primis antea in ore bene manducatorum, solis his recensitis physicis ac mechanicis caussis perfici posse, *immo etiam revera fieri*, non est, quod dubitemus, & quidem *sine ullo animæ concursu*; dum omnia, quæ hic fiunt, ex caussis, ut dictum est, mere physicis & mechanicis, sicut in mola aut horologio bene constructo, fieri possunt, atque revera etiam fiunt. Quam enim ob caussam anima hic concurrere debeat, tanquam res quasi supervacanea, non perspicio. E contrario *Dei sapientia in fabrica corporis nostri tam magna* & mirabilis est, ut, teste GALENO, (*a*) aliisque prudentioribus, *nihil ad finem destinatum obtinendum in eo vel deficiat vel abundet*.

Generatim in aliis actionibus naturalibus.

23. Quemadmodum vero Mechanismi veritatem in præcedentibus demonstravimus, ita etiam haud difficile hoc esset de organis & partibus reliquis, *ubi secretiones*, *vegetatio*, *nutritio*, *aliæve actio-*

(*a*) Libr. de usu partium & *VVolffius* de finibus rerum.

actiones naturales, animæ imperio haud subjectæ, in corpore humano *contingunt*, quoque demonstrare; verum quia nimis longus fieri cogerer, lectorem ad BELLINI scripta, itemque ad BOERHAVII vel HOFFMANNI Physiologiam, KEILII libellum de secretionibus animalibus, MICHELOTTUM de *separatione fluidorum in corpore animali*, aliosque supra laudatos Auctores ablegamus, ubi hæc res ex mechanicis fundamentis satis mihi evicta esse videtur, ita ut Medicinæ Mechanicæ, præ Stahlianis in Physiologia nondum probatis principiis, præstantia satis cognosci queat.

Speciatim ratione vegetationis.

24. Unicum solum ratione *nutritionis & vegetationis* hic adhuc addam phænomenon, quod Stahlianæ doctrinæ quam maxime est contrarium: nimirum, quod si nutritio & vegetatio corporis esset in animæ potestate, atque plerorumque *hominum animæ corpus suum magnum, venustum ac robustum desiderent*, sequeretur plerorumque corpora etiam magna, venusta ac robusta esse; verum quantopere etiam anima fere uniuscujusque hominis hoc desideret, tamen *plerique ad illam magnitudinem & formam, quam anima ipsorum maximo desiderio vult, desiderat, exoptat*, non perveniunt; sed plerique minores, minus obesi & venusti manent. Immo e contrario in quibusdam regionibus multi exoptant, ut minores manerent, quam fiunt, verum, *anima etiam reluctante, majorem proceritatem quam desiderant, acquirunt*; unde patet, *omnia hæc fieri contra animæ voluntatem* & non secundum eam, adeoque & vegetatio & nutritio *ab animæ directione nullo pacto procedunt.*

Stahlii sententia S. S. contraria.

25. Denique sententia Stahliana, *quod vegetatio, nutritio & incrementum corporis ab animæ directione & voluntate proveniant*, ipsi sacræ Scripturæ, quod nullus, quantum novi, adhuc notavit, *aperte est contraria*. Stahliani enim dicunt, animam struere corpus, animamque vegetationem

nem & nutritionem ejus perficere; Christus vero ait, (*a*) *neminem staturæ suæ cubitum addere posse*. Ergo dum hoc ultimum quam verissimum esse novimus, non solum, quia os veritatis hoc dixit, verum etiam, quia id experientia omnes didicerunt, sequitur, Stahlianam sententiam tanto magis hic falsam esse, quia & sacræ Scripturæ & experientiæ quotidianæ contrariatur.

Quomodo in respiratione.

26. *In respiratione* autem, quæ actio est *partim animalis*, *partim naturalis*, res paulo aliter sese habet; hæc enim animæ voluntate dirigi, accelerari nempe ac retardari potest; *attamen sponte quoque, ut automatum, nocte dieque viget*, quando dormimus & anima de ea nequidem cogitat. Hoc vero inde fieri plures, & speciatim BOERHAVIUS (*b*) egregie demonstrarunt; quia scilicet *organa respirationis nervos*, adeoque & *spiritus accipiunt a cerebro*, *partim a cerebello*, atque si hi tantum agunt, sponte æqualis respiratio contingit; sin vero illi, scilicet a cerebro prodeuntes, qui animæ famulantur, respiratio etiam voluntaria est, & pro animæ voluntate, in magnos usus corporis nostri, atque in multis actionibus voluntariis, exercitationibus corporis, nisibus magnis, ponderibus gravioribus elevandis, modo accelerari, modo augeri, sive profundior ac fortior fieri potest.

Liquidum nerveum dari probatur cōtra Stahlianos.

27. *Unam adhuc haud levis momenti controversiam*, quæ inter Stahlianos & Mechanicos intercedit, prætermittere hic non possum, antequam ulterius pergam, quæ est, quod *Stahliani cava nervorum adeoque & subtilissimum illud liquidum nerveum sive spiritus*, ut plerique illud cum veteribus appellare malunt, HIPPOCRATI *partes impetum facientes* dicti, quod in iis movetur, atque ita

(*a*) Vid. Evangel. Matth. VI. 27. (*b*) In Institut. Med. Cap. de Respiratione.

ita & omnes actiones, usus & effectus, quos Medici alii a longo tempore *cerebro*, *nervis & spiritibus* adscripserunt, *negent*, eosque omnes usus & effectus, forte ut quam brevissime se semper in difficultatum multarum resolutione expedire queant, animæ adscribant. *Mechanici vero Medici & cava nervorum & liquidum nerveum sive spiritus* admittunt, eosque simul usus & actiones, quos veteres ipsis adscripserunt, quoque tribuunt, atque ab horum legitimo e cerebro & medulla, quæ in spina est, per fibras minimas in partes influxu, *sensum*, *motum*, *nutritionem & actiones* harum deducunt. Atque ut brevitatis caussa alias demonstrationes jam taceam, quæ a BOERHAVIO (*a*), *Burgravio* (*b*), & me (*c*), magna satis copia prolata sunt, vel unicam tantum nunc commemorabo, quam Stahliani evertere hactenus non potuerunt, nimirum quod nervo *ligato*, *sensus*, *motus & nutritio partis tollantur*, *quæ eo non ligato in corpore sano vigebant*. Stahliani sensum & motum, qui manifeste per nervos perficiuntur, non spirituum per hos influxui, sed *certæ cuidam vellicationi*, *tensioni aut vibrationi nervorum adscribere volunt*, quam anima in actionibus illis efficeret. Sed præterquam quod hanc tensionem sive vibrationem nullo modo probaverint, neque sensibus percipi queat, non video, quomodo filum, quo nervus aliquis ligatus aut constrictus est, tensionem, vibrationem, tractionem, aut quacunque alia ratione hanc animæ actionem appellare velint, impedire possit. Contra, si cum Mechanicis ac veteribus Medicis statuitur, actiones nervorum prædictas fieri per in-

---

(*a*) In Institut. Medic. §.274.& seqq. (*b*) De existent. spirituum. (*c*) In compend. meo anatomico. §. 301. quæ ab iis, qui eas adhuc ignorant aut non legerunt, legi ac probe perpendi merentur.

influxum liquidi alicujus subtilissimi summeque mobilis, *clarum erit, quare actiones & effectus*, qui antea a transitu ejus fiebant, *nunc iis ligatis, impediantur aut prorsus tollantur*.

Objectio quod videri non possint, diluitur.

28. Nec obstat, quod regerant, hoc liquidum subtilissimum nerveum & *cava in fibris nerveis conspici non posse*; cum sciamus & quam manifestissimum sit, *succum valde crassum in vegetabilibus per fibras eorum*, quæ revera subtilia vascula sunt, & speciatim *per pedunculos*, verbi caussa *cerasorum*, *prunorum* similiumque fructuum, transire, indeque fructus, carnem satis crassam non solum, verum *ipsius nuclei duri substantiam*, longe adhuc crassiorem, transiisse; cum tamen in fibris sive vasculis horum pedunculorum nulla cava æque ac in nervis appareant. *Ex effectibus vero*, sicut aliis multis in rebus, per certissima ratiocinia de rei veritate dictis in fructibus & nervis æque certe persuaderi & convinci possumus, ac per manifestissimas demonstrationes geometricas alias fieri solet; dum talia argumenta & observationes fortissimarum demonstrationum vim obtinent, iique *profecto nimis crasse de spiritibus seu liquido cerebri & nervorum* atque cavis horum judicant, qui illud tam crassum, hæc vero tam ampla esse putant, ut oculis conspici queant aut debeant: dum cava vasorum non solum pedunculorum dictorum fibris, verum & in multis rebus aliis, ac præsertim etiam *in insectis perexiguis, maxime pedibus ipsorum conspicere non possumus*; ubi tamen ex effectibus & actionibus eorum, vegetatione scilicet, nutritione aliisque phænomenis vascula & cava in his existentia, quæ liquidum vehunt, revera adesse, quam certissime persuademur.

Alia objectio de primo movente.

29. Unicam vero adhuc superesse video objectionem, quam Stahliani Medicis Mechanicis objicere solent, *de primo in corpore humano motore*. Nam dicunt, quamvis etiam partium, quæ functio-

ctionibus naturalibus famulantur, fabrica, organa & aptitudo ad motum certasque perficiendi actiones adsint, tamen quis est, qui motum cordis auspicatur, adeoque *quisnam est primus ejus motor*? Partes corporeas ad motus inchoandos ineptas esse dicunt, adeoque *necessario ab anima eos inchoari*, atque deinde etiam, quamdiu vivimus, continuari. Verum respondemus, hoc nullo modo verum esse, quod *corporeæ sive materiales partes*, *mechanica structura præditæ*, per se & sine anima rationali ad motum ineptæ sint; nam hoc *refellunt quam manifestissime automata*, *ut horologia*, *veru*, *automatum*, aliaque, quæ vel elateris vel ponderis ope motum inchoant & continuant; *hoc refellunt etiam molæ*, quæ vel *ab aqua vel vento moventur*, sine anima rationali, aut alia qualicunque.

Quoniam vero *fœtus rudimenta*, *ut in seminibus plantarum*, faba, verbi gratia, phaseolo, piso, &c. ita & in ovo muliebri, dum DEUS & *natura magnam inter plantarum & animalium generationem*, ut recentiores Botanici demonstrarunt, (*a*) *analogiam servat*, existunt, dum ovulum muliebre in concubitu a semine virili fœcundatur, staminibus sive rudimentis ejus hoc ipso motus & vita a parente impertitur; id quod ovuli post coitum intumescentia & incrementum demonstrant; huncque motum postea hac ratione per vim elasticam illorum rudimentorum, quæ fibræ sunt, dum quælibet fibra, quodlibet Vasculum corporis animalis vi elastica a Deo præditum est, quam paucis ab impraegnatione diebus *punctum*, *saliens dictum*, *in ovo incubato ostendit*, (*b*) ceteramque fabricam me-

---

(*a*) Vid. CAMERARIUS de sexu plantarum, VAILLANTIUS de florum structura, van ROYEN de amoribus & connubiis plantarum, itemque LINNAEUS in script. suis botanicis. (*b*) Vid. MALPIGHIUS de ovo incubato, BAYLII Institut. physicæ aliique.

mechanicam jam ante impraegnationem præsentem, licet adhuc subtilissimam, sicut *forte in minimo*, quod existit, *insecto*, continuat, sensim, quando partes robustiores fiunt, auget, atque tamdiu ob easdem caussas continuat, quamdiu animal vivit & sanum est, sicut id supra §. 20. jam prolixius exposuimus, ita, ut ex his satis patere existimem, præsertim, quia hæc res *eodem modo in brutis animantibus*, ut in homine contingit, *nullam animam rationalem ad actiones naturales & vitales vel auspicandas vel continuandas & perficiendas necessario requiri*; sed ex solis caussis mechanicis fieri posse, atque etiam revera fieri; præsertim, cum de anima hoc nullo modo, ut sæpius jam diximus, probatum sit.

30. Sed tempus nunc est, *ut ad Pathologiam me conferam*, atque etiam *præstantiam Medicinæ Mechanicæ* præ Stahliana & *in hac evincamus*. Quoniam autem in Physiologia præter opinionem paulo jam prolixior fui, brevior in Pathologia esse studebo; id quod tanto melius fieri poterit, quia multæ veritates Pathologiæ jam ex præmissis facile demonstrari possunt. Ut exempli caussa, quando Stahliani volunt & statuunt, *animam humanam rationalem caussam esse tam actionum in statu naturali, quam* in statu p. n., & speciatim *febrium, inflammationum, dolorum, spasmorum, sanguinis profusionum spontanearum*, distensionum nervorum sive convulsionum, relaxationum nervorum, epilepsiarum, & qui sunt alii, *hosque morbos non esse nisi molimina sive conatus, ut vocant, naturæ salutares, quibus noxium e corpore expellere studeret*.

An morbi sint molimina naturæ.

31. Verum admodum lubrico & infirmo stare fulcro hanc sententiam, ex eo rursus facile patere arbitramur, quod *anima non solum harum actionum*, quod scilicet eas excitet, sibi haud sit

con-

conscia; sed e contrario, si in ejus potestate hæ res præter naturam essent positæ, *eas potius impediret*, aut alia saltem eaque longe securiori & blandiori ratione noxium e corpore, quam molestis illis dolorificis, & sæpe horrendis, ut in epilepsia, ac periculosis actionibus expelleret. Immo si anima rationalis, *quam ad avertenda omnis generis vitia & interitum corporis semper intentam esse fingunt Stahliani*, intelligeret aut cognoscere posset mala imminentia, causas eorum maturius & mox in principio, dum malum adhuc parvum est, per consueta corporis excernicula eliminaret, antequam, ut Poeta canit:

- - per longas invaluere moras.

Verum si animam nostram interrogamus, quando male valemus, *an ipsa ejusmodi mala morbique præsentis caussas cognoverit*, præviderit, atque vel febrem, vel inflammationem, vel dolores, vel hæmoptysin aut epilepsiam, vel alium ejusmodi morbum *produxerit*, *illa hoc negabit*, & nunquam in mentem hoc sibi incidisse affirmabit; immo se caussam vel auctorem esse horum malorum & tumultuum, qui jam nos tam misere affligunt, Stahlianis in faciem negabit; atque injuria ea ipsi, quæ non fecerit, tribui constanter asseverabit.

Et profecto anima rationalis, quæ *ens cogitans* haud prorsus inepte a CARTESIO appellatur, quia natura ejus non melius, quam per cogitationes nobis innotescit, eamque a corpore hac ratione distinguit, *conscire profecto deberet*, *quid agat*, *aut quod nuperrime egerit*, quemadmodum & aliarum rerum, quas perficimus aut nuperrime adhuc perfecimus, præsertim si ad eas serio attendimus, conscii sumus. Verum quantopere etiam mente ad res has reflectamus, tamen *nunquam ex ea intelligere possumus*, *quod hæc faciat*, multominus, quod id certo demonstrari queat: adeoque fun-

fundamentum morborum ac medicinæ practicæ nimis infirmum & incertum præbet, & injuriam ipsi inferunt, dum injuste *animæ innocenti tribuunt facta mala, quæ nunquam perpetravit, aut perficere voluit*, & de quibus antea nunquam cogitavit.

32. E contrario sunt quamplurima, quæ hanc *Stablianorum sententiam labefactant*, aut potius *prorsus evertunt*: quorum speciminis loco nonnulla nunc tantum ob nimiam prolixitatem evitandam ex quamplurimis hic proferam, quæ jam olim aliquando Medicis ita sentientibus opposui (*a*). Nimirum primo *caussam sputi cruenti*, quod *hæmoptysin* vulgo vocant, *Stabliani non morbo aut vitio culpando, sed prudenti animæ consilio sive decreto adscribunt*, ut corpus hac ratione *ab abundante & noxio sanguine* liberet: igitur *animam aperire vel disrumpere vasa pulmonum*, atque supervacaneum sanguinem in salutem sui corporis expellere perhibent, ut postea reliquus in vasis sanguiferis & ceteris visceribus commode pro corporis sanitate ac vita conservandis circumagi atque officia sua præstare possit, *hacque etiam prorsus ratione de aliis quoque profusionibus sanguinis judicare & sentire solent*.

Stablianorum sententia de caussa hæmoptysis.

33. Verum hæc morbi hujus sæpe periculosissimi ætiologia Medicis Mechanicis minime satisfacit, adeoque nec pro vera ab iis assumi potest. Nam primo *anima rationalis* profecto non rationalis aut prudens, sed *irrationalis* & *stultissima esset dicenda*, si in homine, præsertim sapiente (dum sagacissima ingenia sæpe hoc morbo afficiuntur) ad sanguinem abundantem expellendum, *vasa pulmonis, visceris adeo nobilis, & ad vitam & sanitatem adeo necessarii*, tanto cum vitæ periculo per-

Refutatur.

(*a*) In dissert. *de morbis adolescentum & juvenum Hippocratis*, jam Ann. 1722. 4. Helmstadii edita.

perrumperet; quia inde non raro tanta sequitur sanguinis profusio, ut quandoque una cum sanguine ipsa anima effundatur; aut ob difficilem disruptorum vasorum visceris hujus, perpetuo in motu constituti, glutinationem, *ulcus sæpissime pulmonis sive phthisis* & mors ipsa subsequuntur. E contrario si anima deliberato consilio, ut Stahliani dicunt, & pro arbitrio sanguinem abundantem in corporis sui salutem & conservationem expellere posset, *locum, unde nullum*, vel saltem non adeo magnum detrimentum esset metuendum, *nares scilicet vel anum*, pro hac excretione eligeret; verum hoc hic non fit, *sed per pulmones, reluctante etiam anima*, expellitur.

Porro si anima ejusmodi hominis, qui hæmoptysi graviori laborat, aut aliquando laboravit, quæritur, an hanc laticis vitalis incongruam evacuationem effecerit? *ejus facti non modo sibi non est conscia*, verum *potius contrarium affirmat*, omnibusque viribus sanguinis e pulmonibus profusionem periculosam inhibere ac *impedire studet*. Itaque secundum Stahlianos anima hujusmodi ægri vult & efficit hanc sanguinis rejectionem; sed si animam sive ægrum ipsum examinamus, an hoc verum sit, *anima hujus hominis* hoc *negat* & eam potius cohibere magnopere adlaborat. *Quomodo itaque anima, in una eademque re, velle & etiam simul anxie nolle, & duo manifeste contraria simul & desiderare & facere possit*, cum sana ratione & prudenti ratiocinio nulla ratione convenire mihi videtur; sed potius a Philosophis omnibusque prudentioribus pro re contradictoria, immo prorsus absurda habetur, quæ in una eademque rationali animali anima simul subsistere haud possit. Immo ausim asseverare, *nunquam rationalem aliquam animam de excitanda suo corpori hæmoptysi vel solum serio cogitasse*, saltem nunquam ejusmodi vidi. Quamplurimi contra sunt & fuerunt prudentissimi ho-

homines atque inter hos etiam Medici egregie docti, qui non modo omni animi contentione, *sed etiam remediis quibuscunque præstantissimis sanguinis hanc profusionem e pectore prohibere sibi studuerunt*; (quia animæ ipsorum eam valde noxiam & quam sæpissime funestam esse prope cognoverunt;) *verum animæ hæ frustra omnibus suis conatibus & actionibus nihil* hac in re *efficere potuerunt*; sanguis enim e pulmonibus, quicquid etiam egerint, prorumpere non cessavit, atque tandem propterea e vita quam maxime inviti decedere coacti sunt.

Quænam caussæ a mechanicis hujus mali indicentur.

34. *Unde satis patere existimo, animam rationalem non esse caussam periculosissimi hujus mali*, eique hanc actionem jure nulla ratione tribui posse, sicut Stahliani injuste faciunt: *dum anima ægri longe aliud, immo prorsus contrarium vult & agere conatur*, sed aliunde caussas hujus mali esse repetendas. Videamus igitur nunc, *an Mechanici magis certas ac perspicuas*, magisque rationales *hujus morbi caussas reddere valeant*; cum Stahliani non nisi caussas a ratione & experientia prorsus alienas hic exhibuerint. Scire igitur juvabit, ex prudenti ordinatione divina, ob sufficientem rationem in juvenibus, quibus hic morbus frequentissimus jam ab HIPPCCRATIS tempore observatus est, (*a*) *ut plurimum plus sanguinis confici, quam pro eorum nutritione* & conservatione *requiritur*, ut nimirum materia pro eorum uberiori incremento, sine qua alias eorum corpora ad debitam perfectionem provenire non possent, præsto sit. Quando vero corpus tandem non amplius expanditur, cibi tamen & potus desiderium in eis, sicut plerumque fieri solet, bene viget, immo *hæcce ætas ingluviei & voracitati plerumque indulget*, hinc a ventriculo & intestinis vegetis ac valentibus *plus chyli*, atque a ceteris visce-

(*a*) Vid. ejus Aphor. 29. Sect. III.

visceribus bonis ac robustis *plus sanguinis conficitur*, quam ad conservationem eorum requiritur; adeoque copiosior hic chylus & sanguis vasa sanguifera & viscera ac speciatim pulmones, plus justo replet ac distendit, quem statum corporis *plethoram* vulgo appellant, id quod ratio & experientia docent, atque Stahliani ipsi concedunt. Vasa etiam ac viscera moli sanguinis aliquamdiu & sæpe multum cedunt, antequam vasis ruptura aut morbus aliquis inde producatur. Sed quemadmodum canales, per quos aquæ ducuntur, vel oræ rivulorum aut fluviorum, vel aggeres etiam circa littus oceani, vel a copia aquarum nimia, vel ab impetu earum, *iis præsertim in locis, ubi debiliores sunt*, adeoque vi aquarum minus resistunt, perrumpuntur, vel foramina quædam canalium minora valde dilatantur ac prorsus *diffringuntur*, ut tandem modo minor, modo major aquæ moles ex terminis suis erumpat. Ita *nimia sanguinis moles cor, pulmones & arterias vehementius distendens, eas ad fortiorem renixum & constrictionem excitat*, aut vehementior ejus a quacunque caussa agitatio, qualis esse potest, exercitatio sive *motus voluntarius fortior*, vini potus largior, salia acria aut bilis acrior in sanguine, vasa, quibus coercetur, *in locis debilioribus aut minus renitentibus sæpe disrumpit*, aut foraminula eorum insensilia, quæ *poros* vulgo vocant, ita diducit, ut nunc minori, nunc majori copia prorumpat. Quod si in *pulmonibus contingat*, oritur hinc ille morbus, de quo hactenus egimus, nimirum *hæmoptysis*; sin alio in loco, alia hæmorrhagiæ species: id quod pro partium corporis diversa innata aut aliunde acquisita debilitate, *fortuitum plane esse* & non a naturæ Stahlianæ directione, multis rationibus vel observationibus persuademur.

Stahliani uberius hanc ob rem confutantur.

35. Nullo enim modo Stahlianis credere hic possumus, *evacuationem hanc sanguinis per pulmones prudenti ac deliberato animæ consilio fieri*; verum si sanguis ibi prorumpit, hoc vel casu mere fortuito,

ob

ob pulmones in hac reliquis partibus *debiliores* accidere, vel externis caussis eam adscribendam esse censemus. Ut enim *canales hydraulici*, per quos aquæ ducuntur, & *aggeres fluviorum vel oceani modo in hoc, modo in alio loco, non certo consilio, sed fortuito, ubi vel natura debiliores sunt, vel ibi, quo impetus aquarum maxime vergit & ubi accolæ hoc sæpius quam minime expectant*; ita etiam in corpore humano, ubi partes aut vasa debiliora, ut jam dictum est, sanguinem copia & impetu vel & acrimonia forte simul urgentem transmittunt. Unde fit, ut *in multis per narium vasa erumpat*; in aliis *per pulmones*, tanquam viscus in juventute valde adhuc tenerum ac spongiosum; in aliis *per ventriculum, intestinum rectum, vel per urinæ vias*, aliave loca prosiliat, *prout homo forte hanc vel illam præ aliis partem habet debiliorem*. Nam verissima esse deprehenditur illa CELSI observatio, (ad quam Stahliani non satis attendunt) magni in Medicina usus, quando scribit: (a) *Neminem facile esse, qui non habeat partem aliquam imbecillam*; adeoque etiam frequentissime observatur, in eis, qui sputo cruento sunt obnoxii, *pulmones* vel *natura*, vel ob *caussam quandam violentam esse debiles*, atque ut plurimum simul *sanguinis abundantiam*, ac *motum ejus fortiorem*, id quod ex florido faciei colore, quem plerumque hi homines, antequam nimis debiles fiunt, præ se ferunt, *dignosci solet*, hic peccare. Ut de caussis externis, quæ hæmoptysin producere solent, contusionibus scilicet, lapsibus, saltationibus, vehementioribus aliis motibus quibusque, vociferationibus vehementioribus, vulneribus pulmonis, &c. quæ caussæ omnes mechanica ratione agunt, brevitatis caussa nihil dicam, utpote, quæ non tantum sputum cruentum producere sæpe solent; verum etiam pulmonibus inde semel debilitatis, efficiunt, ut, curata etiam

---

(a) Lib. I. de Medicina. Cap. 3.

semel hæmoptysi, ex levi caussa, ob partem jam debilem, alio tempore facile redeat: *eaque profecto non ob animę in hoc negotio prudentem aut salutarem actionem, sed ob rationes mechanicas indicatas, pulmones scilicet debilitatos*, sanguinisque copiam aut impetum sustinere non valentes; unde facile denuo rumpuntur, & malum pristinum redit. Igitur cum caussæ hic adsint adeo manifeste, physicæ & mechanicæ, hujus morbi, *quid opus est ad incertas, nunquam probatas, immo & sanę rationi manifeste adversantes actiones animæ confugere*, easque tanquam veras eruditis ac discentibus obtrudere velle. Nam revera *illa anima*, *quæ hæmoptysin induceret*, dum loco securiore sanguinem expellere posset, merito *pro stultissima esset habenda*; quia hoc ipso non sanitatem, sed plerumque interitum corpori procurat. Atque hoc modo *quoque de aliis sanguinis profluviis periculosis*, ut *vomitu & mictu cruento*, sentiendum esse judicamus; quæ potius prudentiori modo avertere deberet, *si ipsa ejusmodi vim in corpus*, qualem Stahliani, ipsi reluctanti & neganti, obtrudere volunt, *haberet*.

Febrium caussa Stahliana impugnatur.

36. Progrediamur nunc ad *febrium quoque caussam* ex mente Stahlianorum examinandam. Hanc quoque nihil aliud esse perhibent, *quam conatum animæ*, prudenti consilio *noxium*, quod ipsa in corpore cognosceret, in ejus utilitatem *ejiciendi*. Verum febrem inde quam minime deduci posse hinc judicant Mechanici, quia *anima ægri, febri quadam laborantis*, neque ante accessum febris aliquod adeo noxii in corpore suo *cognoscit*, dum quamplurimos ægros inopinato invadit, neque ut plurimum in ipsa febri, quid noxii in corpore sit, aut ubi hæreat, quod eliminandum est, novit. *Provocamus ad testimonium, fidem & experientiam omnium eorum, qui vel semel vel sæpius febri quadam laborarunt, an anima ipsorum tale quid cognoverit?* omnes enim, quos hanc ob rem exami-

minavi, hoc negarunt, animæque ipsorum talis cognitionis aut scientiæ haud erant consciæ. Mirandum esset, *si anima noxas tales in corpore suo cognosceret; quare non in principio & citius, quam caussa peccans in talem copiam, vel in tam malum, ut sæpe fit, morem incresceret*, qualis præsertim *in febribus malignis* observatur, *ubi multi fere moriuntur, antequam se ægrotare recte percipiunt*, leviori minusque periculosa ratione in tempore, hoc est, in primo initio, illud malum e corpore expelleret.

Etiam in febribus intermittentibus.

37. Præterea *in febribus intermittentibus paroxysmus* ægros sæpe *tempore quam maxime incommodo invadit*, ubi ægri, præsertim Magnates, aut qui his sunt a consiliis vel auxiliis, vel belli Duces, aliique haud raro *gravissima negotia expedienda habent*. Si ab anima actus ille paroxysmi dependeret, anima prudens vel alia ratione a malo illo se liberare studeret; vel saltem, si sine paroxysmo negotium hoc expedire non posset, alio *eoque magis opportuno tempore*, quia in intermittentibus plerumque non adeo magnum periculum est in parva mora, eum institueret, dum ab anima, secundum Stahlianorum sententiam, tota res dependet. *Verum ægri*, licet hoc quam ardentissime sæpe velint, *tamen illud omni animæ vi, conatu & sollicitudine obtinere nequeunt*; sed paroxysmus stato tempore redit, sicut in horologiis stato suo tempore hujus vel illius horæ numeris, secundum mechanicas horologii leges, insistit. Itaque potius *ille reditus regularis paroxysmi mechanicas magis rationes*, quemadmodum *horologium*, veru automatum, *clepsydra*, aut aliæ similes machinæ, habere videntur, quam animæ directionem; qua vero de re infra plura. Quomodo enim ab hac oriretur, quia *anima hominis libero arbitrio prædita est*, *ille qui sui juris esset, paroxysmum talem eo tempore institueret, quo ipsi minime molestum esset*; verum hoc animæ suæ voluntate & imperio efficere non valet. Anima

 igi-

igitur ejusmodi hominis maximo sæpe ardore ac molimine vult, (quod Stahliani negare non possunt) ut *paroxysmus febris vel omnino avertatur, vel ut saltem in magis opportunum tempus differatur*; Stahliani contra quoque dicunt, animam ejusmodi hominis re vera illum paroxysmum, eundemque prudenti deliberatione atque consilio concitare: *itaque una eademque anima eodem tempore, secundum Stahlianos, paroxysmum vult & non vult, ideoque duo contraria in una eademque re & uno eodemque tempore desiderat*, id quod profecto absurdum ab omnibus Philosophis habetur, atque *ab una eademque anima prudenti & quidem tam sæpe proficisci posse*, nulla ratione verisimile videtur: *præsertim cum id fiat, quod anima manifeste non vult*.

Et variis aliis in morbis.

38. Atque idem absurdum haud adeo difficulter ex *convulsionibus* & *epilepsia* ejusque horrendis ac periculosissimis paroxysmis, itemque ex *inflammationum, anginæ, ophthalmiæ, peripneumoniæ, pleuritidis, apoplexiæ, vigiliarum involuntariarum, abscessuum, fistularum, strumarum, tumorum cysticorum, dolorum, calculorum, suffusionum, herniarum*, aliorumque quamplurimorum morborum generatione demonstrari posset; *quos omnes tamen Stahliani promiscue ab animæ voluntate & prudenti ejus directione in salutem corporis produci perhibent*, atque contra omnem sanam rationem credenda tironibus commendant: quamvis hæc sententia, ut sæpius jam monuimus, ab ipsis non solum non probari, sed potius contrarium, sicut modo de febribus earumque paroxysmis diximus, quod scilicet *ex mechanicis & physicis caussis*, vitio scilicet vel partium solidarum vel fluidarum, omnes hi morbi oriantur & producantur, facile demonstrari & evinci queat.

Caussa febrium mechanica indicantur.

39. Ut tamen *veram*, aut saltem magis, quam Stahlianorum est, verisimilem *sententiam de caussa febrium*, ex certioribus physicis & mechanicis fundamentis, producamus, ex phænomenis earum

rum judicandum; atque, cum *in omni febri motus cordis atque arteriarum naturali velocior, percipiatur*, id quod Stahliani, experientia edocti, concedunt, aliquid præter naturam in febrium generatione *in vasa sanguifera adeoque & in cor ingredi*, (quod Stahliani quoque non negabunt,) quo illud, præsertim quia intus sensili tunica investitur, *una cum arteriis, ad frequentiores motus excitatur*, unde motus sanguinis necessario augetur; ab aucto vero isto motu, & attritu vasorum globulorumque sanguinis inter se oritur (sicut vulgaribus mechanicis experimentis quam plurimis constat) *calor auctus*, quem præter naturam vocamus, atque ex hoc postea *siccitas oris & faucium*, unde tandem reliqua febrium accidentia, ut *sitis*, *dolor capitis*, *vigiliæ*, *anxietates*, *inquietudines*, *deliria*, aliaque symptomata, immo & ipsa mortis caussa haud adeo difficulter deduci poterunt.

Et uberius probantur, primo ex bile.

40. Quod vero hæc caussa febris proxima, quam statuimus atque ex phænomenis demonstravimus, uberius probetur, consideremus paululum *caussas febrium nonnullas remotas*, ex quibus febres sæpe sequi experientia, optima rerum magistra, jam dudum docuit. *Oriuntur nimirum febres*, & intermittentes & continuæ, *sæpe post iram*, quod forte nemo negat. *In ira bilem*, quæ liquor est in statu secundum naturam jam sanguine acrior, longe majorem adhuc acrimoniam acquirere, *morsus hominum aliorumque animalium ira perculsorum*, satis evincunt. Quando igitur acrior ejusmodi bilis post iram vehementem, eaque majori, quam par est, copia in sanguinem impellitur, facile concipi potest, quod cor atque arteriæ, partes egregie sensiles, fortius, quam alias atque eodem fere modo irritentur, ac si acre quid in oculos incidit, qui inde in contractiones frequentiores adigitur, quibus anima resistere non potest; quæ etiam prius haud cessant, quam caussa illa irritans rursus ex

oculo expulsa vel ita correcta est, ut stimulare amplius nequeat. *Si itaque aliud ejusmodi irritans praeter naturam in sanguine haerere* cogitas, simili ratione cor & arteriae, aliaeque partes sensiles in frequentiores contractiones, etiam contra animae voluntatem sollicitantur; quae adeo vehementiores erunt, quo vehementior illa caussa irritans est, quaeque etiam non prius cessant, quam irritans illud vel correctum & ad blandum morem redactum, vel e corpore eliminatum sit; vel donec aegrum, si corrigi aut expelli non possit, interfecerit. *Posse vero bilem aut alios humores acriores partes praedictas in motus vehementiores & p. n. concitare*, uberius probamus ex eo, quod sępissime post iram *ventriculus vel ad vomitum, vel intestina ad fluxum alvi, imo haud raro ad choleram ea stimulentur*; ubi humores acres & per vomitum & per alvum vehementissime rejiciuntur: qui vero morbi omnes, ablato stimulo illo irritante p. n. ut experientia & pręstantissimi quique practici testantur, tolluntur.

Deinde ex crapula aliisque irritantibus.

41. *Febres* quoque, sive motus illi cordis & arteriarum frequentiores, cum calore p. n. *saepe concitantur a crapula*, sive copiosiori vini aliarumve inebriantium potione. Hęc enim cum particulas acres irritantesque larga copia possideant, in promptu ratio est, cur cor & arterias ad illos motus velociores excitare, atque sic febrem producere valeant. Cum vero & *aliis quamplurimis caussis, ejusmodi irritantia in sanguine produci queant*, quę cor contra voluntatem animę irritare apta sunt, immo *spinae infixae, festucae ossium aut aliae* res p. n. in *vulneribus haerentes & nervos irritantes febres concitent*, patet inde ex aliis jam dictis rationibus quam manifestissime, Stahlianam hypothesin circa febrium caussam, valde incertam, aut prorsus falsam esse; cum cor, ut probatum est, agat contra voluntatem animę: e

con-

contrario Mechanicorum ſententiam ex obſervationibus certis, phænomenis, cauſſis, itemque ex effectibus clare demonſtratam eſſe.

Febres etiam a viſcido oriuntur.

42. Quemadmodum vero varia in ſanguine acria febrem producere poſſunt, *ita & ſanguis tenax, & viſcidus mechanica quoque ratione* eam concitare valet, ſicut demonſtratu haud adeo difficile eſt, atque ex eadem hac cauſſa *ratio paroxyſmorum, qui in febribus intermittentibus occurrunt*, egregia quoque dari poteſt. Viſcidum vero in his febribus ſæpe, ſi forte non ſemper, peccare prudens & expertus Medicus facile negare nequit; dum *id rurſus probant cauſſæ remotæ*, ut victus errores, cibi crudi, duri, craſſi, viſcidi, difficilis concoctionis, iique præſertim magna copia aſſumpti & non probe digeſti; *deinde vomitus & rejectio materiæ valde tenacis ac viſcidæ*; denique *ſtagnationes humorum in minimis vaſis, ac præſertim cutis*; unde ob motum ibi ſublatum pallor & frigus itemque os ſiccum & ſitis oriuntur. Quando autem vaſa minima a materia illa viſcida, quæ ſenſim parietibus minorum vaſorum adhæret, fere obſtructa, adeoque ſanguis a corde projectus libere ea tranſire nequit, majori copia, quam par eſt, in arteriis & in corde tandem accumulatur; hæ partes neceſſario inde ſolito magis diſtenduntur, fibræ autem earum nerveæ muſculoſæ & elaſticæ, quo magis diſtenduntur, eo magis renituntur & ad contractionem inſtigantur, ut ex mechanicis patet, adeoque eo fortius reagunt, ac ſimul eo fortius etiam in ſanguinem viſcidum agunt, eum vehementius commovent, exagitant, compellunt, comminuunt, calefaciunt, atque tandem comminutum rurſus propellunt. Hinc eo tempore frigus ægri mutatur in calorem, pulſus parvus in magnum ac frequentem, hiſque aliquamdiu continuatis, humoriqus viſcidis ſic rurſus *digeſtis ac reſolutis*, tandem in toto corporis ambitu *tanquam reſolutionis effectus*, prodit

dit *sudor copiosus*, & *cum urina multæ particulæ crassæ, viscidæ, terrestres*, lateribus tritis sæpe similes, expelluntur, quæ demonstrant, sub actu hoc mechanico sanguinem crassiorem non solum atteri ac digeri; verum etiam ipsum re vera rursus fuisse digestum & attenuatum, atque simul quoque magnam noxiæ materiæ febrilis copiam & per sudorem & per urinam rejectam. Quo facto, dum, *libero circulo sanguinis iterum restituto*, illa cordis atque arteriarum distentio violenta cessat, *cessat etiam violenta illarum contractio*; pulsus fortior & calor p. n. in statum naturalem redeunt atque *sic paroxysmi finis est*.

De reditus paroxysmorũ ratione.

43. Quando autem, hoc absoluto, nova ejusmodi materia vitiosa ex primis viis, quæ ex erroribus diætæ ibi genita est, ut e ventriculo, vel intestinis, hepate aut vesicula fellea, vel etiam ex pancreate, glandulis intestinorum, aliave quacunque parte, per vias consuetas chyliferas ad sanguinem influit, parva quidem copia ad stagnationem ejus producendam non sufficit, adeoque nec paroxysmum mox producere potest. Quando autem sensim sensimque in vasis sanguiferis *materia illa noxia magis augetur*, (id quod ad certam ac sufficientem copiam in ea vehendam certum tempus requirit,) fit, ut *determinato tempore tandem novus paroxysmus rursus producatur*, & ut ægri jam *ante paroxysmum lassitudinem*, *oscitationes & pandiculationes*, tanquam *initia obstaculorum liberæ circulationis* persentiscant, donec tandem ipse novo horrore & frigore, ut antea, ægrum invadat. *Sed hæc ex pathologia*, ad demonstrandum, *quod mechanica Medicina Stahlianam* præstantia superet, tetigisse hic sufficiat. *Pergamus ad therapiam sive Medicinam practicam*, ut ex hac quoque eminentiam ejus ostendamus.

Animam vim sanandi habere, negatur.

44. Quoniam vero in præcedentibus satis evicimus, *Stahliana primaria de animæ in corpus poten-*

tia

tia fundamenta non nisi falsas aut dubias esse hypotheses, quas probare aut evidentes ac certas reddere nondum potuerunt, idcirco *forte non opus esset, ut speciatim hic ea adhuc uberius refutem*, quæ in curatione morborum caducis hisce fundamentis superstruuntur. *Verum ut tanto melius Mechanicæ Medicinæ & in curatione*, tanquam principe Medicinæ parte, *præstantiam demonstrem*, nonnulla etiam hic speciminis loco adducemus, atque inter hæc prius generalia quædam considerabimus, & postea ad speciales quosdam morbos progrediemur. Inter generaliora autem Stahlianorum fundamenta merito referendum est, primo, *quod animæ ejusque prudenti directioni vim omnes morbos & producendi & rursus sanandi, corpusque a morbis liberandi, audacter adscribant*. Verum quia hæc vis sive potentia non magis probata est, quam quod actiones naturales & p. n. excitet, sicut in præcedentibus ostendimus; nullæ autem propositiones, aut sententiæ, de quarum veritate non constat, in rationali Medicina sint assumendæ, ideoque & hæc pro vera assumi non potest.

Naturam esse animam, negatur.

45. Deinde cum in scriptis Medicorum ab *Hippocratis* usque temporibus vocabulum NATURÆ sæpius occurrat, ut v. g. *quod natura sit morborum medica, quod Medicus sit naturæ minister, quod natura cum morbo luctetur, quod bona aut robusta natura* magnum in curandis morbis sit auxilium; *debilis contra Medicum & ægrotum in curatione deserat*, atque sine naturæ auxilio eum nihil efficere posse; *multos morbos sponte natura, sæpe sine Medico & medicamentis sanari*, præsertim apud vulgum & pauperes: hinc cum, quid hoc *naturæ vocabulum sibi velit*, STAHLIUS & asseclæ ejus intelligere non potuerint, eam tandem, contra omnem præcedentium Medicorum sententiam, in opinionem, *quod anima rationalis hæc natura sit*, venerunt, hisque duobus vocabulis *animæ & natu-*

turæ pro synonymis, sicut supra jam §. 4. diximus; usi sunt, *atque sic*, quod *Hippocrates*, *Celsus*, aliique Medici *naturæ*, id Stahliani *animæ* tribuerunt. Verum quamvis vocabulum hoc quamplurimas habeat significationes, sicut ex controversia, quam Celeb. STURMIUS & SCHELHAMMERUS publicis scriptis quondam de hac re agitarunt, itemque ex BAYLII Institut. physicis & aliis quamplurimis videri potest, adeoque subinde aliquam obscuritatem involvat; tamen *in morborum curatione animam hoc nomine haud intelligi posse*, ex multis patere potest documentis, quorum nonnulla tantum pro sententia nostra roboranda nunc proferemus.

Naturam fabricam corporis esse, probatur.

46. Nimirum quando dicitur, *hunc hominem gaudere bona aut robusta natura*, profecto anima hic nullo modo *naturæ vocabulo* intelligi potest; sed potius *robustum corpus*, sive, quod idem est, *robusta corporis fabrica*, quæ sæpe vix credenda perfert: atque plerumque ea gaudere dicuntur rustici ac plebeji, milites, juvenes, &c. Contra *debilem naturam habere perhibentur* ii, *qui debile corpus*, *sive imbecillam corporis fabricam obtinent* & qui propterea multa perferre nequeunt: atque inter imbecillos hos plerumque referendos esse CELSUS ait, *magnam partem urbanorum omnesque pene litterarum cupidos*. (a) Si anima esset natura, *eruditis potius & sapientibus natura robusta esset* adscribenda; id quod vero est contra experientiam, dum *urbani homines & litteris dediti fere semper minus robusta natura gaudeant*, sæpiusque & periculosius quoque utplurimum ægrotent, quam ruricolæ ac plebeii, qui duris laboribus se sustentant, atque injurias aeris ac victus, quas imbecilli perferre non possent, sine omni incommodo sæpissime perferunt, atque etiam, si aliquando ægrotant, *sæpe sola natura*

tura

(a) Lib. I. Cap. 2.

tura a morbis rursus liberantur. Adeoque ex his *quam clarissime patet, in Medicina non animam, sed corporis fabricam, sive de natura robusta sive imbecilla sermo sit, & a vulgo & ab eruditis intelligi*. Ita etiam *juvenibus præ senibus robusta adscribitur natura*, atque in illis etiam facilius omnes fere morbi, & speciatim vulnera, ulcera, luxationes, fracturæ, febres, &c. curantur: *non quod anima ipsorum anima senum sit sapientior; sed quia*, experientia teste, *illorum fabrica corporis magis integra & vegeta*, adeoque seniorum fere jam destructa robustior est.

An hac prudētes actiones perficere queat.

47. Sed Stahliani regerunt, *si natura corporis esset fabrica*, quæ in rebus mere corporeis consisteret, *hanc tanta prudentia neque in statu naturali agere, neque in statu p. n. tanta sapientia noxium corrigere, atque e corpore eliminare posse, quam in morborum plerorumque curatione fieret*, ergo *rationale principium*, anima scilicet, *hoc dirigere*: dum modo per hæmorrhagiam quandam, modo per sudorem, modo per alvum aut urinam, &c. illud expelleret, atque hac ratione ægrum a morbo liberaret. Verum his respondetur, *eos divinam corporis humani machinam* (forte ob neglectum anatomes & mechanices accuratioris studium ejusque inde pendentes admirandas vires) *non satis considerasse aut intellexisse*. Nam sicuti illi, *qui nunquam horologium* & cumprimis internam ejus fabricam accuratius *inspexerunt*, *vix credere possunt ejus effectus ex mera corporea fabrica provenire*, ut minuta prima, minuta secunda, horas, dies, lunæ cursum, mensem & quæ sunt alia; verum etiam pro lubitu hominis levi externa facta alicujus tuberculi pressione, *repetitionem horæ ejusque minutorum*, idque toties, quoties libuerit, *sono vel pulsu indicare possint*, & hoc a rationali principio oriri putant, sicut *de Americanis referunt, cum primum Europæorum horologia conspexerint*;

rint; dum omnia illa, quasi cum judicio, certo temporis spatio & ordine, ab eo peragantur: id quod vero fabricæ horologii peritis non adeo obscurum, sed conceptu facile est; qui illud non rationali principio, sed a pura puta mechanica ejus fabrica fieri norunt.

Videtur prudentia, quæ tamen ea non est.

48. Ita quidem etiam minus *cautis videtur, ac si machina nostra* in actionibus naturalibus *cum prudentia ageret*: verum cum ille effectus, *qui prudens videtur, non a prudentia machinæ dependeat, utpote quæ*, ut horologium, licet artificiosissimum sit, *nec cogitat, nec deliberat*, adeoque nec prudens dici potest; sed ob artificiosam suam fabricam, quam summus atque sapientissimus Artifex confecit, actiones suas, *quasi cum prudentia eas faceret, perficit*, quæ tamen, ut in horologio, omnes a sola ejus fabrica & motu, quibus prudentia tribui nequit, dependent. Quod vero ut clarius pateat, sciendum, quod *omnis mutatio in corpore humano fiat per motum & fabricam partium*, ubi quælibet pars ob peculiarem ac diversam suam structuram, quam anatome, immo & externa facies demonstrant, in determinatum finem a Deo conformatum, *certas mutandi vires, suę fabricę convenientes, ut ex physiologia jam constat, obtinet*: qua ipsa mutationes illæ non animæ directione aut imperio, *verum necessitate quadam mechanica*, sicut in horologio aut mola quadam producuntur; quæ quidem ordinatæ & prudentes videntur, licet revera, ut antea dictum est, non sint, sed *solum a mirabili earum fabrica*, variisque physicis & mechanicis conditionibus proveniant.

Quod uberius exponitur.

49. Adeoque cum ab adorando machinæ nostræ effectore *corpus nostrum tanto artificio & ad modum perpetui mobilis*, sicut supra §. 20. evictum est, sit constructum, *ut sine concursu animę circulatio sanguinis, digestio ventriculi, secretiones*, &c. in nobis omnino fieri queant, & quod deinde *cutis, viscera &*

& glandulę nostrę talem a Creatore adeptę sint fabricam, ut in statu naturali omnis generis functiones, *liquidorum mutationes & secretiones*, ut jam supra §. 21. 22. probavimus, perficere queant; cur non etiam, quando vel humorum copia, vel eorum prava qualitas & nominatim *bilis vitiosa*, vel *sanguis nimis spissus*, ut §. 40. ad 42. ostendimus, corrigenda & eliminanda sint, *motorem primarium corporis nostri*, *cor nempe cum arteriis*, ita in motus excitare poterunt, ut non solum *his motibus nimis viscidi humores atterantur, attenuentur & propellantur; verum etiam supervacanei & noxii*, sicut in febribus, locis modo citatis, expositum est, vel per consueta sua excernicula, cutem nempe, renes vel alvum, vel quandoque etiam per narium aliamve hæmorrhagiam *excernantur*. Nam certissimum est quod supremus conditor, qui corpus nostrum quam sapientissime ita fabricavit, ut in statu sano, ope suæ fabricæ & sanguinis per tam multa viscera circuitus, humores suos in requisita qualitate sive temperie non modo conservet; sed, ut etiam abundantes, inutiles aut effœtas sanguinis particulas per debita emunctoria expellat, *illud quoque ita struxerit, ut noxios etiam & superfluos humores in statu p. n. ob summam fabricæ suę perfectionem*, quam habet, ope ejusdem motus & circuitus *mutare*, *subigere*, *digerere & expellere*, *seque ipsum hac ratione restituere valuerit*. Atque ex hoc profecto quam *maximum divinę potentię*, *sapientię & providentię argumentum* petere licet; dum ex eo, quam egregie hæc machina non modo sanam sæpe quam diutissime se conservet, verum etiam, si forte vitium aliquod cepit, seipsum quoque suis *hisce viribus*, *a Deo ipsi datis*, *per meras caussas sive vires naturales & mechanicas*, *sine animę auxilio* restituere valeat, cognoscere licet: omnes enim corporis humani partes a sapientissimo Numine *in determinatos fines &*

usus

usus, tam in statu naturali quam morboso fabricatæ, viribusque ad hos obtinendos necessariis instructæ sunt.

Mechanicis quid natura, & quo sensu vocabulo hoc utuntur.

50. Adeo ex hactenus demonstratis omnes hodie prudentiores & Philosophi & Medici Mechanici *naturam hominis* nil minus, quam animam, *sed re ipsa nihil aliud esse, quam fabricam illam artificiosissimam mechanicam sui corporis*, nobiscum statuunt: [*a*] in *qua mirabili modo solida liquores, & liquores rursus solida in motum reciprocum concitant*, quo ipso autem motu & peculiari partium fabrica, in eo, ut in horologio vel mola certæ ac determinatæ, ex mechanica necessitate, fiunt actiones; quo autem motu cessante, cessant etiam hæ actiones, & neuter sine altero motus persistere potest. *Huic etiam, quæ de ea a veteribus & recentioribus dicta sunt* §. 46. egregie competunt, & quæ ea etiam omnia efficere potest, quæ tam in statu naturali quam p. n. ut modo §. 49. probavimus, ei semper tributa atque adscripta sunt. Igitur Mechanici quoque cum HIPPOCRATE, CELSO, aliisque Medicis utuntur *vocabulo naturæ*, verum ita ut eo non animam, *sed fabricam illam corporis intelligant*, eique etiam illas functiones & mutationes in corpore adscribant, quæ a Stahlianis animæ adscribuntur, *ast revera a motu & fabrica ejus partium*, tam in statu naturali, quam p. n. *perficiuntur*. Adeoque & Mechanici recte dicere possunt, quod *natura sit morborum medica*, quod *natura cum mor-*

(*a*) Ex Philosophis, vid. Christ. VVOLFFII omniumque, qui cum eo sentiunt, scripta; ex Medicis autem non nisi SYDENHAMII, Fr. HOFFMANNI & BOERHAVII scripta, VVITTERBACHII dissert. qua functiones corp. hum. & ægritudines necessitate mechanica fieri asserit; SCHREIBERI *Elementa Medicinæ*, & GROSSII *Verum Medicinæ Principium in structura corporis humani mechanica reperiundum*, Halæ 1732. impressum, citabo.

morbo luctetur, quod hic homo *robustam*, alter *debilem* obtineat *naturam*, & quæ sunt alia. Quo etiam pertinet CELSI elegans monitum practicum, quando ait: (a). *Ante omnia scire convenit* NATURAM CORPORIS: *quia alii graciles, alii obesi sunt; alii callidi, alii frigidi; alii humidi, alii sicciores; alios adstricta, alios resoluta alvus exercet*: quæ profecto de anima minime dici aut intelligi possunt. *Quid igitur opus est*, cum hæc res adeo clara sit, *ad incertum, nondum probatum ac dubium prorsus actionum nostrarum principium, animam scilicet, recurrere?* præsertim cum hoc *nullum prorsus in curandis morbis efferat usum*; dum remedia nostra non in animam, sed in corpus agunt.

Mechanici Medici quare aliis in praxi præstent.

51. Igitur cum *corpus nostrum revera machina sive automatum artificiosissimum* sit, & omnia, quæ in eo fiunt, ex actionibus & fabrica ejus deduci possint, nemo autem automati aut *horologii defectus recte novit aut cognoscere, multo minus corrigere rite potest, nisi qui structuram ejus atque actiones singularum partium probe callet*, atque imprudens ille merito suo judicaretur, qui horologium nobile ac pretiosum rustico cuidam aliive rudi in his rebus homini reficiendum committeret. Ergo cum *veri Mechanici Medici*, qui semper *simul Anatomici & Physici*, ob tanto meliorem corporum naturalium cognitionem, *esse debent*, partium corporis situm, figuram, nexum, communicationem cum aliis partibus, structuram, actionem & usum optime sciunt, *sine dubio in curatione illis præstant, qui hæc ignorant*, aut ob ignorantiam, vel ob præjudicatam opinionem proterve contemnunt; de quibus vero recte dici potest, artem non habere osorem, nisi ignorantem: id quod quamplurimis, ac potissimum *ex Chirurgia*, tanquam parte Medicinæ, *depromptis exemplis*, ex quibus nunc solum luxatio-

 nes,

(a) Lib. I. Cap. 3.

nes, fracturas, gravia vulnera, suffusiones & fistulas oculorum, hernias, calculum vesicæ nominare sufficiat, quam *manifestissime demonstrari potest*.

Ductus naturæ non semper sequendus.

52. Porro Stahliani tanquam fundamentalem regulam practicam assumunt, *naturæ ductum in morbis esse sequendum, & Medicum non nisi naturæ esse ministrum*. Sed quemadmodum jam dudum multis rationibus & exemplis, in dissertatione *de Medico naturæ Domino*: (ad quam lectorem brevitatis caussa nunc remitto) hoc posterius, quam tritum & verum illud etiam multis minus cautis visum est, falsum esse docuerim, & quod *Medicus potius Director ac Dominus naturæ esse debeat*, demonstraverim, ita paucis hic examinabo, *an prius illud pro certa & firma regula*, cui cum Stahlianis promiscue fidere possimus, in medicina facienda *assumendum sit*. Haud quidem ignoramus, hoc dictum a Medicinæ Parente, HIPPOCRATE provenire; verum postquam cum CARTESIO jugum auctoritatis excussimus, HIPPOCRATI (adeoque & aliis) *non aliter credendum, quam ubi ejus precepta cum ratione & experientia conveniunt*. Nam ejus præcepta atque aphorismos quam plurimos *non in universum, sed solum in certis casibus certisque limitationibus, vera esse*, experientia & quamplurimi egregii Medici jam dudum observarunt.

Ubi sequendus.

53. Mechanicus igitur Medicus & hoc & alia ejusmodi præcepta non sequitur, *nisi ubi ea cum ratione & experientia probe convenire didicit*. Ut e.g. quando in febre, aut post errores in victu, æger quidam *de sapore amaro, nausea & conatu vomendi conqueritur*, ratio autem & experientia sæpius docuerint, vomitum in ejusmodi casibus ad vitiosum ex primis viis ejiciendum, prodesse, *ductum naturę recte hic sequitur*, quæ indicat, noxium ad superiora vergere, adeoque remedium pro hoc excitando idoneum merito ei exhibet. Deinde quando morbus occurrit; ubi cognoscimus, naturam

vi-

vitiosos humores vel sudore, vel exanthematibus per cutem expellere velle, ob eandem modo dictam rationem ductum hunc, jam in aliis multis ejusmodi casibus utilem observatum, & regimine & medicamentis convenientibus, recte sequitur. Porro *si in dolore capitis, vertigine, oculorum & aurium inflammatione, variolis ut & calore p. n. qualicunque, sanguinem e naribus prodire observat*, quia hæc excretio in ejusmodi malis, (nisi forte nimia sit) *plerumque salutaris observata est*, eaque natura a noxio vel abundante sanguine se liberat, *eam non impedit, sed promovere satagit*; atque idem etiam in plerisque casibus *de mensium & hęmorrhoidum fluxu*, itemque de multis *alvi fluxibus* facit: ita ut illud Hippocraticum, *quo natura vergit, eo ducenda, per loca scilicet convenientia*, (a) probe observetur. Verum quia multi casus & exempla, quæ contrarium quoque evincunt, facile afferri possunt, sequitur inde *hanc regulam non pro universali*, neque adeo simpliciter, sicut a multis Stahlianis proponitur, *habendam*; sed per prudentiam, practicam multis in casibus magnopere limitandam esse. Inprimis vero genuinus Medicus ex historiis morborum & felicibus curationum successibus probe perspectis, nosse debet, ubi, aut *quibus in morbis ductum naturę sequi, & ubi eum non sequi conveniat*; alias ipsum sæpissime graves in errores deducet. Si enim in machina nostra omnia, sicut decet, tam in sanitate quam morbis succedunt, *ut bonus eques aut auriga*, cujus equi officium suum rite perficiunt, *nihil mutare, sed naturam recte agentem sibi relinquere debet*, quia alias tantum turbaretur; id quod etiam *in bono horologio* est observandum. Sin vero aberrat & quidem tantum parum, blanda ratione in rectum tramitem est reducenda: nam multis in casibus, id quod etiam

(a) Vid. Sect. I. Aphor. 21.

probe sciendum, natura blande duci, sed vi non vult cogi. *Quando autem malum est vehementius*, ut leni modo scopum assequi non valeamus, tunc, ubi medicamenta parum sunt, *ferro & igne* sæpe cogenda, juxta HIPPOCRATEM: *Quicquid medicamenta non sanant, ferrum sanat; quod ferrum non sanat, ignis sanat; & quæ hæc non sanant, insanabilia sunt habenda*. Aphor. 6. Sect. VIII.

Ubi eum non sequi cõveniat, exemplo hæmoptysis, ostenditur.

54. Ut igitur *quam falsa & inepta hæc de natura sequenda sit Stahlianorum doctrina practica*, per exempla demonstrem, sumamus rursus *hæmoptysin*, morbum notissimum, de qua non solum, ut supra jam diximus, asseverant, *illam esse excretionem sanguinis noxii, a prudenti* (si Diis placet) *natura, in salutarem finem institutam*, ad corpus a sanguine illo liberandum: immo ut hoc magis probent, etiam dicunt, *animam magnos labores per motus tonicos*, & nescio quos alios, *impendere*, ut sanguinem corpori illi molestum *ad pulmones compellat*: adeoque hinc spirandi difficultatem, palpitationes cordis, angustias præcordiorum, tussim & alia mala inducere, *donec tandem scopum suum, perrumpendo pulmones, assecuta sit*, & sanguinem pleno agmine per illum rejecerit. Nunc gaudent Stahliani & quasi tripudiant, *quod anima ipsorum tam feliciter finem suum consecuta sit*, & tam nobilem sive heroicam prorsus actionem perfecerit, laudantque quam maxime ejus prudentiam & providentiam, quam pro sanitate hujus hominis in procuranda hac sanguinis excretione adhibuerit. Verum *cum eventus hujus excretionis sæpissime*, ut supra jam diximus, *funestus sit*, phthisinque perquam frequenter atque mortem post se trahit, *hunc ductum naturæ sequi stolidum potius*, atque a sana ratione alienum, adeoque omni modo, quia non fit per locum convenientem, prout *Hippocrates* hoc requirit, *evitandum esse* cum sanioribus Medicis Mechanicis esse arbitramur.

55. Quid itaque Mechanici in hoc morbo agant, & an eorum sententia atque curandi modus melius cum sana ratione & experientia conveniat, prudentibus dijudicandum paucis nunc proponemus. Accidit nimirum aliquoties, ut mihi ejusmodi ægri, quos Stahliani antea tractaverant, curandi mihi offerrentur, quibus hi Medici egregie quidem *illam salutarem*, ut vocabant, *animæ* in excitando hoc malo *actionem laudaverant*, multaque remedia ad hunc naturæ ductum, ut fideles ejus ministri, juvandum, adhibuerant; verum his ipsis, redeunte sæpius hæmoptysi, tantopere tandem debilitati & ad incitas redacti fuerunt, ut mortui magis quam vivi hominis imaginem referrent. Quoniam vero cognitu facile est, *temere hic agi, si quis ductum hunc naturæ sequi aut juvare velit*, qui a prudenti directore anima, *quia per locum convenientem non fit*, minime oriri potest; dum illa alia potius ratione, si in ipsius potestate hoc esset, alioque in loco se a noxio liberaret, quam in adeo periculoso: sed potius ex hoc ipso actu contra Stahlianos cognosci posse existimo, *malum hoc non ab anima, sed ex caussis mere mechanicis oriri*, sanguinemque per ea loca erumpere, ubi vasa sunt debiliora. Itaque & hic minime ductum hunc naturæ sequi consultum duco; sed potius omnem primo curam eo dirigendam esse puto, ut *copia sanguinis* alia via aliaque ratione *imminuatur*, *sanguinis motus vehementior temperetur*, *impetus sanguinis a pulmonibus* avertatur, atque tandem *pulmo læsus probe rursus glutinetur* ac roboretur.

Quomodo Mechanici eum considerent.

56. *Ad copiam igitur sanguinis minuendam* per manifestas rationes mechanicas egregie confert primo *parca victus ratio*; deinde *sanguinis per venas detractio*, ter vel quater, pro diversa ægrorum natura, per annum instituta; ac denique ob eandem caussam *frequens*, sed blanda *per alvum evacuatio*: quæ vero medicamentis *calefacientibus*, quæ

Quomodo eum curent.

sanguinem exagitant, qualia sunt aloetica, myrrhata & similia resinosa, immo & ipsæ adeo a Stahlianis decantatæ *pilulæ Beccherianæ & Stahlianæ*, quas tamen in plerisque fere morbis, tanquam panaceas extollunt & commendant, *fieri non debet*; sed potius temperatis refrigerantibus, ex. gr. *decoctis ex tamarindis, foliis sennæ, rheo & manna* aut similibus, convenienti copia sæpius adhibitis: quippe a quibus egregiam utilitatem in his ægris sæpius expertus sum, præsertim ubi jam novas in pectore congestiones ac molestias, quæ novam rupturam in pulmonibus minabantur, perceperant. Præterea *quoties aliquem calorem p. n.* sive sanguinis quasi ebullitionem *sentiebant* ægri, quæ ab acri alcalico vel bilioso sanguine, aut etiam a nimia vi elastica solidarum oriri solent *remedia temperantia & spasmos* sive rigiditatem fibrarum *minuentia*, qualia sunt lap. cancror. aut conchæ acido citri saturati, salia media, præsertim tartarus vitriolatus, arcan. duplic. nitrum & cinnabaris, in pulverem redacta, bis vel ter in die ad drachmam dimidiam, ex aquis refrigerantibus jubeo, donec illa mala remittant. *Pro pulmonibus denique læsis sanandis & roborandis*, infusa *herbarum traumaticarum*, ut veronicæ, scabiosæ, tussilaginis, pilosellæ, solidaginis, saniculæ, cum radice glycyrrhizæ & malvæ, itemque dactylis, passulis & ficubus remixtis, ad modum herbæ Theæ, bis vel ter in die, tepide, interpositis subinde blandis balsamicis, haurienda præcipio, eisque, præsertim ubi ægri a victus erroribus, quam solertissime abstinuerint, modiceque corpus quotidie exercuerint, non paucos, qui mortis vicini videbantur, Deo benedicente, hoc modo restitui. Atque hæc ipsa quoque vera sunt, atque agenda in *vomitu & mictu cruento*.

Ductus naturæ sequendus in inflammationibus.

57. Eandem fere & curandi & præservandi rationem in eis observo atque observandam suadeo in illis, qui *tonsillarum & faucium inflammationi*, aut

aut *ophthalmię*, *otalgię* vel *odontalgię*, ob sanguinem abundantem sæpe obnoxii sunt, quos omnes morbos *salutari naturę intentioni adscribunt Stahliani*, Adeoque quia in his, secundum hos naturæ intentio est, a nimia sanguinis *per hęmorrhagiam* narium vel *per abscessum* sese liberandi copia, *juxta eorum doctrinam minister naturę ductum hunc naturę sequi deberet*. Verum quam incerte ac difficulter hic scopus his in morbis per artem, sine metu graviora mala ægris inducendi, obtineatur, illi optime sciunt, qui in Medicina & observationibus faciendis ætatem fere consumserunt; non vero illi, qui hypotheses in museo ex ingenio fingunt.

Rectius ergo longe & securius omnes ii morbi curantur, *si ductum illum naturę non sequimur*; sed ut Medici rationales Mechanici, qui experientiam simul semper considerant, agimus. Exempli loco *in faucium inflammationibus*, quia prudenter rem ponderando cognoscere licet, minime sapientis naturæ institutum esse posse, per valde dolorificam *inflammationem* aut *abscessum* harum partium, qui sæpe maximis doloribus & suffocationis periculo comitati sunt, corpus a nimia sanguinis copia, quia plerumque *vix dimidiam puris unciam continet*, liberare velle; quippe a qua exigua quantitate tanta mala non essent pertimescenda: id quod & de *aurium*, *dentium* aliarumque partium inflammationibus & abscessibus, intelligi debet. Sed oriuntur potius hi tumores *ex mechanicis & physicis caussis*, quando v. c. *cuidam hę partes natura sunt debiliores*, sicut sæpe homines videmus, qui a prima juventute hisce malis sæpius exercentur, & vel aliqua humorum abundantia vel ebullitio, vel spissitudo, vel aer frigidior, corpore præsertim calente, accedat, facile ejusmodi mala concitantur.

58. *In his igitur nullo modo ad ductum naturę, qui nullus vel malus hic est, respiciendum*, sed potius quando ejusmodi morbum imminere & *humores*

Quid potius faciendum.

res abundare cognoscimus, sicut boni Mathematici aquas abundantes qui noxam aliquam ædificio, muro, vallo vel integro cuidam castello, urbi aut regioni inferre minantur, per alias vias a loco læso vel lædendo derivare solent; ita quoque *Mechanici Medici hos humores faucibus, auribus, vel oculis ruinam vel saltem ingentes dolores, abscessus noxasque alias minitantes*, ut mox dicetur, per alias vias abducunt & evacuant,

Quid potius faciendum. Præterea ad humores in faucibus hærentes dissolvendos sæpe prodest vel solum *infusum herbæ theæ* vel aliud simile sæpe haustum & *gargarisma resolvens*, quale egregium & euporisticum paratur ex spiritu vini & aqua flor. sambuci vel solis, vel pauca *salis ammoniaci, vel nitri aut aluminis admixta* quantitate, vel aliud ejusmodi, tepide sæpius adhibendum, præsertim si simul *pulvis temperans ac resolvens* §. 56. aliquoties in die assumatur, atque victus & aeris conveniens regimen servetur. Sequenti die, matutino tempore, si prædicta ad malum digerendum forte haud suffecerint, egregio cum successu ad humores in faucibus vel auribus congestos avocandos ea *potiuncula purgans*, quæ eodem loco indicata est, usurpetur, post cujus usum ejusmodi mala sæpissime sublata, & per alvum educta esse novi, ut aliis remediis haud opus fuerit. In casibus vero, *ubi major calor p. n. in sanguine, faucibus, auribus vel oculis percipitur*, vel eodem adhuc die, præsertim circa vesperam, quando malum a prædictis non minui observamus, *sanguinem per cucurbitulas* sub auribus, in collo, *& in dorso adhibitas*, (pedibus simul in pediluvium tepidum revulsionis gratia immissis) quam saluberrimo consilio evacuare ac simul revocare & sic hominem ut plurimum his in integrum restituere possumus. *Hoc si forte sequenti die nondum factum sit, vel potiuncula laxans*, si ante cucurbitulas nondum fuerit adhibi-

ta,

ta, vel venæ sectio in pede aut brachio magno cum fructu adhibetur, iisque ipsis *hæc mala plerumque quam* felicissime *tolluntur, quamvis nullo modo ductum naturæ sequamur.*

Nec in pleuritide ductus natura sequendus.

59. *Pleuritidem, peripneumoniam* & spirandi difficultates nonnullas Stahliani, licet quamplurimas alias easque manifestas caussas habere possint, *sapienti tamen quoque suæ naturæ directioni eas adscribunt*, cujus intentio esset, *sanguinem vitiosum vel abundantem*, quem hic congessit, per *sputum cruentum e pulmonibus expellere*, quæ vero ob certa & sæpe haud cognita obstacula, scopum suum assequi non posset, adeoque sanguis in pulmonibus, ac pleura hæreret, atque sic inflammationes in his partibus prædictosque morbos produceret. Sed præterquam quod haud verisimile sit, *sapientem animam sanguinem noxium ad organa vitæ primaria, summo cum vitæ periculo compellere*, ille profecto, qui hanc ipsorum doctrinam sequi velit, efficere deberet, *ut in omnibus hisce malis hæmoptysin produceret*. Verum periculosa & a sana ratione aliena hæc esset curatio, partim ex iis, quæ de hæmoptysi modo §. 54. diximus; partim ex eo, quod *ipsi prudentiores Stahliani ab hac curandi ratione recedant*, atque experientia edocti aliam curandi viam in his malis, quam hypotheses eorum requirunt, sequantur.

Quomodo procedendum.

60. *Quid igitur faciunt in pleuritide exquisita & peripneumonia* itemque in *spirandi difficultate, quæ a copioso & viscido sanguine*, circa præcordia hærente, *oriuntur*, Mechanici? Abundantem & viscidum sanguinem hic congestum partim per largas sanguinis missiones a pectore revocare, partim diluentibus & resolventibus medicamentis reliquum resolvere & in motum naturalem redigere student. Efficitur hoc, ut in præcedenti §. dictum est, *infusis herbarum* resolventium moderate calidis, *pulveribus* §. 56. laudatis dia-

pho-

phoreticis resolventibus atque camphoratis, immo & *essentiis ac potiunculis* ejusmodi temperantibus his subinde interjectis, cum regimine blando diaphoretico & potu sufficienti aqueo, subacidulo; atque externe, fomentis calidis digerentibus, præsertim *aqua vel lacte calido, vesicæ incluso*. Quibus ipsis, si stagnantis sanguinis qui obstructionem vel inflammationem fecit, resolutio obtinetur, quemadmodum sæpissime fit, etiam morbus tollitur. Quia vero *Stahliani hos morbos fere eadem ratione curant*, quis non perspicit, quod in his & similibus pluribus aliis malis, si recte curare velint, *necessum sit, ut hypotheses suas deserant*, illosque ductus natura, qui ad curationes noxias deducunt, *pro erroribus naturæ*, ad quos tunc, tanquam ad asylum confugiunt, *declarent*, atque, secundum rationalem mechanicum modum curationes suas instituant?

Mechanici nulla absona supponũt.

61. *Atque idem quoque in quamplurimis aliis morbis*, si limites dissertationis hoc admitterent, & speciatim in vomitu ac mictu cruento, lue venerea, herniis, visus & auditus vitiis, tumoribus, scrophulis, carcinomatibus, &c. facile ostendere possem. Interea tamen ex his pluribusque similibus, *præstantia Medicinæ mechanicæ elucet, quæ nusquam adeo incertis, absonis & contradictoriis*, ut vocant, *hypothesibus nititur*; sed omnia secundum mechanicas leges, sanæ rationis scilicet & experientiæ normam, instituit, ut vel *ipsi Stahliani ad eorum methodum sæpe confugere coguntur*, quando suppositam naturam vel animam ipsorum errare, ne & ipsi simul hic graviter errent, deprehendunt. Pergamus itaque, ut *nonnullas hic adhuc ex præcipuis Mechanicorum curandi regulis* exhibeamus, ex quibus prudens facile, quod rationales sint, judicare poterit.

Leges mechanicorum curandi in solidis.

62. *Si partes solidæ sunt nimis laxæ aut debiles*, eæ, vi contrariorum, (nam universalis fere regula practica est, *contraria contrariis curanda*] sunt roboran-

randæ; sin nimis adstrictæ & rigidæ, relaxandæ. (*a*)

2. *Si cohæsio sive unitas soluta*, ut in vulneribus & fracturis, *eæ rursus sunt conjungendæ* & conjunctæ ope fasciarum & quiete servandæ; ita beneficio circuli sanguinis affluunt humores idonei ad partes læsas rursus glutinandas. Deus enim pro immensa sua sapientia, partes nostri corporis ita fabricavit, ut in ossibus succus osseus, qui in callum abire & ossa fracta rursus, glutinare potest, vi fabricæ ipsorum præparetur & separetur, qui etiam ea glutinat; in musculis autem, cute & reliquis mollibus partibus succi quoque ipsarum naturæ convenientes, ita, ut *frustraneum prorsus sit animę directionem dubiam*, quæ hoc efficiat, cum Stahlianis *hic advocare*, atque ejus hac in re sapientiam aut vim, quam non habet, collaudare; cum ex sola harum partium fabrica & generatione hoc secretionis & glutinationis negotium satis apte explicari comprehendique queat.

3. *Si partes naturales clausæ, aut p. n. cohærent*, illæ sunt dividendæ & divisæ servandæ. (4.) *Si ex situ naturali dejectæ*, sicut ossa in luxationibus, intestina in herniis, uterus in uteri prolapsu, &c. *in naturalem situm & ordinem sunt redigendæ*, atque in eo quoque, quantum satis est, continendæ. (5.) *Si quid in corpore abundat* aut supervacaneum adest, illud qua fieri potest, commodissima ratione auferendum; sin deficiat, addendum. (6.) *Si mala aliqua conformatio corporis peccet*, ea est emendanda; quæ vero omnia non melius, quam mechanica ratione, præstari posse, res ipsa loquitur.

63. Deinde *in partibus fluidis peccantibus* in universum quoque apud Mechanicos Medicos generalis valet illa regula, *contraria contrariis curantur*: ut

In fluidis.

(*a*) Hanc regulam veterum Medicorum *de laxo vel stricto* & Stahliani Mechanici Medici diligenter & recte, quia valde rationalis est, inculcare solent.

ut *si sanguis abundat* atque morbos creat, aut creare minatur, hi, ut alii Mechanici, qui, ubi nimiæ aquæ loco cuidam, quem satis roborare nequeunt, noxam intendunt, eas vel minuunt, vel ad alia loca deducunt, sicut §. 58. dictum est, sanguinem quoque minuunt, & per alia loca, missionibus sanguinis, purgantibus, diureticis, diaphoreticis, sudoriferis aliisve evacuantibus educunt. *Si ventriculus & intestina saburra sordium* aut rerum noxiarum nimis repleta sunt, ea quoque, ut alias Mechanici impura receptacula & canales mundant, aqua, vomitoriis & eis, quæ per alvum educunt, expurgant. *Si defectus humorum* adesse percipitur, sicut Mechanici alii aquis aliunde adductis hunc defectum resarcire, ita & Medici deficiens idoneo potu, victu & remediis restituere satagunt. *Si prava sanguinis qualitas peccat*, eam quoque suis contrariis, ex physica & chemia cognitis, corrigunt. Ubi *spissitudo*, eis, quæ humores spissos resolvunt, aqueis scilicet, decoctis, salinis alcalicis & mediis, quandoque & mercurialibus, ubi hæc prodesse usus docuit, resolvitur: *ubi tenuitas* nimia, ea lacte, gelatinis, farinosis, gummosis &c. inspissatur. *Si humores* sunt *nimis salsi*, aqua & lacte ii demulcentur; *si acidi*, alcalicis; *si alcalici*, acidis corriguntur ac simul aqueis. Quando *in nimio motu & calore sunt constituti*, illi motus nimii, una cum calore p. n. minuuntur, nitro, blandis acidis, cinnabari, potu aquæ, regimine frigidiusculo. Sed *si motus sunt nimis languidi & calor deficiens*, excitandi vino, spirituosis, aromaticis, aqua cinamomi, cort. aurantiorum vel citri aliisve similibus, varia ratione adhibitis: quo etiam sæpe referri possunt martialia, cort. chinæ, resinæ & gummata nonnulla. Sed *natura Stahliana hic prorsus nihil efficere valet*, licet hæc virtus præ ceteris ei ab ipsis tribuatur; nam experientia docet, *eam nimis languidos cordis motus non excitare*, *& nimis ce-*

le-

leres haud quicquam voluntate sua retardare posse.

64. Denique quoniam nonnulla corporis vitia vix nisi *specificis* apte corrigi possunt, *sicut in febribus intermittentibus, lue venerea, affectibus uterinis, vigiliis & doloribus* nimiis conspicimus; Mechanici etiam *specifica remedia*, quæ speciatim huic vel illi malo contraria esse per experientiam cognoverunt & postea etiam ex parte per rationem deprehenderunt, haud contemnunt; quia *omnia, quæ vel ratione vel experientia vera atque proficua esse cognoverunt, in Medicina facienda assumunt*, & ex præjudicio, sicut Stahliani cum *cortice peruviano, marte, camphora, opio* aliisque nonnullis contra experientiam tot egregiorum Medicorum faciunt, non contemnunt; præsertim si debita prudentia, in subjectis idoneis, opportuno tempore atque apta quantitate, immo & præmissis, ut ajunt, præmittendis, adhibeantur: dum revera, si his cum observationibus usurpantur, ut multi ex Stahlianis, qui vel clam vel palam iis utuntur, ipsi agnoscunt, nullum damnum inferunt; sed quam maxime salutares effectus, qui ab aliis frustra exspectantur, exerunt.

Quid de specificis sentiendum.

65. *Nusquam vero magis & manifestius Mechanices in Medicina præstantia*, quam in antiquissima & præstantissima illa Medicinæ parte, *quæ Chirurgia appellatur, se ostendit*: quippe *omnia, quæ in hac fiunt, mechanica ratione contingunt*, atque aliter fieri profecto nequeunt, animæque Stahlianæ impotentia quam maxime in Chirurgia cognoscitur. (*a*) Nam *luxationes & fracturæ ossium* non nisi mechanica ratione restitui possunt; *vulnerum* oræ mechanico modo junguntur & glutinantur, atque *profusiones sanguinis eorum* meris mechanicis artificiis, ut compressione, ligatura, torcularibus, &c. cohibentur.

Mechanica in Medicina chirurgica maxime excellit.

Ve-

(*a*) Videri uberius hanc ob caussam potest STENZELI dissert. de *natura Stahliana in chirurgia impotentia*, Vitebergæ. 1729. 4.

Venæ, *arteriæ*, *abscessus*, *fistulæ* scalpellis inciduntur, *ossa* cuneis, forcipibus aut ferris resecantur; *peregrina e vulneribus* & aliis locis, digitis, vulsellis, forcipibus, hamis, specillis aut uncis extrahuntur; *vulnerum ac labrorum leporinorum oræ* acubus adunantur; *calvaria* aliave ossa *terebris*, *si opus est*, *perforantur*; *luxationes* subinde non nisi machinis iisque sæpe artificiossimis restitui possunt; *scarificationes*, *ustiones*, *suffusiones*, *fistulę lacrymales*, aliæque multæ operationes oculorum, nasi, aurium, dentium, sua peculiaria ferramenta & artificia mechanica desiderant, id quod & *de collo & dorso incurvato*, *pedibusque distortis* in ordinem redigendis recte dici potest. An non *acus illę triangulari cuspide donatę*, quibus aquam *hydropicis* atque *hydrocele* laborantibus educimus, & *vincula*, *quibus hernias curamus*, itemque illa ferramenta, *quibus urinam & calculos e vesica educimus*, secundum mechanicas regulas agunt? *Verbo*, *in omnibus his Medicus*, *ut prudens Mechanicus*, *agit*: non solum attendendo ad fabricam & situm partium, ne partes utiles & vitandas lædat, sed etiam ut instrumentis suis ita uti sciat, quo nullum damnum iis inferat; verum quantum fieri potest, *tuto*, *cito & jucunde* actiones suas instituat.

Præstantia Mechanices in Medicina strictim repetitur.

66. Denique *ut Mechanices in Medicina præstantiam* paucis complectamur, asseverare hic non dubitamus, 1. quod *quicquid boni & certi in doctrina de usu partium habemus*, illud omne Medicis, qui Mechanice partium fabricam, situm, nexum & actionem pervestigarunt, & secundum illius leges harum usus prudenter exposuerunt, debeamus. 2. Quod & ab iis didicerimus, *omnes quoque morbos ex caussis mechanicis in corpore oriri*, adeoque & eos mechanica quoque ratione tollendos esse. Ex quibus simul sequitur, eas curationes, quæ principiis mechanicis non nituntur, ut quas *sympatheticas* appellant aliasve similes, nihil certi præstare & *sæpe* non

non nisi aniles sapere fabulas, sicut frequens experientia docuit. 3. *Mechanici ad laudem summi Numinis docuerunt*, quod artificiosissima nostri corporis machina ab ipso tam mirabili sapientia efformata sit, ut non modo seipsam, sine animæ adjumento, quam diutissime sanam conservare, verum & *sub naturę nomine*, quando male afficitur, *sæpe sola rursus noxia emendare aut expellere, seque ipsam* sic in statum sanum ut §. 49. ostendimus, *restituere valeat*. Immo 4. & Mechanicis Medicis debemus *inventionem tot prestantissimorum instrumentorum chirurgicorum*, quibus complura gravissima corporis mala curare possumus, & *sine quibus Medicina practica admodum manca*, quamplurimi autem ægri miserrimi & insanabiles essent. Testes hujus rei sunt *scriptores & veteres & recentiores, qui res chirurgicas descripserunt* atque idonea ferramenta delinearunt, qui *revera Medici Mechanici fuerunt*; quos autem, ne nimis longus sim, hic recensere nolo, sed ad Chirurgiam meam lectores ablegabo; in qua quicquid fere hucusque boni in hac Medicinæ parte præstitum est, quasi in compendio videri poterit.

Conclusio.

67. Atque sic *Medicinę Mechanicæ præstantiam, præ Stabliana* ceterisque forte simul reliquis sectis, quæ a Mechanica recedunt, satis nos evicisse arbitramur. Potuissent quidem, fateor, omnia hæc longe adhuc uberius exponi; verum quia jam ob rerum hic dicendarum copiam prolixior fui, ut brevior sine obscuritate esse vix potuerim, hæc nunc pro argumento hoc demonstrando sufficiant, dum plura ex ipso hoc libello petere possunt; quem post diuturnam experientiam, ut ægrotis & Medicinam discentibus hoc ipso prosim, conscripsi, & ut malevolos, qui, me non nisi Chirurgum esse atque internorum morborum curationes ignorare, apud Magnates sæpe calumniati sunt, hoc ipso aliqua ratione confundam, & quænam mea sit fueritque curandi methodus demonstrem.

CON-

CONSPECTUS CAPITUM

quæ hoc in Libro continentur.

CAP. I. *De plethoræ morbis.*

II. *De febribus in universum, & speciatim de intermittentibus.*

III. *De febribus continuis, & 1. acutis.*

IV. *De febribus exanthematicis, & speciatim de variolis ac morbillis, quibus purpuratæ, petechialis, & scarlatina subjunguntur.*

V. *De febribus acutis stomachicis & intestinalibus, quibusdam mensentericis dictis.*

VI. *De febribus lentis & hecticis.*

VII. *De inflammationibus.*

VIII. *De hæmorrhagiis sive fluxibus sanguinis.*

IX. *De hæmorrhagiis sive fluxibus sanguinis suppressis.*

X. *De congestionibus & doloribus.*

XI. *De cachexia & cachecticis affectibus.*

XII. *De obstructionibus.*

XIII. *De fluxibus, sive fluxionibus, iisque maxime serosis.*

XIV. *De præcipuis sensuum morbis.*

XV. *De motus læsionibus.*

XVI. *De ventriculi & intestinorum morbis.*

XVII. *De morbis sexus fœminini præcipuis.*

XVIII. *De morbis infantium ac puerorum.*

XIX. *De venenis.*

XX. *De aquarum medicatarum natura & usu.*

LAURENTII HEISTERI COMPENDIUM MEDICINÆ PRACTICÆ

Sive de optima morbos internos & cognoscendi, & curandi ratione.

INTRODUCTIO.



SI quis artis salutaris Candidatos firma solidaque Medicinæ practicæ, quæ victu & medicamentis medetur, *fundamenta*, [nam de Medicina, quæ manu sanat, alibi diximus], rarione facillima, optimaque, docere satagit, ei utilissimum, immo quam maxime necessarium esse existimo, ut postquam *theoreticam*, quam vocant, *Medicinam*, non ex fictis aut suppositis, sed ex *anatomicis*, & *physicis*, atque mechanicis principiis, tanquam genuinis & veris illius *fundamentis*, probe addidicerint, memoriaque comprehenderint, morborum curandi rationes, non ordine alphabetico, neque secundum corporis partes, ut haud pauci Doctores artisque salutaris Professores fecerunt, tradat, quippe quod multis repetitionibus molestis, aliisque incommodis obnoxium est; sed ita potius rem suam instituat, ut *morbos affines*, *tanquam species*, *ad unum genus sive classem pertinentes*, *simul & sub una quoque classe* [sicut fere in re herbaria fieri solet] *comprehendat*, atque sic uniuscujusque classis

morborum ideam, naturam, caussas, signa generalia, effectus, mutationes, eventus, rationem medendi, & quid in unaquaque classe potissimum observandum, faciendum, fugiendumque sit, ipsis generatim bene exponat; ita enim specialiorum morborum, ad quamvis classem pertinentium, natura & curatio, [quæ maxima ex parte ipsis communis est], longe melius quam in antea dictis tractandi modis Æsculapii filiis patefient, eorumque memoriæ imprimentur, ut deinde quid in quovis occurrente ægro ac morbo optime sit agendum, facilius intelligere, rectiusque dijudicare atque efficere valeant. Hoc itaque est, quod in hoc libello, jam a longo tempore in gratiam potissimum Auditorum meorum quam facillima ratione, attamen haud perfunctorie, neque sine magno ac diuturno labore, quia ejusmodi satis idoneum aut perfectum [a] compendium, supra dictis fundamentis superstructum, haud prostat, præstare annisus sum, atque hactenus in multis fructum ejus percepi uberrimum, speroque ut & in posterum diligentiores eum abunde sint percepturi.

CA-

(a) *Boerhavii* quidem Aphorismi egregium ex hisce principiis conscriptum est compendium; sed quia primo multos morbos & quidem admodum frequentes, & graves omittit, eorumque curandi rationem prorsus prætermittit, ac deinde scribendi genere perquàm difficili utitur, quod multi intelligere vix possunt, pleniori ac faciliori compendio tironibus opus esse judicavi.

CAPUT PRIMUM,

De Plethoræ Morbis.

I.



UM vero *quamplurimi morbi multas ob rationes a plethora* mihi oriri videantur, quia scilicet plerique homines quotidie fere plura alimenta assumunt, quam pro nutritione corporis & vitæ suæ conservatione indigent, atque simul otio nimis, quam par est, indulgent, motumque corporis ac labores, sanitati adeo utiles ac necessarios, intermittunt, imo omni studio fugiunt; mirum non est, copiam sanguinis in ejusmodi hominibus plus justo augeri sive coacervari, atque sic id, quod Græci *plethoram* vocarunt, generari, idcirco vasa sanguifera, ab ea nimis repleri, distendi & quasi infarciri, eamque sic minora vascula vel obstruere vel comprimere, vel, dum a vegeto corde, causisve violentis fortius urgetur, ea perrumpere, unde sanguinis profusiones, vel saltem circulum sanguinis expeditum ac liberum impedire, cordique, propter pondus hujus auctum, valde resistere, ita ut necessario multis, eisque gravissimis malis, ut obstructionibus, tumoribus, doloribus, spasmis, profusionibus sanguinis, quas *hæmorrhagias* vulgo appellant, inflammationibus, febribus, convulsionibus, epilepsiæ, vertigini, apoplexiæ, aliisque morbis quamplurimis hoc ipso ansa præbeatur: hinc a plethora praxeos nostræ medicæ initium facere consultum duximus.

Plethora quid & unde.

II.

Plethora divisio.

Est vero plethora vel *simplex*, quando sanguis bo-

bonus, nondum depravatus, aut vitiosus, copia solum excedit, sive majori quantitate adest in corpore, quam ejus conservatio & sanitas requirunt, aut vasa commode ferre, vel cor apte propellere valent; vel *complicata*, quando is spissitudine sive crassitudine notabili, acrimonia vel salina vel biliosa, atque inde producto calore p. n., orgasmo, aut alia vitiosa humorum qualitate simul peccat. Praeterea plethora vulgo dividitur in eam, quae est vel *ad vasa*, vel *ad vires*: illa dicitur, quando venae a sanguine ita impletae vel repletae sunt, ut valde turgeant; haec vero, quando cum abundantia sanguinis ex caussis [N. I.] nata, sine notabili vasorum expansione, insignis torpor, lassitudo, aut debilitas corporis simul adsunt.

III.

Plethoram dari, probatur.

Dari autem *plethoram*, inter alia, contra *Helmontium* ejusque asseclas, patere existimo 1. ex modo dictis [N. I.] de nimia satietate sive excessu in victu; 2. ex motus voluntarii & laboriosi apud plurimos defectu; 3. ex spontaneis sanguinis profusionibus, saepissime aegros & sanos a variis malis levantibus, aut omnino liberantibus; 4. ex manifesta utilitate evacuationum sanguinis artificialium in praeservatione & curatione morborum quamplurimorum, quam experientia frequens, a longissimo tempore docuit; 5. ex morbis & symptomatibus evacuationes sanguinis naturales suppressas, vel naturaliter etiam cessantes, saepissime consequentibus; 6. ex frequentissima & manifesta noxa, quae evacuationes sanguinis consuetas naturales suppressas, vel artificiales neglectas, brevi, ut plurimum, excipere solet.

IV.

Diagnosis.

Cognoscimus vero *plethoram* adesse in homine, licet forte ejus vasa haud turgeant, 1. ex *lauto victu* praegresso, inprimis si accedat simul vita otiosa; 2. ex *appetitu bono* & facili ciborum concoctione,

dum

dum bene se habent; 3. ex *corporis & speciatim faciei constitutione florida & rubicunda* in sanguineis; in cholericis vero & melancholicis, ex venis notabiliter turgescentibus; 4. ex somno in nonnullis, præsertim sanguineis & laxo corporis habitu præditis, multo, profundo; in cholericis vero & melancholicis, inquieto, turbulento, cum anxiis sæpe insomniis; 5. ex *inusitato corporis, artuumque torpore & gravitate*; 6. *subita defatigatione* a labore, ambulatione, vel motu qualicunque *inconsueto aut paulo fortiori, cum respiratione difficili, aut palpitatione cordis*; 7. ex *vertigine*, præsertim si caput subito deorsum & iterum sursum movetur; 8. *gravitate* aut *dolore capitis* frequentiori aut diuturniori, sine alia caussa manifesta; 9. ex *pressionis & anxietatis sensu* frequenti circa præcordia; 10. ex *hæmorrhagiis spontaneis* sæpe accidentibus; 11. *levamine* ex *spontaneis* aut artificialibus sanguinis evacuationibus; 12. ex *evacuationibus sanguinis naturalibus suppressis*, vel artificialibus consuetis neglectis.

V.

Quinam plethoræ subjecti.

Subjecti igitur sunt plethoræ quam maxime, 1. homines *victu largo* sive *pleno utentes & simul otiosi*, aut vitæ sedentariæ dediti; adeoque & cumprimis litterati, si parco non fruantur victu, cujuscunque etiam sint ætatis, senes æque ac invenes; 2. qui *evacuationibus sanguinis spontaneis* quibuscunque antea adsueti fuerunt, quæ vero jam suppressæ sunt; 3. qui evacuationibus sanguinis artificialibus aliquandiu usi sunt, eas vero postea, victu haud diminuto, ob quascunque rationes intermittunt aut negligunt; 4. qui *vitam antea mobilem aut laboriosam* in sedentariam atque otiosam mutarunt, & tamen victu parciori, quam antea, non utuntur.

VI.

Caussa ejus.

Hinc *caussa plethoræ primaria est victus plenus*

cum otio, aut vita ſedentaria conjunctus; & deinde *ſuppreſſio evacuationum ſanguinis conſuetarum*, ſive naturalium ſive artificialium; itemque *tranſpiratio impedita*, vel prorſus cohibita: inde fit, ut plethora multorum morborum fœcunda evadat mater, licet per ſe morbus primo & proprie non ſit.

VII.

Prognoſis. Quod *ad prognoſin* attinet, ſciendum, plethoricos facilius, adeoque *ſæpius morbis eſſe expoſitos, quam alios*; præcipue vero periculoſis *profuſionibus ſanguinis*, *febribus acutis*, atque *inflammationibus* internis & externis, itemque *obſtructionibus*, *deſtillationibus*, ſive catarrhis, *ſpaſmis* ac *doloribus* omnis generis, & quam maxime etiam *mortibus ſubitaneis*, ut apoplexiæ, catarrho ſuffocativo, polyposis concretionibus in corde vaſisque ſanguiferis. Speciatim vero *plethora*, *quæ a ſuppreſſis hæmorrhagiis conſuetis* provenit, facilius ac citius plerumque morbos excitat, quam reliqua; Ita & *complicata*, ubi ſimul ſanguis valde viſcidus aut pituitoſus, plures & graviores morbos producit, quam ſimplex; hæc enim quam maxime lædit liberam circulationem, reſpirationem, ſecretiones atque excretiones: & hinc obſtructiones vaſorum, tumores, inflammationes & corruptiones humorum oriuntur quam plurimæ ac variæ.

Si *cum acrimonia*, præſertim alcalica, aut biliosa, atque inde nato ſanguinis calore p. n. ſive *orgaſmo* combinata eſt, graviora quoque, quam ſimplex, mala inducit, adeoque, quantum fieri poteſt, evitanda.

VIII.

Præſervatio & Cura ſimpliciſſima. In præſervanda vero & curanda plethora duo præcipue requiruntur: primo victus, ſive *diæta moderata* aut parca, & deinde *motus corporis frequens*; qui enim hæc rite obſervabit, a morbis plethoræ liber erit, & præcipua ſine ſumtibus et pretio, quæ Deus gratis unicuique largitur, adver-

versus quam plurimos hos morbos novit & possidet remedia (*a*). Quia vero plerique delicatiores ac ditiores, gulæ magis indulgentes, quam sanæ rationis ductum sequentes, vilia hæc, licet efficacissima atque certissima remedia, renuunt, & ignaviæ, gulæ ac voluptatis caussa, adhibere aut observare nolunt; hinc fit, ut hi non solum quam plurimis morbis acutis & tardis corripiantur, verum etiam, ut multi eorum morbi chronici, v. gr. articulorum morbi, podagra, hæmorrhoides, hypochondriaca mala, obesitas nimia, cachexia, hydrops, respiratio difficilis, asthma, catarrhi varii, febres chronicæ ac lentæ, hectica, calculi, &c. funditus curari in eis non possint. Oportet enim, ut divus HIPPOCRATES monet (*b*), *non solum Medicum, sed & ægrum, imo & adstantes suum facere officium*, si optatum finem hic obtinere concupiscit.

IX.

artificiosa magis.

Quoniam autem quamplurimi, præsertim Magnatum, divitum ac gulæ deditorum, ut modo (N. VIII.) dictum est, hoc non faciunt aut observant, sed victus rationem, sive uno verbo, *diætam* ac motum negligunt, & tamen a Medicis desiderant, ut eos ab ejusmodi morbis, non solum curent, sed & præservent; quapropter, quia hic diætæ neglectus plerosque morbos post se trahit, adeoque Medicis maxima confert emolumenta, (dum jam diu a priscis *intemperantia nutrix Medicorum appellata* est), Medicus, ut quantum in se est, ac fieri potest, sanitatis eorum curam gerat, alias easdemque magis artificiosas ac cariores & præservandi & curandi rationes, aliaque remedia,

(*a*) Confer. uberius Regulæ pro sanitate conservanda in Compendio nostro Institut. Medicar. datæ p. 14. (*b*) Aphorism. I. Sect. I.

dia, plethoræ adverſa, tam ex pharmacia quam chirurgia, ſubſtituere cogitur: & primo quidem præſervandi cauſſa *purgationes alvi*, ſæpius, ſingulis circiter menſibus, aut in quibusdam adhuc frequentius, pro rerum circumſtanrium & malorum varietate, repetitas; deinde *ſanguinis miſſiones*, vel per *venæ ſectionem*, bis in anno, ut circa æquinoctia, aut quandoque frequentius, ut ter vel quater in anno, ſingulis ſcilicet tribus vel quatuor menſibus inſtitutam; vel etiam *ſcarificationes*, ſingulis nimirum, aut duobus vel tribus menſibus repetitas, quibus etiam tertio *ſudores*, vel ſaltem largior *tranſpiratio*, ſæpius, matutino tempore, in lecto commode & magno cum fructu, jungi poſſunt. Atque eadem etiam *in curatione morborum a plethora*, ſive ſanguinis abundantia oriundorum, ſunt facienda, *ubi tamen ſanguinis* juſta & opportuna detractio remedium princeps eſt.

X.

Si cum viſcido complicata.

Ubi vero plethora compiicata, & *ſpiſſitudo*, ſive ut vulgo dicunt, *cachexia plethora juncta eſt*, tunc præter dicta, etiam remedia hanc *digerentia atque attemantia* ſunt uſurpanda: ſicuti ſunt omnis generis infuſa herbarum, radicum, lignorum, corticum, aliorumque remediorum attenuantium, reſolventium, amaricantium, vel grato odore gaudentium, imprimis & nominatim herbæ theæ, veronicæ, betonicæ, ſalviæ, card. bened. trifol. fibrini, ſaponariæ, rad. ſcorzoneræ, cichorei, ſarſaparillæ, chinæ, lign. ſaſſafras, juniperi, ſantali, &c. cum aqua fervente, infuſione vel leni coctione, parata; præterea omnis generis Tincturæ, Eſſentiæ, & Elixiria, eandem virtutem obtinentia, cumprimis amara atque, blanda aromatica, ut Eſſ. abſinth. ſimplex & compoſ. fumariæ, trifol. fibrin. card. bened. ſcordii, cortic. aurant. rad. gentian. amara Hallenſis, pimpinelnæ, aliaque ſimilia. Elixiria quoque varia ſtomachica hinc inde in officinis uſi-

uſitata & extracta amara; Tincturæ porro ſalinæ acres, ut Tinct. tartari, antimonii, tartarizata, liq. terræ foliatæ tartari, ac ſæpe ipſæ *aquæ medicatæ* ſive *minerales*, egregia ſane & valentiſſima ſæpius his in morbis remedia; quæ vero, niſi evacuatio ſanguinis ſufficiens eorum uſum præcedat, debitaque ratione & prudentia uſurpentur, parum vel nihil proficiunt, imo perverſo uſu potius nocent. Cæterum in curatione hujus plethoræ *victus ſit partus* ac moderatus, vitenturque glutinoſa, viſcida, pinguia, dura, legumina, farinoſa & ſimilia.

XI.

Si cum calore.

Si *æſtus ſive orgaſmus ſanguinis concurrit cum plethora*, qui ab acribus, alcalicis ſalibus, vel & a ſulphureis ſanguinis particulis copioſioribus oriri videtur, tunc *medicamenta temperantia* appellata, ut lap. cancr. & conch. citrat. hisque ſimilia quam plurima, potus aquoſus, nitroſa, ſalia media & lenia acidula conveniunt; ut ſal abſinthii, card. benedicti, centaur. minor. &c. nitrum depur. nitrum regenerat. nitrum antimoniatum, arcan. duplicat. tartarus vitriolatus antimonium diaph. pulvis temperans noſter, aliusve ſimilis; Tincturæ *acidæ*, ut Tintura roſar. flor. bellid. papaveris, *ſpiritus acidi*, dulces redditi, & ſimilia. *Victus* ſit refrigerans & leniter acidulus; hinc pleraque vegetabilia blanda, acrimonia fervida deſtituta, his optime conveniunt, imo & *uſus moderatus fructuum horæorum* bene matutorum his non nocet: *carnes* vero & quæ inde parantur, *aromata*, cibique & potus omnes *calefacientes* atque inebriantes ſerio vitentur.

XII.

Si hæmorrhagia ſuppreſſa.

Si narium hæmorrhagia, menſes aut hæmorrhoides ſuppreſſæ ſunt, harum fluxus propriis remediis, (de quibus infra ſuo loco), eſt reſtituendus, quo facto, ſymptomata inde producta brevi plerumque ceſſant, & tunc artificiales ſanguinis evacuationes, ſi fluxus rite rurſus procedat,

ſæ-

sæpissime intermitti possunt; *sin vero hæ evacuationes sanguinis restitui nequeant*, dum quandoque omnium remediorum vim eludunt, *sanguinis missiones artificiales* [N. IX.] *substituendæ* sunt; id quod etiam fieri debet in hæmoptysi, vomitu cruento, & mictu cruento, utpote quæ sanguinis vitiosæ excretiones, quando quiescunt, minime irritandæ aut resuscitandæ; sed potius per artificiales avertendæ: quo ipso autem Medicus ductum naturæ tunc non sequi, ut multi hodie volunt, & Ministrum ejus agere, sed potius *ejus debet esse director & dominus*; ut uberius evici in Dissertatione de Medico naturæ domino.

Monita practica.

1.

Qui frugali utitur diæta & motu corporis frequentiori, vel laboribus aut exercitationibus se frequenter exercet, dum sanus est, efficacissima possidet remedia contra plethoram & omnes inde pendentes morbos, atque evacuationibus artificialibus vix aut raro saltem indiget.

2.

Ubi venæ sectio requiritur *plethoræ solum minuendæ gratia*, perinde mihi esse videtur sive in brachio, sive in pede ea celebretur. Interim tamen multi malunt, ut *apud juniores in brachio*, post annum vero quinquagesimum *in pede* semper instituatur; id quod tamen non est perpetuum, quia res id sæpe aliter requirit.

3.

Si hominem *morbi plethoræ affligunt in partibus supra diaphragma*, ut in pectore, verbi caussa, hæmoptysis aut respiratio difficilis; vel in capite, dolor capitis, vertigo, apoplexia; in oculis, inflammatio, &c. phlebotomia in pede revulsionis gratia uti-

utilius plerumque perficitur; *sin vero infra diaphragma*, eandem ob revulsionis caussam, in brachio, nulla ætatis habita ratione, sanguis educatur. *Excipiendæ tamen mensium & hæmorrhoidum obstructiones*, ad quas reserandas aut revocandas, venæ in pedibus sunt secandæ, quando vero nimis fluunt, revulsionis gratia, in brachio. Interea tamen optimo etiam cum successu in variis capitis, oculorum, faucium & pectoris morbis, & præcipue inflammationibus earum partium, sanguis quoque e venis brachii educitur.

4.

Sanguinis missio nimis parca in homine valde plethorico nihil proficit, atque non raro febres aut arthriticos affectus post se trahit: hinc sufficienti copia pro abundantiæ, morbi aut ægri diversitate, semper educatur.

5.

Phlebotomias in variis paroxysmis, ut febrium intermittentium & arthriticis institutas, aut in fluxu menstruorum, aut hæmorrhoidum, aut narium modico, sæpius nocere, atque naturam turbare observatum est; adeoque expectandum tunc est utplurimum cum sanguinis detractione, si ea opus est, donec paroxysmi præterierint, atque interea medicamentis temperantibus blande resolventibus ac diaphoreticis agendum. Attamen inde non sequitur, ut nonnulli male docent, *ac si in nullo paroxysmo vena secanda sit*; cum potius contra *in hæmorrhagiis nimiis* quibuscunque, revulsionis caussa, summo cum fructu, imo fere necessario sæpe instituatur, *itemque in asthmaticis, suffocativis & apoplecticis paroxysmis*, a plethora oriundis, sine periculo omitti aut differri solum sæpe non possit.

6.

Sanguinis missiones, quæ præservationis gratia instituuntur, magis prodesse observantur, *si circa æquinoctia, vere* nimirum & autumno, quam si circa

ca solstitia vel alio tempore fiant. Attamen valde plethoricis, vel ubi consuetudo jam invaluit, præsertim in vegetis ac robustis, *sæpius quam bis*, adeoque etiam magno cum fructu circa solstitia sanguis abundans educitur: cumprimis vero iis, qui hæmoptysi, palpitatione cordis vehementi, animi deliquiis, metui apoplexiæ, mictui sanguinis, fluxui mensium vel hæmorrhoidum nimio, aliisve similibus plethoræ morbis obnoxii sunt.

7.

Qui *scarificationes lubentius admittunt quam phlebotomiam*, vel *qui phlebotomiam vehementer*, ob quamcumque etiam caussam, *aversantur*, quales multos novi, vel *quibus venæ non facile incidi possunt*, ii eundem effectum & utilitatem, quicquid nonnulli obloquuntur, inde expectare possunt, quam a venæ sectione, ut sæpe observavi, si modo larga satis sanguinis copia iis educatur, eæque certis temporibus, sicuti venæ sectiones, pro indole morbi & ægri repetuntur.

8.

Qui vero evacuationibus ejusmodi per aliquod tempus *sunt assueti*, nisi vitæ genus quietum in mobile sive laboriosum transmutent, aut victu parciori utantur, utplurimum ad seram usque ætatem, licet etiam *octogesimum annum superaverint*, *eas continuare debent*, neque temere prætermittunto. Falsum enim est, *sanguinis missionem senibus omnibus*, *ut multi putarunt & adhuc putant*, *esse noxiam*; aut, ut nonnulli dixerunt & adhuc dicunt, *senibus sanguinem potius emendum & in venas infundendum*, quam educendum aut subtrahendum esse.

9.

Plethorici imbecilles sive valetudinarii *ab abusu omnium calorem nimium sive orgasmum sanguini inducentium*, tam in victu quam medicamentis, abstinere & sedulo sibi cavere debent.

Item-

10.

Itemque *a motu nimis violento ac ſubitaneo*, quia palpitationes cordis, animi deliquia, apoplexiam, ſanguinis profluvia, ac ſpeciatim hæmoptyſin, aliaque multa graviſſima mala hoc ipſo ſibi concitare poſſunt, frequentes vero & *moderatæ ambulationes*, vectiones, equitationes aliæve ejuſmodi modicæ exercitationes his egregie conveniunt; hancque ob cauſam *aquæ minerales tantos ſæpe multis in morbis gravibus exerunt effectus*: quia homines, in earum uſu, frequenti & fere continua utuntur exercitatione ac ſimul moderato victu, quæ profecto ad ſanitatem quam maxime conferunt.

CAPUT II.

De Febribus in univerſum, & ſpeciatim de intermittentibus.

I.

Febris morbus frequens.

QUoniam Febres morbi ſunt frequentiſſimi & communiſſimi, ita ut effato celeberrimi *Sydenhamiii* tertia pars ægrorum febribus laboret, & ſecundum Veteres nonnullos, *vix ſit ſine febre mori*; hinc præ reliquis hic earum conſiderationem, trademus præſertim quia multi admodum male aut obſcure de ipſis ſcripſerunt.

II.

Definitio ejus.

Febris verò generatim nobis dicitur *calor præter naturam*, *ſive intemperies calida*, *cum virium læſione*, *a motu cordis & arteriarum frequentiore*, prægreſſo plerumque horrore ſive frigore qualicunque, ſubſequente motu ſanguinis vehementiori, & ut plurimum ſiti ac dolore capitis, modo leviori, modo vehementiori, cum urina plerumque tinctiori, cibi appetitus, variarumque aliarum actionum corporis

poris

poris humani & præcipuæ virium insigni, nunc tamen majori nunc minori læsione: ita *ut calor præter naturam & pulsus celer*, sive motus cordis frequentior, cum virium læsione, sponte, hoc est, sine caussa externa, ægrum affligentes, ac per aliquot horas aut diutius perdurantes, *sint signum Febrium certum sive pathognomicum*, atque essentiam febris quasi constituant; quo vero motu frequentiori humores noxii in corpore ægro sæpe subiguntur & expelluntur.

III.

Divisio generalissima.

Pro continuatione verò caloris p. n. & pulsus celeris diversa, febres dividuntur in *continuas & intermittentes*; in his enim post aliquot horas intermittunt vel plane cessant; in illis vero diutius, per unum scilicet, duos, tres, septem pluresque dies continuant, atque hinc a Germanis *fervidæ febres* appellantur. *Continuæ vero* rursus, in *acutas & lentas*, item in continuas continentes, sive synochum & remittentes, ut & in *exanthematicas & non exanthematicas*; sed pro minori virium læsione sive prostratione, aliorumque malorum minore vel majore vehementia, in *benignas* & *malignas* dispescuntur. Plures earum divisiones vid. Cap. seq.

IV.

Febris intermittens & paroxysmus, quid.

Quando febrilis quidam impetus plane aliquamdiu cessat, *ægerque per aliquod tempus a febre, id est calore & pulsu p. n.* liber est, & postea eum novo impetu, novo scilicet horrore sive frigore, & subsequente æstu aggreditur, talis febris *intermittens* dicitur. Vocatur autem nova talis aggressio, vocabulo Græco usitatissimo, *paroxysmus*, elegantioribus Latinis *febris circuitus*, *accessio* [a].

In-

(a) Vid. *Celsus* Lib. II. c. 17. Lib. III. c. 3. &c.

V.

Symptomata.

Incipiunt hæ febres intermittentes ſingulique eorum paroxyſmi ordinaria ratione cum *horrore* & *frigore*, leniori aut vehementiori, quem calor præternaturalis lenior quoque aut vehementior, modo citiùs modo tardiùs, preſſo ſubſequitur pede, tandem in ſudorem deſinens, qui paroxyſmo finem facit. Sed præter hæc ſæpe varia adhuc alia ſecum trahunt ſymptomata, præcipuè oris ſiccitatem, ſitim, dolores capitis ſive cephalalgiam, appetitum ſive ciborum deſiderium læſum, dolores ventriculi, nauſeam, vomitus, urinæ mutationem, quandoque delirium in paroxyſmo, modo ſomnum, modo vigilias.

V I.

Diviſio intermittentium.

Paroxyſmi intermittentium *utplurimum ſtatum diem reditus ſive circuitus ſervant*; attamen in hora plerumque variant: nunc enim horam unam alteramve anticipant, nunc poſtponunt. Quæ ſingulo die redeunt, *quotidianæ*; quæ alternis, *tertianæ*; quæ verò quarto die recurrunt, ægriſque biduum integrum eſt, *quartanæ appellantur*, dieſque a febre liberi *intercalares*, aut Græco vocabulo, *tempus apyrexiæ*, ſive intermiſſionis, vocantur. Sæpe etiam ex errore vel diætæ, vel curæ, vel cauſſæ materialis, benignioris aut pejoris, febres hæ duplicantur, imo multiplicantur, ut inde *quotidianæ*, *tertianæ*, *& quartanæ duplices*, quandoque fiant. Itaque ex iiſdem cauſſis diverſa in diverſis ſubjectis producuntur ſymptomata, ut diverſum frigus & æſtus, ſitis major aut minor, faſtidium ciborum majus vel minus, anxietates præcordiorum, tuſſis, vomitus, tormina, alvi fluxus, vel obſtructio ejus, ſomnolentia, vigiliæ, delirium, &c.

V I I.

Cauſſa.

Cauſſa proxima harum, ſicuti ceterarum febrium, eſt *celerior motus cordis*, [qui ex pulſu arteriarum celeri cognoſcitur], productus ab irritatione ejuſ-

dem,

dem, sive ea fiat a plethora sive sanguinis abundantia, sive ab humoribus crudis, tenacibus, viscidis, biliosis, pituitosis, plus, minus acribus, tanquam *caussa antecedente*, in vasis corporis capillaribus & præsertim cutaneis, quasi coagulatis, atque in paroxysmo fere stagnantibus, [*unde frigus oritur*] *e ventriculo & intestinis*, *ubi potissimum nidulantur*, cum chylo, per vias chyliferas in sanguinem delatis; quorum verò *caussæ remotæ* varii in diæta aut ex rebus non naturalibus errores esse solent, & in primis aer humidus & frigidus, transpiratio suppressa, victus inordinatus, nimius, crudus, crassus, ira, horror, nausea, &c. quibus vitiosi ac noxii humores generantur, qui stagnando in capillaribus *frigus*, sive initium *paroxysmi* producunt; postquam verò hoc ipso vasa, fibræ, at præsertim cutis, itemque cor irritantur, quemadmodum oculus a corpore peregrino illapso, vel ventriculus a re molesta aut irritante in vomitu; intestina in diarrhœa vel dysenteria, fortius & frequentius moventur, constringuntur, eoque sanguis & humores commoventur, exagitantur, propelluntur; quo fit, ut frigus sensim sequatur calor sive *æstus*, stagnantium humorum exagitatio ac resolutio, propulsio, attenuatio, coctio, noxii tam per sudorem quam per urinam expulsio, & paroxysmi tandem finis. In *quotidiana tamen*, humores pituitosos; in *tertiana*, biliosos; at in *quartana*, magis pituitam tenacissimam, acido junctam, peccare, varia symptomata & caussæ remotæ indicare videntur.

VIII.

Stehlianorũ sententia.

Multi hodie animam rationalem, quam naturam vulgo appellant, pro febrium caussa proxima & efficiente habent. Cum verò anima nihil hac de re sciat, & paroxysmum pro voluntate neque accelerare, neque tardare, neque minuere, multo minus inhibere aut tollere possit, neque in curatione animam

mam curemus, ſed cauſſam febrium materialem, humores ſcilicet noxios, hinc cum illa doctrina, primo probari non poſſit, maximiſque propterea ac multis dubiis ſit obnoxia, & deinde multa phænomena ex ea non explicari, ac denique nullam in Medicina habeat utilitatem; meritò *eam, tanquam incertam, haud probatam*, & innumeris difficultatibus ſubjectam, rejicimus, præſertim quia ex noſtra hac ſententia omnia clarius ac melius explicari atque intelligi poſſe exiſtimo.

I X.

Diagnoſis & Prognoſis.

Diagnoſis harum febrium ex antecedentibus jam habetur. Ad *prognoſin* verò quod attinet, rarò multùm periculi eas comitatur: quia pauciſſimi eis moriuntur; verùm plerumque ſalutarem acquirunt eventum, niſi perverſa diæta aut inepta curatione in deterius mutentur. *Quotidianæ tamen & tertianæ facilius curantur quartanis*, quæ intermittentium peſſimæ ſunt, & plerumque etiam, præſertim ſecundum vulgarem curandi modum, magis pertinaces ac diuturnæ. Ita & *vernales* faciliùs plerumque ſanantur *autumnalibus*, atque ſæpiſſime poſt aliquot paroxyſmos, ſervata præſertim abſtinentia, ſine medicamentis ſive ſponte ceſſant: & niſi præpoſtere tractentur, aut præmature per incongrua medicamenta ſiſtantur, meliorem ſæpe ſanitatem pollicentur; quia iis a multis noxiis rebus corpus per alvum, urinam & ſudorem liberatur, unde *ſalubritas febrium* a quibuſdam ultra modum laudatur. Nonnullæ vero *febres intermittentes ſenum, quas vehemens ſomnolentia* in primis paroxyſmis comitatur, tertio vel quarto paroxyſmo, inopinato ſæpe lethales fiunt, niſi peculiari eaque efficaciſſima, de qua infra dicemus, methodo tractentur. Confer doctiſſim: *Tortus* & *Vverlhoffius* de febribus, item *Lanciſius* de mortibus ſubitaneis. Ita etiam intermittentes pertinaciores, ſi *ineptis* aut *etiam ſolum lenioribus, aut ſaltem minùs effi-*

cacibus remediis tractantur, facile cachexiam & hydropem post se trahunt, sicut antiquissimi Medici jam notarunt.

X.

Curatio.

Curatio intermittentium.

In *curatione* febrium intermittentium præ omnibus *primæ viæ respiciendæ*, dum plerumque victus errores sequuntur, & saburra viscida, pituitosa, biliosa, incidenda, attenuanda, emendanda & evacuanda. Deinde dispositio similis in sanguine corrigenda, destruenda, expellenda, ventriculus quia læsus, roborandus, bona digestio restituenda, & symptomata urgentia mitiganda.

X I.

1. Extra paroxysmum amara & salina.

Extra paroxysmum humores peccantes viscidi optime emendantur & attenuantur *amaris & salinis*, tam alcalicis, quam mediis: ut sunt Essent. absinth. simplex & composita. Essent. gentianæ, cort. aurantiorum, fumariæ, centaur. minor. trifol. fibrin. cascarilla, alexipharmaca, aliaque similia, vel Elixir antifebrile Mynsichti, ejusdem Elixir vitrioli, Elixirium proprietatis, Mixtura simplex, R̄ tartari, R̄ antimonii tartarizata &c. &c. ad gutt. 50. vel 60. vehiculo quocunque, præsertim tamen mane, calido, vel etiam circa meridiem, & postea vino exhibita. Ex *salinis* omnia salia alcalica ex cineribus herbarum, præsertim amararum, parata: ut Sal absinthii, centaur. min., card. bened. &c. Ex *Salibus* verò *mediis* sive *mixtis*, tartarus vitriolatus, arcan. duplicat. Sal digestivum Sylvii, Sal antimoniatum, Sal ammoniacum, &c. quæ salia singulo trihorio vel quadrihorio ad ℈j. vel robustis ad gr. xxv. vel ʒß. alternatim cum Essentiis aut Elixiriis illis antea nominatis, ex infuso herbæ Theæ, decocto Caffeæ,

feæ, jusculo, cerevisia calida, vel aquis destillatis, ut aqua cardui benedicti, fumariæ, menthæ, cinamomi, &c. propinanda; ubi tamen observandum, quod *frigidioribus magis amara & aromatica*, calidioribus *salina & subacida* magis conducant.

Plerumque verò *in harum febrium principio* ad purgandas ac liberandas a vitiosis humoribus primas vias *Vomitoria* quoque sunt utilia, imo sæpe necessaria, potissimum si ægri de amaritie oris, angustiis, constrictionibus atque anxietatibus præcordiorum, cardialgia, pressione & ponderis sensu circa ventriculum, vertigine aut singulari nausea vel vomendi conatu conquerantur: quæ tunc, vel *mox in principio*, vel etiam, pro rerum circumstantium varietate, post aliquot paroxysmos, usurpatis priùs per aliquot dies prædictis medicamentis, corrigentibus, amaris ac salinis, (N. XI.) quatuor vel quinque horis ante paroxysmum in quotidiana, vel die intermissionis, in tertiana aut quartana exhibeantur. Dari hunc in finem commodissime potest *tartarus emeticus* ad gr. j ß. in debilioribus; ad gr. ij vel gr. ij ß. in robustioribus, sub forma quacunque libuerit; optime tamen datur in forma pulveris cum ℈ß. vel ℈j. alicujus salis ex prænominatis; vel vini emetic. ℥iß. ad ℥ij. imo robustis ad ℥ijß. Si cui vero *radix hypecacoannæ* magis arrideat, hæc a ℈j. ad gr. XXV. vel ʒß. exhibetur, subjuncto postea, si vomitus sequitur, potu frequenti ac copioso aquæ tepidæ vel infusi tenuioris herbæ cardui benedicti, pro meliori & faciliori saburræ peccantis solutione & evacuatione. Hæc in nonnullis, ubi amarities in ore, cibi fastidium, nausea, vomendi conatus inanis, aut cardialgia continuant; vel sublata, aut sponte, aut errore in diæta commisso, redeunt, post aliquot dies subinde repetenda sunt: ita hoc modo noxia e ventriculo, intestinis, pancreate, hepate ac lie-

Vomitoria.

ne egrege excutiuntur, variæque in his partibus factæ obstructiones reserantur, ut non rarò post vomitorii legitimum effectum febris non amplius redeat, sed tota sublata sit. Ubi verò nullum adest indicans vomitorii, æger difficulter vomit, aut debilis est, aliudve contra indicans adest, vomitoria omitti debent; quia ægris valde utplurimum molesta sunt, debiles magis debilitant, nonnullis vero, ut phthisicis, hæmoptoicis, vomitu cruento, vel hernia laborantibus, &c. aperte nocent.

XIII.

Purgantia.

Quod si verò æger sit debilis, aut difficulter nimis vomat, vel nullum indicans vomitorii adsit, aut aliæ rationes adsint vomitoria vetantes, e contrario autem prava victus ratio prægressa, flatus, tormina, obstructiones, dolores & molestiæ circa hypochondria, aliave in abdomine mala percipiantur, *purgantia*, eaque lenia, ac si res exigat, repetita, loco vomitoriorum substitui possunt ac debent: ut rhabarbarum, fol. sennæ, tamarindi, sub forma pulveris, boli, potiunculæ aut vini medicati; pulvis jalapæ, aut *pilulæ* variæ purgantes, hodie, usitatiores, præsertim tartareæ Schrœderi, Quercetani aut Bontii, Extr. panchym. Croll. aut pilulæ *balsamicæ* vel polychrestæ hodie adeo decantatæ, Beccherianæ scilicet aut Stahlianæ, nostræ aliæve similes; aut sal amarum catharcticum Anglicanum vel Bohemicum, ab ℥ß ad ℥j. aut sal mirabile Glauberi, abstinendo a violentioribus, quia turbant & debilitant, atque sic febrem vehementiorem reddunt. Ita & quandoque *Clysteres*, si alvus obstructa, & flatus sive fæces duræ ægro negotium facessunt, ad hæc mala mitiganda adhibendi sunt.

XIV.

Vena Sectio.

Phlebotomia, nisi manifesta & magna plethora, aut æstus valde ingens adsit, aut aliud quid eam indicet, in his febribus rectius omittitur; quando au-

autem contra vel manifesta plethora adest, vel consuetæ sanguinis excretiones suppressæ, & cum primis in mulieribus menses, quam utilissime Venæ sectio instituitur; ubi eam sæpius egregio cum successu institui; at si instituenda, eam extra paroxysmum atque die a febre libero, instituere præstat.

X V.

Uberior febris & symptomatum curatio.

Postea *dyscrasia sanguinis*, quam a corruptis ac vitiosis humoribus e ventriculo & intestinis acquisivit, & quæ febrim fecit, iisdem medicamentis alterantibus, corrigentibus sive attenuantibus, tam forma fluida, quam solida [N. XI.], continuato usu, emendatur, iisque ipsis etiam *symptomata* simul mitigantur & minuuntur, atque ipsa febris profligatur.

Speciatim vero *sitim*, *æstumque nimium moderantur*, ac simul sanguinem spissum attenuant, acremque temperant, partim *sufficiens potus aquosus*, ut infusum Theæ, Coffeæ, veronicæ card. bened. præsertim in principio paroxysmi, aliaque similia; item *cerevisia tenuis* cum pauco nitro, vel frustulis dissecti pomi citri adjectis. Vel, præsertim in progressu paroxysmi aut ejus declinatione, quando cumprimis ægri potum calidum aversantur, *decoctum hordei citratum* aut blande acidulatum, v. g. Subl. vitrioli, sulphuris clysso antimonii, vel sirupo citri, sirup. ribesior. berberis, vel ceras. acidor.; vel etiam *aqua simplex* pane tosto alterata, cum vel sine frustulis citri; vel sirupo acidulo q. s. ad gratum saporem, vel aqua simplex cum pauco vino & saccharo, additis vel omissis citri frustulis; partim *mixturæ diaphoreticæ* ex aquis destillatis temperatis, cum pulveribus temperantibus, & leniter diaphoreticis, pro materia vitiosa febrili cum corrigenda tum e sanguine expellenda, ut lap. 69. antimonio diaphoretico, aliisve temperantibus jam supra [N. XI.] laudatis, addito sirupo quodam grato ex

modo laudatis. Quibus ita, una cum *diæta parca* & tenui, per aliquod tempus rite usurpatis, hæ febres, præsertim vernales, post aliquot paroxysmos, intra quatuordecim dies, vel citius quam optime sæpe solent profligari.

XVI.

Specifica antifebrilia.

Quod si verò intra hoc tempus non fiat, primæ tamen viæ bene prius purgatæ & vitiosi humores ex parte correcti sint, tunc *ad specifica antifebrilia*, id est, febrim peculiari virtute sistentia, accessus fieri potest: qualia plurima laudantur, & inter hæc maxime *specificum antifebrile Crollii*, aut *Strobelbergeri*, itemque *Regulus antimonii medicinalis*, aliaque similia terrea ad ℈j. bihorio vel trihorio ante paroxysmum exhibita, commendantur. Ita & *mixtura febrifuga Crollii*, ex aquæ cardui benedicti ℥ij. Sal. absinth. ʒß. succ. citr. ʒiij. constans, vel in robustioribus ex Sal. absinth. ʒj. & succ. citri ℥ß; aut Essent. absinth. ʒj. cum Essen. vitrioli ℈ß. ante accessionem semel iterumque data, sæpe juvat. Præterea *omnia superius laudata salia*, majori paulo dosi & sæpius exhibita, febres has sæpe profligant. Quidam *alumen* vel per se, ad ℈j. vel ʒß. vel cum NM part. æqual. datum, valde extollunt, sed ob nimiam adstrictionem & inde metuenda mala, valde suspectum est; id quod & de pulvere *gallarum*, qui a Gallis in Acad. Reg. ad ʒj. valde laudatur, sentiendum esse puto.

Nonnulli *piper* quoque præsertim phlegmaticis, ad grana xx. & ultra; alii *capsicum*, quod piper Hispanicum vulgò audit, ex spiritu vini ante paroxysmum aliquoties sumtum, valde commendant; quæ vero ob fervorem nimium facile præsertim imbecillis nocent, & calorem p. n. vel alia mala inducunt.

Alii *Nucem vomicam* & huic affinem *Fabam S. Ignatii* a. gran. v. ad x. vel solam, vel cum aliis mix-

mixtam & ante accessionem datam, magnopere laudant [a]; alii *vitrum antimonii*, imo ipsum *arsenicum* ad gr. j. vel ij., imo gr. iij. pro specifico euporisto habent; quæ vero tanquam violentiora & venenata, aut ad naturam venenorum quam proxime accedentia, non facile, & forte non nisi in casu necessitatis, ubi secura non prostarent, adhibenda. *Flores chamæmeli* contra, tam in decocto, quam in forma pulveris aut electuarii, larga dosi propinati, securissimi sunt, & multum sæpe in febribus hisce debellandis præstant. Ita & *radix pentaphyli aut imperatoriæ* aut *gentianæ*, vel & cortex *cascarillæ*, vel *cortices aurantiorum* in pulvere vel electuario, larga & sæpe repetita dosi, febres has egregie & tutò sæpe tollunt (b). Id quod etiam haud raro *crocus martis antimoniatus*, quem Stahliani valde extollunt, perficit, itemque *pilulæ Vuildegansi* dictæ. At si securiora ex his debitum effectum non præstant, sicuti sæpius contingit aut certioris effectus caussa omnibus illis tanquam minus certis, uti nolimus, ne scilicet ægri nimis diu a febre torqueantur, *corticis peruviani* sive *chinæ chinæ* legitimus usus (licet multis adeo exosus sit, & multa obloquantur), intermittentes quascunque certo & tuto etiam profligat, sub quacunque forma exhibeatur; qui propterea hodie mihi & plerisque bonis practicis præ omnibus aliis specificis usitatissimus, iisque meritò præferendus est [c]. *Externis vero remediis*, quorum varia a nonnullis, ut pulsibus ap-

---

(a) Vid. *Valentini* Polychrest. exotic. ubi de *Faba* hac disserit, itemque ejus Museum Museor. (b) Conf. Dissert. nostra de *Aurantiis*, eorumque eximio, usu medico, 4. Helmstadii 1741. edita. (c) Vid. uberius de præstantia hujus corticis doctiss. *Vverlhoffii* observationes de Febribus & cautiones ejus medicæ.

applicentur, vel collo appendantur, tanquam specifica magnopere prædicantur, haud fidendum; quia vel superstitiosa, vel caussam non attingunt, adeoque plerumque vana sunt, & non nisi forte fortuna juvant.

XVII.

Diæta.

Diæta, febre durante, tenuis sit & parca, vel abstinentia aliquot servetur dierum: hac enim, experientia teste, multæ febres omnino profligantur. *Potu*, pro sitis ratione, utatur sufficienti, tenui, aquoso, [N. XV.] & quidem in frigore paroxysmi, calido vel saltem temperato; in calore vero & declinatione paroxysmi (quia ægri a potu calido sæpe abhorrent] paullò frigidior esse potest, vitando tamen nimis frigidum, ejusque præsertim nimiam copiam simul & semel ingestam. Die paroxysmi, æger ante paroxysmum prorsus a cibo abstineat, & si sitis urgeat, nullum potum nisi calidum & aquosum, inprimis vero infusum Theæ vel Coffeæ, vel florum chamæmeli aut card. bened. assumat. *Vitet frigus* & aerem frigidum aut humidum, atque in paroxysmo, se lectulo mox committat, corporeque bene tecto, sudorem patienter ferat, vix enim ulla febris sine sudore bene curatur: qui vero in paroxysmo egregie promovetur potu calido vel saltem temperato, aqueo, sæpius assumpto, præsertim si in principio sudoris essentiæ amaræ alicujus [N. XI.], vel diaphoreticæ aut alexipharmacæ gutt. 40. & 50. in potu calido simul assumantur.

Monita practica.

I.

Febre profligata victus parcus ac tenuis, medicamenta amara, stomachica & roborantia (N. XI.) adhuc aliquamdiu sedulo continuanda, haustulus vini

ni generosi in pastu usurpandus, *frigusque* diu vitandum, & ne morbus hic, quod ei alias solenne est, *facile recrudescat*, præsertim si jam antea pertinacioris fuit indolis, aut jam sæpius recruduit, bis terve in die *portio aliqua corticis chinæ*, *vel cascarillæ*, & quidem in tertianis curatis post octiduum a superata febre, in quotidianis vero & quartanis, tertia quavis post debellatam febrem hebdomade, salutariter usurpanda, subjuncto tempore idoneo motu corporis moderato, & præsertim ambulatione, aut equitatione, aut vectione, frequenti.

2.

Si *ægri sudores* in paroxysmi declinatione oriundos refrigeratione corporis *impediunt*, augent lassitudinem corporis, morbum potrahunt, varia insolita eaque sæpe gravia hoc ipso symptomata excitant, & febres leves facile in lentas periculosissimas, hecticam, cachexiam, œdemata, asthmata, hydropem aliosque pessimos morbos transmutant: quæ mala sæpe insonti Cortici peruviano, sed falso adscribuntur.

3.

E contrario, *quo tranquillius ægri in paroxysmo se gerunt*, patientiusque sudori indulgent, eo citius materia noxia febrilis subigitur & expellitur, eò citiùs proinde omnia symptomata mitescunt, eo citius febris curatur, & eo melius ac certius pravæ sequelæ avertuntur.

4.

Potus sufficiens tenuis (N. XV.) ægris, præsertim in paroxysmo, pro sitis ratione, non solum non denegandus, sed potius *commendandus*, qui vero in frigore, ut dictum, non frigidus, sed calidus, aut saltem, si forte æger calidum bibere recuset, temperatus esse debet, neque spissus aut inebrians; sed aquosus, quique non affatim, aut præcipiti modo, ac modicis haustibus sensim sensimque ingerendus.

5. *Su-*

5.

Sudorifera & amara in paroxyſmo, quando æſtus minui & ſudor erumpere incipit, magno cum fructu, ad ſudorem promovendum noxiumque e ſanguine expellendum, exhibentur; ſi citius, calorem nimis augent, & deliria aliaque mala ſæpe inducunt.

6.

Frigus nimium in paroxyſmo quarundam febrium, & præſertim quartanarum, *lenitur* calore lecti, potu calido, balſamis ſtomachicis & aromaticis, ventriculo ac ſpinæ dorſi calide illitis. Item ſpiritu vini rectificato, linteis complicatis calide ventriculo impoſito, ſtragulis ſufficientibus, lapidibus, aliisve machinis calidis pedibus ſuppoſitis.

7.

Febre debellata, ſi *cibi deſiderium diutius deficiat*, ℞ vitrioli martis Ludovici, aut Elixir. vitrioli Mynſ. bis, terve in die ad gutt. 50. ſumta, egregie proſunt, interpoſitis lenibus purgantibus.

8.

Cortex peruvianus, aliave ſpecifica febres ſiſtentia, præſertim vero adſtringentia fortiora, ſi exhibeantur, antequam materia febrilis probe evacuata & correcta eſt, graviora ſæpe mala inducunt: ut obſtructiones alvi, anguſtias præcordiorum, dolores ventriculi, cachexiam, icterum, œdemata, aſthmata, hydropes, inflammationes, febres lentas, hecticam, &c. Minus tamen hæc a cortice peruviano, caſcarillæ & aurantiorum metuenda, quam ab adſtringentibus aliis fortioribus.

9.

Cortex peruvianus, divinum ſane remedium, non *particulis adſtringentibus*, aut vi adſtringendi, ut multi male exiſtimant; ſed *particulis ſuis amaris, roborantibus, ac balſamicis*, febres pellit ac ſanat: hinc tantum periculum, ut multi putant, ab ejus recto uſu non eſt pertimeſcendum.

10.

Voracitas in febribus intermittentibus morbum diu potrahit; aut morbo ſuperato recidivam ejus excitat: hinc ſerio vitanda.

11.

Contra æſtum & ſitim ægris æqueus potus ſufficienti copia dandus, isque pro majori effectu, gratis acidis ſupra nominatis eſt temperandus, vel & pauco vino rhenano & moſellano.

12.

Ægri, quo magis antea valetudinarii aut *imbecilles* fuerunt, eo cautius cum ſpecificis & vomitoriis ſunt tractandi, robuſtioribus vero minus nocent.

13.

Febres intempeſtive ſuppreſſæ & alia mala, cum primis abdominis duritiem, adſtrictiones alvi & dolores circa hypochondria, excitantes, blande laxantibus, præſertim pilulis tartareis, balſamicis, aut polychreſtis, aut vinis medicatis laxantibus, optime revocantur; quæ deinde præparato ac purgato rite corpore, methodo præſcripta, denuo curandæ.

14.

Oedemata, poſt intermittentes, ut ſæpe vel ob potum nimium fit, vel ob ſudorem impeditum, relicta, frictionibus, motu corporis, exercitationibus, ſalibus digeſtivis, atque eſſentiis, itemque infuſis amaris, cum vino aut cereviſia paratis, præſertim ex carduo bened: ſummit: abſinth. bacc. juniper. cort. aurant. & caſcarill imo & ipſius chinæ curantur, interpoſitis ſubinde Remediis martialibus, lenibusque laxantibus, atque obſervata ſimul tenui ac parca diæta, & vitato potu nimio.

15.

Aſorbentia terrea antifebrilia & *antimonialia* in febribus his nimis copioſe exhibita ventriculum facile vehementer lædunt, adeoque nimius eorum uſus vitandus.

16. *In*

16.

In quartanis præſertim ſenum, aut imbecillium, vehementiora remedia, ut vomitoria, purgantia draſtica, volatilia fortiora, itemque V. S. [niſi forte fluxus ſanguinis ſuppreſſus eam exigat], ut plurimum nocent: in junioribus contra & robuſtioribus haud raro rationes adſunt, quæ vomitoria & V. S. ut ſupra docuimus, requirunt.

17.

In febribus intermittentibus ſenum, ſoporoſis dictis, ubi ægri altero vel tertio paroxyſmo in ſoporem gravem, & tertio vel quarto paroxyſmo in apoplexiam lethalem incidere ſolent, ut præſtantiſſimi practici obſervarunt, mox poſt paroxyſmum, quo ſopor ille acceſſit, cortex peruvianus ſæpe & larga doſi eſt adhibendus, ut ſequens paroxyſmus avertatur; alias ægri plerumque in ſequenti paroxyſmo apoplectici moriuntur. Confer. hanc ob cauſſam utiliſſima ſcripta Celeb. Itali TORTI & WERLHOFFII noſtri *de febribus*.

18.

In febribus inveteratis aliquamdiu ſalia, vina medicata amara, & pilulæ amaræ balſamicæ, interjectis purgantibus, ſunt uſurpanda, antequam ſpecifica ſive ſiſtentia exhibeantur.

19.

Quoties ex quartana hydrops oritur, nullo remedio melius uterque curatur morbus, quam *cortice peruviano*, tam in ſubſtantia, quam infuſo, recte exhibito. Conf. Filii Diſſertatio de *quartana & hydrope per corticem peruvianum curatis*, A. 1740. Helmſtadii edita.

CAPUT III.

De Febribus continuis & 1. acutis.

I.

Febris continua, quid ejuſque diviſio.

F*Ebris continua* dicitur intemperies calida, aut morbus, in qua pulſus celer & calor præter naturalis, (cum variis aliis ſymptomatibus) uſque ad finem morbi cum periculo perdurat. Dividuntur ejuſmodi febres primo in *acutas* & *lentas* ſive chronicas; acutæ vocantur, quæ brevi tempore vel ad mortem, vel ad ſalutem decurrunt, & ſunt vel *acutæ ſimplices*, ſicuti febris ephemera, ſynochus, febris catarrhalis, &c. vel *peracutæ*, ut cauſus, febris petechialis, purpurata, vel *acutiſſimæ*, ut ſudor Anglicus, febris peſtilens, & peſtilentia ſive peſtis ipſa. Dividuntur præterea acutæ in *benignas* & *malignas*, pro minori vel majori virium proſtratione, ſymptomatumque minori vel majori vehementia: & *in quibus ſimul maculæ vel papulæ ſive puſtulæ in cute*, quas Græci *exanthemata* vocant, proveniunt, ut in variolis, morbillis, febre petechiali, ſcarlatina, miliari (ſeu purpura, urticata, peſte, &c. *exanthematicæ* appellantur.

II.

Differentia ab intermittentibus aliaque diviſiones.

Eodem fere modo utplurimum incipiunt continuæ, quo intermittentes: nimirum horrore vel frigore, quem pulſus celer & calor præternaturalis modo lenior modo vehementior ſubſequuntur; verum diſtinguuntur ab intermittentibus *continuatione diuturniori* horum ultimorum, calor enim & pulſus p. n. in his ante febris finem non plane intermittunt, licet in nonnnullis quandoque parum remittant; quam ob cauſſam etiam a quibuſ-

dam

dam in *continuas continentes*, ſive ſynochos, & in *continuas remittentes*, eaſque vel quotidianas vel tertianas dividuntur: ad quas potiſſimum *febres* ita dictæ *catarrhales* pertinent, quas coryza, tuſſis vel raucedo comitantur, quæ veſperi utplurimum ægros nova quadam acceſſione vehementius affligunt, & matutino tempore a vehementia ſua aliquo modo remittunt. Nonnulli plures conſtituunt differentias; ſed hæ ſufficere poſſunt: atque hoc ſolum adhuc notamus, quod vocabulum *continuæ febris* etiam ſæpiſſime latiori & naturali ſenſu quoque pro *continente* uſurpetur, atque non ſemper a continente diſtinguatur.

III.

Symptomata. Symptomata, præter jam dicta in his febribus uſitatiora, ſunt *cibi faſtidium* ſive *appetitus proſtratus*, *ſitis*, *cephalalgia*, *vigiliæ*, *virium major minorve proſtratio*, *urina ſaturatius tincta*, *pluſque minuſve rubicunda*, *ſiccitas oris*, *faucium & linguæ*, harumque *cruſta* modo albicans, modo fuſca, aut ſubnigra, quem ſtatum nonnulli barbare *prunellam* vocant, *deliria*, *anxietates præcordiorum leviores* vel vehementiores, & alia; pro quorum varietate varia recipiunt nomina: ut *ephemera*, *ſynochus ſive continens*, *cauſus*, *angina*, *pleuritis benigna*, *maligna*, *petechialis*, *ſudor anglicus*, *morbilli*, *variolæ*, *purpurata vel miliaris*, *ſcarlatina*, *urticata*, *catarrhalis*, *bilioſa*, *peſtilens*, *peſtis*, *epidemica*, *dyſenterica*, *ſtomachica*, *inteſtinalis*, ſive *meſenterica*, *caſtrenſis*, *hungarica*, *vulneraria*, *eryſipelacea*, *inflammatoria*, *lochialis*, *lactea*, *lenta*, *hectica ſive phthiſica*, *verminoſa*, &c.

Nominum febrium, varietas.

Cauſſa & 1. propinqua. Cauſſa *proxima* harum febrium quamvis non ſit adeò plana, certa ac perſpicua, ſed potiùs valde obſcura, mihi tamen eſſe videtur, ut in intermittentibus, materia quædam p. n. modo acris modo viſcida, peculiaris, partes multas & cumprimis cutem ad ſpaſmos, ſed cor & arterias ad frequentiores

res contractiones sollicitans, *non acida*, ut olim putarunt, sed *sulphurea* potiùs aut *alcalica*; id quod calor morbidus, sitis, siccitas oris & cutis, aliaque phænomena evincere videntur, quo ipso deinde sanguis celerius, quam par est, per vasa propellitur, unde dolor capitis, vigiliæ, deliria, aliaque symptomata explicari apte possunt; *Antecedens* verò hic magis in vasis sanguiferis, quàm primis viis, in vario nimirum sanguinis vitio, vel quantitate, vel qualitate præsertim acri, alcalica, biliosa, sive *sulphurea* peccantis, consistit, quo cor & ceteræ partes ad motus ejusmodi p. n. concitantur, aliaque symptomata inducuntur; quod vero sanguinis vitium, qualecunque id sit, hoc motu cordis & sanguinis aucto sæpissime corrigitur, vel expellitur, morbusque sic rursus tollitur, eumque motum & effectus *Naturam* vulgò (quæ nobis cor potissimum, una cum arteriis, motuque tonico aliarum corporis partium, verbo, mirabilis fabrica corporis mechanica est, Stahlianis autem *Anima rationalis*) præstare dicunt, id quod etiam sano sensu verum est, dum a sapientissimo Conditore apta nata est, sicut in statu naturali, ita & in morboso, noxia atque supervacanea secernere atque expellere, atque hinc *Natura merito optima morborum, & cumprimis febrium medicatrix appellari potest*, quia eas sæpe sola sanat, cujus etiam ductum, si rite agit, sequi debemus. Contra sæpius *occurrunt febres* aliique morbi, *ubi Natura parum præstare valet, ars vero multum*; ubi Medicus *fit magister & dominus Naturæ*, in quibusdam verò NATURA & ARS, ut præsertim *in malignis quibusdam*, parum adhuc vel nihil efficere possunt.

V.

2. Caussa remota.

Remotæ verò caussæ sunt itidem, uti in intermittentibus, *errores in rebus non naturalibus*, cibo præsertim, potu, aere, moto vehementiori, vigiliis nimiis, & affectibus animi, commissi, atque in-

inprimi. etiam, maxime in epidemicis, *contagium*, si scilicet noxium quoddam in aere, quod sanguinem atque simul spiritus vario modo corrumpere, ejus crasin naturalem destruere atque partes multas, cumprimis vero cor ad motus p. n. exstimulare, cerebrum verò in suis functionibus vehementer turbare valet. Pro diversitate vero harum caussarum, & inde inducta minori vel majori corruptione sanguinis, itemque pro varia corporum dispositione, febres hæc evadunt vel leviores vel graviores, benignæ vel malignæ, variique earum gradus & diversitates oriuntur: quarum tamen caussarum & corruptionum ab iis inductarum natura sive indoles a priori hactenus satis cognosci haud potuit; a posteriori tamen observatur, sanguinem & serum in quibusdam magis *spissum* sive *coagulatum*, in aliis verò, presertim in malignis, nimis *dissolutum* & ad *putredinem alcalicam dispositum* esse, imo in malignis atque ipsa pestilentia revera in celerem putredinem abire; unde necessariò fluidarum ac tandem etiam solidarum partium fabrica, crasis & usus ita læduntur, ut omnia prædicta symptomata cum læsionibus reliquarum corporis animæque actionum, & sæpe mors ipsa inde subsequantur.

VI.

Diagnosis omnium continuarum.

DIAGNOSIS continuarum generalis ex definitione earum [N. I.] constat. Specialis vero ex specialibus circumstantiis & symptomatibus desumitur. *Benignæ* enim ex virium qualicunque aliarumque actionum constantia; *malignæ* vero ex earum subitanea & *insigni prostratione* ac pulsu debili, quibus plerumque *mentis quadam turbatio sive alienatio*, *præcordiorum anxietas*, & *respiratio anxia aut suspiriosa*, *vigiliæque nimiæ* utplurimum juncta sunt, dignoscuntur. *Ephemera* sive *diaria febris* ex duratione 24. circiter horarum cognoscitur; *contiuua simplex*, *synochus*, sive continens dicta, ex signis febrium generalibus, viribus satis constantibus & sympto-

ptomatibus plerumque non adeo vehementibus, per plures dies durantibus. *Synochus putrida*, ubi graviora adſunt ſymptomata, major anxietas præcordiorum, fœtor excrementorum vehemens, aliaque. *Cauſus*, ſive *febris ardens*, ex æſtu ſive ardore, præſertim circa præcordia, intolerabili, & ſiti fere inextinguibili. *Angina* ex faucium inflammatione, deglutitione & reſpiratione difficili, cum febre continua. *Pleuritis* ex dolore lateris punctorio, tuſſi & dolorifica reſpiratione, junctis ſignis febris generalibus, ex inflammatione pleuræ oriunda. *Phrenitis* ex faciei & oculorum rubore inſigni in febre continua, itemque capitis dolore inſigni, delirio, quod ſæpe *furioſum* eſt, orta ex inflammatione cerebri. *Petechialis* ex maculis cutis, morſibus pulicum fere ſimilibus, & cutis ſuperficiei æqualibus, in toto fere corpore, facie tamen plerumque excepta, in quibus vero ſtigma ſive punctum, ut in pulicum morſibus, non apparet, ſexto vel ſeptimo die utplurimum ſe manifeſtantibus. *Morbilli* papulas ſive maculas rubras habent paulo elevatas, ſed ſine puſtulis, cum febre & tuſſi plerumque juncta. In *Variolis* vero poſt tales papulas ſive maculas, puſtulæ lentis vel minoris piſi magnitudine in iis elevantur, nunc purulenta, nunc aquoſa ſive ſeroſa materia repletæ; priores *Variolæ veræ*, poſteriores *ſpuriæ*, ſive *aquoſæ*, vocantur. Variolæ veræ denique *nunc diſcretæ* ſunt, nunc *confluentes*: hæ, pejoris moris atque ſæpe valde *malignæ*; illæ autem plerumque melioris ſunt indolis. *Purpura* vel *febris miliaris* diſtinguitur ex maculis rubris vel papulis ſeminis milii aut papaveris magnitudinem, ut plurimum non excedentibus; quarum tamen hæ *purpuram albam*, *illæ purpuram rubram* conſtituunt. Quædam harum papularum haud raro liquidum perlucidum continent, & hinc morbus hic a nonnullis *purpura cryſtallina* appellatur.

Urticata vero febris dicitur, quando elevationes

ſive papulæ puncturis urticarum ſimiles cutem exaſperant. Febris *ſcarlatina* cognoſcitur, quando in febre acuta maculæ amplæ, rubræ, ad colorem ſcarlatinum accedentes, in cute hinc inde prorumpunt, eæque mox primis diebus, imo quandoque antequam febris percipiatur, quæ ſupra cutem non elevantur, & quidem etiam in facie, ubi petechiales vix unquam prodeunt. *Febris catarrhalis* cognoſcitur ex eo, quando ita dicti catarrhi, ut Coryza, raucedo, tuſſis, itemque capitis gravitas, juncta ſunt; calor non ſolet eſſe adeo vehemens, nec ſitis, attamen calor circa veſperam utplurimum una cum ceteris ſymptomatibus increſcere ſolet, atque urina plerumque mox eſt turbida, ſed ſine ſedimento. *Febris bilioſa* vero ex prægreſſa ira, ſubſequente ſapore bilioſo in ore, æſtu magno, vomitu bilioſo, vel ſaltem conatu vomendi, cum præcordiorum anxietate, donec bilioſa materia vel ſponte vel dato vomitorio rejecta ſit.

Febres peſtilentes appellantur, quando febricula correpti ſubita virium proſtratione affliguntur; nam eſt ſpecies febris malignæ, cum variis aliis febrium malignarum ſupra indicatis ſymptomatibus, eiſque adhuc gravioribus magiſque inſolitis, multique ægrorum, quemadmodum in ipſa peſte, intra breve tempus, duos ſcilicet, tres, quatuorve dies, imo ſubinde adhuc citiùs inde moriuntur, atque utplurimum ſunt *epidemicæ*: ſique belli tempore in caſtris oriuntur, *febres caſtrenſes* appellari ſolent, atque ſpeciatim in Hungaria, *Febris Hungarica*, de qua mox plura. *Peſtis* vero ſive *Peſtilentia* ipſa innoteſcit, quando una cum ejuſmodi ſymptomatibus tumores hinc inde in corpore, qui *bubones* aut *carbunculi* dicuntur, erumpunt. *Epidemica febris eſt*, quando plures ſimul eodem tempore, eodem in loco vel regione, ex eadem fere Febre decumbunt, quæ quandoque benignæ, quandoque tamen malignæ ſunt. *Sudor Anglicanus* fuit febris olim admodum

dum maligna in Anglia orta & obſervata, in qua ægri mox vehementi ſudore & virium proſtratione corripiebantur, & multi intra unum alterumve diem, ut in peſte, ea interficiebantur. *Dyſenterica febris* eſt, ſi cum calore & pulſu p. n. vehementia tormina & æſtus in abdomine, cum frequentibus & dolorificis dejectionibus, eiſque vel cruentis, vel mucoſis, aut purulentis adſunt.

Febris ſtomachica vel *inteſtinalis* mihi eſt, quam fluxus alvi, & rejectio materiæ feculentæ utplurimum valde fœtidæ comitatur, quam quidam *meſentericam* appellant.

Hungarica, quando ægri, præſertim in Hungaria, vel ſaltem tempore belli Hungarici, febre peculiari maligna, cum ſubitaneo virium lapſu, vehementiſſimo capitis dolore, linguæ & faucium inflammatione, ardore, nigritudine, atque ariditate afficiuntur, quam nonnulli barbaro vocabulo *prunellam* appellant; unde quamplurimi intra paucos dies pereunt. *Vulneraria*, quando calor & pulſus p. n. vulneri, abſceſſui vel operationi chirurgicæ graviori ſuperveniunt. *Eryſipelacea*, ubi febri eryſipelas; *inflammatoria*, ubi ei inflammatio notabilis alicujus partis, ſive externæ ſive internæ, conjuncta eſt; vel ubi inflammationi, præſertim majori, febris ſupervenit.

Febris lenta ſive *hectica*, quando cum notabili corporis tabe calor lenis p. n. attamen continuus, cum pulſu celeriori ægrum perpetuo ac diu affligunt. *Phthiſica*, ubi in viſcere quodam, præſertim pulmonibus aut renibus ulcus eſt, una cum ſignis febris lentæ modo indicatis. *Lochialis* vocatur, quæ lochiis obſtructis ſupervenit. *Febris lactea*, quæ lactis difficilem proventum in novis puerperis comitatur: atque ex his febrium continuarum diagnoſin ſatis patere exiſtimo.

VII.

Ratione prognoſeos continuarum generatim pro- *Prognoſis.*

be notandum est antiquum atque verissimum *Hippocratis* monitum, [a] *in acutis scilicet nullas certas esse prædictiones, neque sanitatis neque mortis*: quia adhuc hodie sæpius observatur, eos, qui nobis leviter ægrotare videntur, sæpe inopinato mori, graviter vero decumbentes, præter omnem spem haud raro reconvalescere. Interea tamen *eæ, quas gravia comitantur symptomata*, periculosiores utplurimum sunt reliquis; speciatim vero illæ *omnium periculosissimæ esse solent*, ubi *subitanea eaque magna virium adest prostratio*, ubi pulsus valde debilis, *respiratio anxia*, præcordiorum magna anxietas, urina tenuis, ignea, sine sedimento, *vigiliæ perpetuæ, inquietudo* & jactatio corporis continua, *floccorum collectio, tremores artuum & linguæ, subsultus tendinum* in manibus & circa carpos, quando pulsum explorare volumus, *mentis alienatio, pudoris neglectus* & corporis denudatio insolita adsunt: *Pulsus* denique *myurus, fecum & urinæ involuntaria* & *inscia excretio*, oculique caligantes, cum *perpetuis deliriis*, mortem indicant. Ita & si *urina* in his morbis prius tincta simul & semel *prorsus aquea* fit, & quidem subito, *deliria* brevis instare fere certissime significat, ac deinde plerumque mortem. *Optandum esset, ut æque valentia ac certa hic quoque haberemus remedia, quam in intermittentibus*; attamen hucusque ea adhuc desideramus. Interea tamen sciendum, plerosque, si rite tractantur, præsertim benignis aut saltem non adeo malignis laborantes, hodie a peritis & prudentibus Medicis restitui, atque *longe plures evadere quam mori*; licet quam plurimi adhuc optimis etiam Medicis, varias ob caussas, sæpissime tamen ipsorum ægrorum aut adstantium culpa, moriantur.

Exi-

(a) Aphorismi 19. Sect. 2.

VIII.

Exitus vero harum febrium ſalutaris, quando *per notabilem quandam evacuationem*, ut hæmorrhagiam largam narium, ſudorem fortem, urinam turbidam copioſam, cum ſedimento largo, ſputum multum, vel quandoque etiam alvi fluxum, &c. contingit, *Criſis* vocatur; quas evacuationes, *ſi ſufficienti copia procedunt*, brevi euphoria & levitas ſequuntur; ſin contra, vel nulla, vel non ſatis larga aut ſufficiens contingit, mortem vel ſaltem morbum diuturniorem aut mutationem in alium indicant. Et licet, ut modo dictum eſt, aliæ evacuationes criticæ accidant præter ſudorem, quibus ægri ſervari ſolent, tamen quia plerique a febre ſine ſudore, non curantur, ut hic apta ratione, dum natura ſæpiſſime hunc modum oſtendit, producatur, ſerio ſtudendum, fugiendumque utplurimum omne, quod eum impedire poteſt: quia quando impeditur, ſæpiſſime inde mors, interdum febres lentæ, aut innumerabilia alia mala gravia ſequuntur. Scire vero juvat *ſudorem plerumque non in principio, ſed in ſtatu vel potius jam aliqua facta morbi declinatione*, remittente nimirum aliquo modo caloris & pulſus vehementioris impetu provenire; atque utplurimum *nubecula in urina*, quam tunc coctam appellant, *indicari*, ideoque *ægri in principio* ſive ante hoc tempus, ut olim peſſimo ſæpe conſilio fecerunt, *ad ſudorem non ſunt cogendi*, multo minus valde calefacientibus bezoardicis, aut alexipharmacis dictis remediis, ut quondam curarunt, tractandi, *ſed blandis ac lenibus diaphoreticis*, præſertim fixioribus, tincturis ac mixturis temperantibus acidulis & potiunculis diluentibus, ac æſtum temperantibus, ſic certius reconvaleſcunt. Quia tamen etiam *certæ febres acutæ* materiam noxiam *per alvi fluxum* cum euphoria ægrorum expellunt, quæ in primis viis potiſſimum hærere videtur, cavendum in his a ſudoriferis, & ſequamur

Criſi plerumque terminatur.

ductum naturæ, qua de re uberius in Cap. V. dicemus.

I X.

Curatio febrium leviorũ.

In curatione igitur plerarumque acutarum Medicus ab initio & incremento usque ad statum morbi materiam noxiam, tanquam caussam febrilem, corrigere, præparare, & ad ejectionem disponere, ast in statu & declinatione eam per convenientia loca, quæ decursus morbi plerumque indicare solet, eliminare debet. Ubi vero præ omnibus, melioris methodi caussa, notamus, *febres continuas ac continentes leviores, benignas, ut ephemeram, synochum simplicem, febres catarrhales benignas, urticales, scarlatinas, vulnerarias, lacteas, variolas, & morbillos benignos* frequentissime salutariter decurrere, caussamque morbificam a natura sive motu cordis atque arteriarum frequentiori subigi, hoc est, corrigi, emendari, atque tandem quoque expelli, idque etiam sæpe sine medicamentis, præsertim si æger (1) *abstineat a cibis* valde nutrientibus, maxime carnibus, & utatur solum jusculis tenuibus, vel omnino abstineat a cibis, præsertim si ab eis abborret; [2] *potu utatur* sufficiente, frequenti, diluente, aquoso, inprimis tepido, vel saltem temperato; [3] quiete, & (4) frigoris evitatione; his enim utcunque observatis, multi ab his morbis omnino & perfecte, sola sic dicta natura liberantur. Sed hæc si negliguntur, atque circa has res errores committuntur, aut incongrua remedia adhibentur, felix exitus sæpe invertitur, morbique graviores, vel ipsa mors inducitur.

X.

Curatio graviorũ exigit præparationem quæ fit I. potu apto.

Ubi vero febris gravioribus stipata est symptomatibus, calori vehementiori temperando, & viscidæ vel acris materiæ *præparationi* magis studendum: in quem finem danda sunt *Diluentia*, ut potus sufficiens, aquosus, temperans, ex. gr. aqua simplex, pura, vel pane injecto alterata; vel decocta ex

pa-

pane triteco, aut hordeo, vel avena; vel decoctum hordei aut C. C succo vel syrupo citri, vel spiritu vitrioli aut sulphuris, vel & spiritu nitri dulci sapore grate acido impraegnatum, & saccharo vel syrupo quodam suave redditum; vel *decoctum pomorum* fragrantium, aut cerasorum acidorum siccorum, aut *tamarindorum*, addito pauxillo sacchari q. s. ad gratiam, vel & *serum lactis*, &c. quibus subinde infusum Theae tepidum, vel veronicae aut scabiosae, praesertim mane & circa vesperam interponi potest. Paulo potentius vero tenacitatem sive spissitudinem humorum, *in pejoribus ac malignis febribus subinde resolvunt*, infusa vel decocta sic dictarum *plantarum alexipharmacarum* & quidem temperatiorum: ut sunt herb. scordii, alliariae, salviae, millefolii, rad. scorzonerae, caryophyllatae, pimpinellae albae & similium, itemque horum *essentiae* debiliores mane solum exhibitae, quae vero in aegris frigidioribus tantum sunt adhibenda & in calidioribus prorsus omittenda.

XI.

2. Pulveribus & potiunculis temperantibus.

Pulveres temperantes ac diaphoretici, quales egregii parantur ex lap. cancrorum aut conchis, succo citri vel aceto destillato saturatis, atque salibus mediis aestum blande temperantibus: ut sunt, nitrum depuratum, nitrum regeneratum, sal antimoniatum, Tartarus vitriolatus, arcan. dupl. &c.; vel pulveres temperantes compositi, in pharmacopoliis hinc inde prostantes, ex aquis temperantibus, borragin. bugloss. ceras. nigror. card. benedict. acetosae, fumar. &c. ter. quaterve die ad ℈j. vel ʒß. exhibiti, ex quibus etiam idoneae potiunculae sive mixturae fieri possunt, quae vero quoque, praesertim si aegri pulveres aversantur, sine pulveribus dantur.

3. Blādis acidis & 4. emulsionibus.

XII.

Blanda acida ad acrimoniam alcalicam, biliosam aut sulphuream & aestum temperandum, putredinem-

nemque alcalicam præcavendam, & quæ jam adeſt, deſtruendam: qualia, præter dicta ſalia media & nitroſa, ſunt ſuccus citri, tanquam acidum corpori noſtro amiciſſimum; ſyrupus citri, ribeſiorum, berberum, cerator. acidor. rubi idæi, mororum, & Tinctura roſarum, fl. papav. bellid. vel aquilegiæ, &c. Acida autem fortiora ſunt ſpiritus vitrioli, ſulphuris, nitri, clyſſus antimonii, ſpiritus nitri aut vitrioli dulcis; vel R̄ ex prædictis, cum quarta parte ſpiritus nitri dulcis, tanquam remedio perquam grato, &c. quæ decoctis hordei aut CC., ſi modo tuſſis abeſt, ad gratum acorem inſtillantur, vel etiam per ſe aliquoties in die exhibentur; itemque *Julapia* grata ex aquis, ſyrupis, tincturis & ſpiritibus modo laudatis, refrigerantibus blandeque refocillantibus, quæ ultima remedia pueris plerumque, aliisque qui a pulveribus abhorrent, gratiora eſſe ſolent (*a*). *Emulſiones* tenues, ex amygdalis dulc. rec. piſtaceis, pineis, ſem. card. Mariæ, aquilegiæ, vel ſemin 4. frigid. major. non rancidis, addito pauco ſaccharo ad gratam dulcedinem, pro acrimonia alcalica demulcenda & ſanguine temperando.

XIII.

5. Eſſentiis & tinctur. diaphor.

Materia hæc febrilis corrigitur & expellitur quoque medicamentis diaphoreticis ſive alexipharmacis, quæ *guttatim* aſſumuntur, qualia ſunt, Mixtura ſimplex, Eſſentia ſcordii, helenii, angelicæ, contrayervæ, pimpinellæ, alexipharmaca, Tinctura bezoardica & ſimilia, mane potiſſimum cum infuſo aquoſo ad guttas xxx vel xxxx exhibita; ex quibus vero priora ſunt temperatiora, poſteriora calidiora, adeoque temperatiora magis ægris calidioribus, poſteriora vero frigidioribus ſunt danda,

---

(*a*) Obſ. in cholericis & melancholicis calor melius *nitro*; in ſanguineis melius *acidis* temperantur.

da, atque magis in declinatione, quam in principio morbi, ubi calidiora remedia, præsertim in calidioribus, quam maxime sunt vitanda, reliquo autem diei tempore iis temperantibus remediis est pergendum, quæ §. X. XI. & XII. commendata sunt. Hæc diaphoretica sive *alexipharmaca temperatiora*; illa vero, quæ ex vegetabilibus calidioribus parantur, & quidem cum spiritu vini, alexipharmaca sive *bezoardica calidiora* appellantur.

XIV.

De Venæ Sectionis usu in eis.

Quod ad venæ sectionem attinet, ea locum habet in principio & incremento, quando æger est *plethoricus* & robustus, ubi *magnus æstus* atque *pulsus fortis* aut vehemens adsunt; quibus in casibus sanguis ad ℥vj. viij. & plures, pro ægrorum & symptomatum varietate, e vena educi potest ac debet; imo quæ etiam subinde repetenda, si modo dicta symptomata brevi non remiserint. Ubi vero ejusmodi rationes sive indicantia non adsunt, vel ægri valde debiles, vel calor lenis aut valde moderatus, ac pulsus languidus, V. S. omittenda est, præsertim si malignitas adest, & constitutio epidemica repugnat.

XV.

De Vomitoriorum usu.

Vomitoria non nisi in febribus illis continuis indicantur, *ubi caussa hæret in ventriculo*, ut ubi *vel nimia repletio*, vel *ira* præcessit, [præsertim in biliosis] & nausea, amarities oris, vel sapor nidorosus, vel inanis vomendi conatus, vel dolores circa hypochondria, cum præcordiorum anxietate, ægrum affligunt; ubi vero lenia sint, & præcipue hic *hypecacoanna* est laudanda tanquam divinum præ ceteris remedium: quia alia, & præsertim antimonialia, facile hyperemesin aut hypercatharsin inducunt, aut vires nimis prosternunt, aliave mala concitant, quod hypecacoanna non facit, sed potius vim simul aliquam alexipharmacam, præsertim in malignis atque exanthematicis exerere solet.

let. Sed ubi danda, mox, si fieri potest, in principio exhibenda; quandoque tamen etiam adhuc in progressu locum habent, imo necessaria sunt, præsertim si in principio neglecta fuerunt, symptomata vero prædicta continuant: hoc igitur in statu, si ægros ab iis malis, imo ab ipso mortis periculo, liberare volumus, quocunque adhuc morbi tempore cum fructu dari possunt, recordorque me ea aliquoties die demum decimo, duodecimo, imo decimo quarto morbi cum optato successu adhuc dedisse, ægrosque brevi postea convaluisse. *Quando vero nulla ejusmodi indicantia adsunt*, non promiscue, ut nonnulli suadent, exhibenda; quia tunc non nisi debilitant ac turbant, caussamque, quæ tunc non hæret in ventriculo, haud tangunt, multo minus tollunt.

XVI.

De Purgantium usu.

Purgantia vero *fortiora*, in his morbis nunquam conducunt, quia debilitant, humores tenues expellunt, morbi cursum naturalem invertunt, naturam in subigenda & expellenda causa morbi e sanguine turbant, facileque fluxus alvi periculosos excitant. Attamen *lenia* sæpe usum habent. 1. in febrium illarum principio, *ubi indicia adsunt* Saburræ noxiæ in primis viis hærentis, ut *molestiæ* sive *dolores circa hypochondria*, murmura ventris, vel ipsa *diarrhœa*, &c. deinde 2. & cum primis in febribus *catarrhalibus*, aliisque *epidemicis stomachicis* aut *intestinalibus*, ubi ea conducere observatum est; 3. in *prima variolarum invasione*; liberatis enim sic prius primis viis a materia vitiosa, reliqua deinceps tanto facilius corrigitur: imo in *catarrhalibus* solo fere purgante totum morbum sæpius debellavi, & quidem potiuncula, quæ ex tamarindis, foliis sennæ, vel rhabarbaro & manna conficitur, vel ex sale amaro catarctico, vel pilulis balsamicis Becherianis. *In principio* autem *variolarum* commode quoque datur mercurius dulcis cum rhabarbaro,

vel

vel jalappa, aut decoct. tamarindorum. In progressu vero aut *statu febrium*, præsertim *exanthematicarum*, & cum primis *variolarum*, alvus purgantibus non est irritanda, sed si obstructio alvi molesta, clysteribus tantum blandis emollientibus reseranda; nisi epidemica forte constitutio id suadeat.

XVII.

Diaphorosis quomodo procuranda.

Ceterum in tali febri, sive venæ sectione aut vomitorio, aut purgante opus, sive eis opus non fuerit, quando per remedia prædicta (N. X. XI. & XII.) morbus ad statum pervenit, vel calor aliquomodo temperantibus illis, jam imminutus est, & in urina coctionis signa apparent, cutisque humida percipitur, atque inde constat, materiam morbi coctam, subactam & ad excretionem præparatam esse, tunc *medicamentis diaphoreticis sive excretionem promoventibus* huic indicationi uberius satisfaciendum est. Hoc præstant, 1. pulveres diaphoretici, ut Lap. Cancr. citrati cum antimonio diaphoretico aut bezoard. minerali & pauxillo nitri, ex aquis diaphoreticis, ut aqua fumar. card. bened. scorzoneræ, flor. sambuci, scordii, cinamomi, cord. frigid. galegæ, ulmariæ, ceras. nigror. acetositatis citri, vel totius citri, &c. &c. exhibiti, quibus in casibus gravioribus, *ubi anxietates* præsertim adsunt magnæ, vel *deliria*, aut inflammationes, in quavis dosi pulveris camphoræ grana ij. iij. ad iv. magno cum fructu addi possunt, itemque pro ditioribus, lap. bezoardicus; quibus, 2. subinde parca dosi, præsertim si ægri non facile sudant, aut frigidioris sunt constitutionis, & cum primis matutino tempore, interponi possunt *Essentiæ diaphoreticæ aut alexipharmacæ, aut Tincturæ blandæ bezoardicæ variæ*: ut vel sola Essent. Scordii, vel Angelicæ ad gutt. xxx. vel cum pauca copia Ess. pimpinellæ alb. vel helenii, vel contrayervæ mixta; vel & harum loco mixtura simplex; aut K bez. Vvedelii, vel & ess. alexipharmaca Stahlii, eadem

vel

vel adhuc minori dosi. *Parcissime tamen his ultimis, utpote calidioribus, utendum, ubi magnus calor* adhuc in ægro percipitur, vel quando ægri natura sunt calidioris temperamenti, resque tunc præcipue pulveribus & aquis illis diaphoreticis & ad summum essentia scordii, vel mixtura simplici, interpositis moderate acidis, peragatur.

XVIII.

Quid in diuturnioribus faciendũ.

Quia vero nonnullæ febres diuturniores, aut minus acutæ sunt, & per xiv. ac plures sæpe dies sese extendunt, methodo hac generali temperante ac diaphoretica modo descripta, mutatis pro symptomatum ac circunstantium rerum varietate remediis ac formulis, usque ad finem continuandum, nisi forte diarrhœa præsens, dolores circa hypochondria, excrementa valde fœtida, laxantia suadent. Quod si vero in *lentas & hecticas* degenerent, earum curatio infra peculiari capite tradetur.

XIX.

Diæta.

Ratione Diætæ æger loco servetur temperato, *vitetur calor cubiculi & stragulorum nimius*, attamen & frigus; præstet tamen, ut cubiculum aliquo modo magis ad frigus, quam æstum nimium inclinet. *Potus* congruus, diluens, aquosus, subacidus, gratus, ac pro siti moderanda sufficiens, modo non sit nimis frigidus, concedatur; hoc enim æger multum reficitur ac roboratur, æstus minuitur, humores viscidi diluuntur, temperantur, quies, somnus & sudores promoventur: imo & *in statu morbi*, & adhuc magis *in declinatione*, quando *vires fractæ* sunt, etiam haustulus *vini rhenani*, *mosellani*, vel rubri cujuscumque temperati, vel solus vel cum aqua mixtus, ægro non interdicatur, maxime si vinum appetat, vel saltem illud non adversetur, eive alias assuetus sit. Pro *cibo*, juscula tenuia ex vegetabilibus parata, præsertim farinacea, avenacea & hordeacea, succo citri, vel pauco aceto subacida facta, aut ex pomis parata, &c. item pruna, cerasa & poma cocta,

cta, parcissime usurpata, optime conveniunt. *Carnes* vero quæcunque & quæ ex his parantur, maxime hic sunt vitanda, natura hoc dictitante, quæ ab iis plerumqe his in febribus abhorret. *Nullus etiam cibus qualiscunque sit, ægro nauseanti, obtrudatur*, quia ut HIPPOCRATES recte docet, *quo plus hos ægros nutriveris, eo plus nocebis*; multum enim omnibus in febribus præstat *abstinentia*, aut saltem si quid appetant, aut aliquid ipsis porrigatur, semper sit parcissimus ac tenuissimus, & quidem ut jam dictum est, ex vegetabilibus paratus. Atque hæc curandi ratio mihi hactenus optima in his febribus perspecta est: conferantur tamen adhuc diligenter sequentia.

Monita Medica & Symptomatum Curatio.

1. *Ut nimius calor, ita nimia refrigeratio*, sive externa ea sit, sive interna, per *potum* scilicet *nimis frigidum*, in continuis, & præsertim in sudore, summe noxia est, adeoque & *lecti & indusiorum mutatio*, maxime in exanthematicis.

2. *In omnibus acutis, & speciatim quoque in malignis, atque exanthematicis*, ut variolis, morbillis, purpura, &c. *regimen blandum diapnoicum sive diaphoreticum*, sed non coactum, atque legitima victus ratio, una cum quiete, *præcipuum curationis negotium absolvunt*.

3. *Evacuationes alvi* in his febribus in incremento vel statu, *nisi natura viam demonstret*, aut epidemica constitutio id doceat, ut plurimum sunt periculosæ, *ipsaque clysmata* acriora tunc quandoque non satis tuto applicantur; primo autem initio, præsertim, *ubi repletio vel ira præcessit*, lenia ex rhabarbaro vel ex decocto tamarindorum aut foliorum sennæ cum manna, non nocent.

4. Sed *si alvi obstructio* in incremento aut statu

mo-

molestias creat, vel *lotione emolliente* vel *decocto tamarindorum*, addito sirup. acetositat. citri vel rubi idæi q. s. ad gratiam loco potus usurpato, solvi potest, idque adhuc magis in declinatione, ubi etiam sæpe lene evacuans, ut potiuncula ex foliis sennæ, vel rhabarbaro, vel ex tamarindis & manna, aut etiam sale amaro catharctico dari tuto potest.

5. Speciatim tamen *in malignis*, *petechialibus & castrensibus*, præmisso leni ex *hypecacoanna emetico*, caussa maligna corrigenda est 1. *idoneis acidis*, ut potu ex decocto hordei vel radic. scorzoneræ, aut CC. citrato, cum syrupo ribesiorum, xel rubi idæi suaviter temperato; vel potu ex vel aquæ part. iij. & vini part. j. pomis citri & saccharo grato reddito, vel & cerevisia tenui cui aliquot guttæ clyssi antimonii vel spiritus sulphuris ad gratum usque saporem acidum, instillandæ. Ita & 2. *infusa ex herb. scordii* aut cardui benedicti, radicis scorzoneræ vel helenii, vel florum calendulæ, ad modum Theæ subinde usurpata, cum vel sine syrupis laudatis acidulis egregie prosunt. 3. *Rob. sambuci & juniperi*, itemque *diascordium cum aceto* præsertim rutaceo subinde inter prædicta data; specifice contra malignas prosunt. 4. Pulveres ex *antimonio diaphoretico* vel *bezoardico minerali*, aut conchis cicratis, cum nitro antimoniato & camphora, parca sed sæpius repetita dosi, ex potionibus illis vel aquis diapnoicis dati, acre malignum egregie destruunt.

6. In *Febribus malignis* epidemicis, præsertim *petechialibus & catarrhalibus*, vel ubi alias ægri valde debiles, *Venæ sectio* ut in peste, *noxia plerumque esse solet*; adeoque, potissimum, ubi noxia jam deprehensa est in aliis ægris, postea omittatur in sequentibus, nisi *ingens forte plethora* id suadeat.

7. *In febribus exanthematicis, ut maculis petechialibus & purpura*, itemque *variolis & morbillis, si non rite erumpunt*, id quod inter alia anxie-

tas

tas circa præcordia indicare ſolet, *valde conducunt emulſiones diaphoreticæ* (*præmiſſo ex hypecacoanna emetico*] *ex ſeminibus aquilegiæ, cardui Mariæ & napi* paratæ, quia hæc ſemina vim obtinent expellendi, ſive, ut dicunt, alexipharmacam; ita Eſſent. ſcordii, helenii, pimpinellæ, vel caſcarillæ, ſubinde ad gutt. xx. vel xxx. ex vehiculo apto, præſertim calido, exhibita, hoc in ſtatu valde conducit, non neglecto potu Theæ aliove calido ſuperingeſto. Vulgus noſtrum fruſtulum *radicis helenii potui* ordinario horum ægrorum haud ſine fructu immittit, vel cum Thea commiſcet.

8. *Ubi metus eſt exanthemata retroceſſura eſſe, potus calidus* cum Eſſent. ſcordii, vel helenii, vel pimpinellæ, aliave ſimili diaphoretica, corpore probe tecto optimum eſt remedium, adhitis ſimul, ſi graviora ſymptomata adſunt, *cantharidibus* in brachiis & pedibus.

9. *Quando verò exanthemata jam retroceſſerunt*, atque tunc mors fere certa eſt metuenda, Eſſentia quoque alexipharmaca, ut Eſſent. ſcordii, pimpinellæ, aliæve ſimiles ſæpius, ſimul cum infuſo Theæ, ſcordii vel millefolii exhibeatur, atque *cantharides* ſive *veſicatoria* fortia dorſo, brachiis & pedibus applicentur, corpore a frigore probe defenſo.

10. *In malignis & peſte ipſa*, dato prius laudato, ſi opus eſt, emetico, nihil melius *conducit quam quies in lecto*, *regimen* blandum *diapnoicum* continuum, ſervando nimirum corpus in perpetuo calore, exhibendoque ſæpius potum tepidum, aquoſum, infuſi Theæ, radic. ſcorzoneræ, herb. ſcord. ſalviæ, millefolii, veronicæ, &c. interponendo ſubinde ptiſanas ſubacidulas. Deinde, præſertim in malo graviori, etiam *ſubinde danda alexipharmaca temperata*, præſertim tempore matutino, parca ſed ſæpius repetita doſi, ut mixtura ſimplex, vel Eſſentia ſcordii aut alia quædam alexipharmaca, &

pul-

pulveres diaphoretici ex lapidibus cancrorum vel conchis, succo citri præparatis, cum pauxillo nitri & camphoræ, qui pulveres vel alternatim cum essentiis sumendi, vel horis solum pomeridianis, sic tamen, ut Essentiæ magis frigidioribus, pulveres magis calidioribus temperamentis, exhibeantur: quibus etiam *potione ex aquis* diapnoicis cum antimonio diaphoretico, vel temperante quodam pulvere paratæ, magno cum fructu subinde interponuntur.

11. Quia in peste, in *Bubonum legitima tractatione*, maxima felicis curationis pestis pars consistit, hinc opera danda, ut emplastro vel cataplasmate emolliente mature extrahantur, ac maturentur, postea aperiantur, mundentur, & essentia vel balsamo vulnerario consolidentur. Qui plura de his *Carbunculis pestilentialibus* sanandis nosse vult, itemque de *præservatione* ejus, evolvat Instit. nostr. chirurgic. Part: I. Lib. IV. cap. IX. seqq.

12. *Nocent vero plerumque in malignis & præsertim in peste*, V. S. vomitoria ex antimonio, purgantia fortiora, omnia medicamenta vehementia, ut nimis calida, aut volatilia, opiata, valde camphorata, ac regimen quoque nimis calidum, quemadmodum fere omnes scriptores, qui in ultimis pestilentiis vixerunt, testantur. Atque hæc ipsa etiam methodus in *sudore Anglicano* optima quondam observata est.

13. In *febribus catarrhalibus*, mane, *præmissa* in principio ad materiam vitiosam evacuandam vel potiuncula mannata, vel pilulis lenibus; postea frigidioribus essentia quædam diaphoretica, vel liquor CC. succinatus cum leni sudoris regimine, ad materiam noxiam noctu subactam, expellendam, ex infuso herbarum pectoralium calido exhibeatur, & reliquo tempore diei aliquoties pulvis quidem temperans, salinus, resolvens, cum succino & nitro ad materiam vitiosam uberius corrigendam, vel

ex

ex ſimili infuſo, vel ex aquis diaphoreticis detur; *calidioribus* vero ſoli pulveres & aquæ diaphoreticæ exhibendi. Ad *materiam acrem*, quæ *raucedinem* & *tuſſim producit* emendandam & incraſſandam *linctus pectorales* conveniunt; pro materia vero *tenaci* e pectore evacuanda oxymel ſquill. ex aquis pectoralibus dandum. In *alvo obſtructa* clyſma vel potiuncula laxans mannata adhibeatur. Simulac vero *mador percipitur*, & æſtus paullulum remittit, aquis & potiunculis diaphoreticis una cum infuſo pectorali ſedulo continuetur.

14. *Bezoardica ſive alexipharmaca calidiora*, *ut ſalia volatilia urinoſa*, *ſpiritus volatiles alcalici*, *ſpiritus vini rectificatus cum radicibus aliiſve calidioribus deſtillatus*, *Eſſentiæ & Tincturæ e calidioribus paratæ*, *myrrhata*, *ligna ſudorifera*, aliaque medicamenta æſtum inducentia, quę haud adeo pridem a Medicis plerumque hic in febribus acutis adhibebantur, valde noxia ſunt, & cumprimis calidioribus; ardorem enim augent ac ſitim, inflammationemque, anxietates, deliria, ſummas virium proſtrationes, & ſępe mortem producunt.

15. In *Bezoardicis* vero *mere terreis*, qualia fere ſunt terrę ſigillatę, Cornu Cervi uſtum, pulvis Pannonicus ruber, Mantuanus, bezoard. Sennerti, Anglicanus, &c. parum virtutis deprehenditur, niſi *forte in alvi fluxibus nimiis*: ubi tamen ipſis cortex caſcarillę cum nitro jungendus, ſi bonus effectus inde ſperandus.

16. In *cauſo* & *ardore circa ventriculum* externe ſpiritus Vini camphoratus ſcrobiculo cordis cum linteis complicatis calide impoſitus, ſuperimpoſita *veſica aqua vel lacte calido*, pręſertim ſi in eo flores chamęm. cocti, repleta, egregie conducit: quia hic inflammatio ventriculi adeſſe ſolet, quam potenter reſolvit, maxime ſi camphora etiam interne ſimul exhibetur.

17. In *febre Hungarica*, pręter remedia febribus

malignis adversa & modo commendata, conducit sępe *initio vomitorium*, idque potissimum ex hypecacoanna, quia sępissime ex prava Militum dięta ortum ducit: id quod subinde, si malignitas post primum non satis remisit, repetendum.

Deinde, quia *fauces in ea* plerumque valde *inflammatæ*, aridæ, fuscæ & siccæ sunt, atque capitis dolor vehemens valde molestus esse solet, quæ mala sæpius a nimio potu vini hungarici vel spiritus vini ortum ducere solent, non solum *Venæ sectio in brachio* aut pede, sed etiam *in venis jugularibus* & *raninis*, itemque gargarismata ex decocto & succo herbæ sedi majoris, vel endiviæ cum nitro depurato, vel antimoniato, aut lapide prunellæ, aut sale ammoniaco, cum syrupo mororum necessaria ac proficua esse solent. Ita & *mucilago seminis cydoniorum* aqua rosarum parata, cum syrupo mororum & nitro, faucibus & linguæ aridæ sæpius illita, egregie opitulatur.

18. *Hæmorrhagiæ quæcunque in his morbis, & inprimis narium criticæ* præmature non sunt sistendæ: facile enim ęgri his in morbis sine noxa aut vitę periculo duas sanguinis libras amittere possunt; cohibitę vero, citius quam par est, gravissima mala, ut calorem majorem, dolores capitis vehementes, anxietates circa pręcordia, pręsertim vero deliria & phrenitidem inducere valent. Quod *si vero sint nimiæ*, tandem sisti debent, & quidem externe aceto, vel solutione aluminis aut vitriolis, in aqua cum turundis in nares immissis; interne temperantibus, nitrosis. Multi quoque hic *bufonem* sub axillis alligatum valde commendant.

19. *Vomitus*, cumprimis *in causo*, aut *febribus biliosis*, itemque in variis malignis, quia plerumque salutares aut criticæ hic sunt evacuationes, per adstringentia & opiata, ut ab imperitis sępe fieri solet, pręmature non sunt sistendi; sed potius in vomitu potus largus aquę tepidę, vel de-

cocti

cocti tenuis hordei vel avenæ, vel herbæ cardui benedicti, addito pauxillo hypecacoannæ, ad materiam acrem probe eluendam & ejiciendam sæpe ingerendus, donec sponte remittant; attamen si nimis diu continuant, tandem theriacæ vel diascordii ℨj ex aqua cinamomi, cydoniata semel iterumque data conducit.

20. *Alvi quoque fluxus* quicunque, *non mox adstringentibus curandus*, sed materia peccans per diluentia potius & blanda evacuantia, inprimis *rhabarbarina* & tamarindinata, deinde & absorbentia ac nitrosa, partim evacuanda, partim corrigenda, ita post aliquod tempus plerumque sponte cessat. Aut *si his* præmissis, *non remittat*, ægrique debiliores fiant, Diascordium Fracastorii, vel theriaca, ad ℨj. ut modo dictum est §. 19. vel pulvis cascarillæ, a gr. iij. vj. ad xij. cum pulveribus temperantibus vel terreis, ut coralliis, CC. usto, terra sigillata, pulv. bez Sennert. vel anglicano, vel pannonico rubro, ex aqua cinamomi cydoniata, vel aqua menthæ sæpius, donec cesset, exhibenda; aut Essent. cascarillæ & Essent. scordii aut diascord. propinanda; hæcque potissimum horis matutinis, illa a meridie & circa vesperum.

Crystallus montana præpar. ac nitro aut cascarillæ, aut utrique simul sociata, in diarrhœis excedentibus quoque egregia est, maxime si magis, quam antea, ad sudorem se componant ægri, eumque patienter ferant. Ita & *emulsiones* ex amygdalis dulc. & semine papav. alb. paratæ, ad ℥j. sæpius exhibitæ, non raro solæ has diarrhœas compescunt.

11. *In diarrhœis febrium quarumcunque & præsertim malignarum* [a], aut si tempus frigidum, præter

(a) Quas sæpe salutares esse, præter alios cel. *Hoffmannus* egregie probavit, in Dissert. de *diarrhœa in malignis salutari*, aliisque scriptis.

jam dicta, opera danda, *ne æger e lecto facile surgat* ad alvum exonerandam; quia diaphoresis, hic adeo necessaria, impediretur, sed potius vas vel patina apta ægro in lecto decumbenti supponatur; vel si hæc desint, aut alias surgendi necessitas incidat, ut vestibus, stragulis, aliisve rebus a frigore probe defendatur, frigus enim hic valde noxium est, adeoque & potus semper vel calidus sit vel minimum tepidus. *Nitrum* deinde cum absorbente & pulv. cascarillæ junctum, atque parca, sed repetita sæpe dosi exhibitum, remedium hic, & præsertim etiam in *variolarum & morbillorum diarrhœa*, alias valde periculosa, est efficacissimum: inprimis si emulsio (N. XX.) laudata, addita ℥j. vel altera gummi arabici, ad acre in intestinis temperandum sæpius interponatur.

22. Si *Dysenteria* febri superveniat, eadem curandi ratio est adhibenda, vel & sæpius ægro Ess. rhabarbari cohleare unum, ad materiam noxiam evacuandam, donec malum remittat, exhibeatur, atque etiam ægro in lecto, si alvum deponit, vas subjiciatur; vel si surgere vult, vas aquam calidam continens supponatur, & stragulis vel vestibus probè contegatur; *Clysteres* ex lacte & theriaca hic quoque egregie prosunt; conf. simul Cap. XIII. N. XIV. & seq. ubi speciatim de Dysenteria agitur.

23. *In singultu* febrium acutarum prodest *spiritus nitri dulcis* cum essent. quadam alexipharmaca ad gutt. xx. vel xxx. per intervalla ex infuso Theæ vel aqua diaphoretica datus, donec cesset.

24. *Ob vigilias aut capitis dolores* ægris non facile *opiata*, præsertim fortiora, exhibenda, quia obstructiones inferendo morbum pleruinque reddunt graviorem, atque deliria, soporem, aliaque prava symptomata facile inferunt: febre enim, laudatis remediis mitigata, aut superata, symptomata hæc sponte cessant. E contrario *potus sufficiens*, *aquosus acidulus*, medicamenta nitrosa, cinnabarina, & e-

mul-

mulſiones tenues præſertim papaveratæ, hic multum valent. *Externæ* in principio dolorum capitis, ſpiritus vini camphoratus fronti & temporibus, vel per ſe, vel philonio Romano roboratus & cum ſplenio calide applicatus, prodeſt; in progreſſo autem acetum roſarum vel ſolum, vel cum nucleis perſicorum aut amygdalis amaris raſis, impoſitum; vel & *emulſio* ex ſemine papav. & nucleis perſicor. cum aqua ſolani parata, addita portiuncula *camphoræ* egregie conducit; vel & unguentum alabaſtrinum camphoraque roboratum temporibus illini poteſt. *Clyſmata* etiam emollientia, ubi alvus ſimul obſtructa, hic multum contra dolores capitis & vigilias prodeſſe poſſunt: ut & *cataplaſma ex fermento panis* cum ruta, ſinapi, ſale & aceto plantis pedum impoſitum.

25. *In anxietate & cardialgia febrium petechialium* aliarumque *malignarum* affinium, præmiſſa hypecacoanna, theriacæ ℥j. cum ſalis abſinthii & antimonii diaphor. a gr. xv. ex aceto bis vel ter poſt intervalla duarum vel trium horarum, ſi malum citius non remittat, apte exhibetur, ſubjunctis potiunculis diaphoreticis camphoratis.

26. *In capitis doloribus & deliriis harum febrium* præter modo dicta, etiam *ſanguiſugæ*, temporibus & poſt aures adhibendæ, itemque *veſicatoria* pone aures, brachiis, cervici, & ſuris pedum, item *ſinapiſmi* brachiis & plantis pedum, revellendi atque avertendi fine, imponendi; interne vero *nitrum* & *camphora*, vel in pulvere cum aliis temperantibus, vel in emulſione ſæpius, quovis ſcilicet bihorio aut trihorio, danda.

27. *Contra tuſſim* ſæpe moleſtam cumprimis *catarrhalium* febrium *infuſa aquoſa* ex ſpeciebus pectoralibus parata, calida ſubinde ſorbillata, itemque *emulſiones* ex amygdalis, ſem. card. bened. card. Mariæ, papav. alb. & aquis pectoralibus, ut ſcabioſæ, hyſſopi, tuſſilag. card. bened. confectæ,

 præ-

præsertim versus noctem sæpius datæ, egregie conducunt; ita & *linctus pectorales* ex oleo amygdalarum dulcium, syrup. violar. vel papav. err. & sperm. ceti, addito pauxillo laudani liquidi, usum hic habent non spernendum, si circa tempus, quo tussis maxime affligit, assumuntur. *Acida vero mineralia*, quæ ob vehementiam tussim facile augent, tunc sunt vitanda.

28. Quando *faucium inflammationes* percipiuntur, ita ut *ægri de deglutiendi difficultate* conquerantur, mox *gargarismata* leniter adstringentia & resolventia, ex rad. tormentillæ, bistortæ flor. & fungis samb. flor. rosf. papav. rhead. aqua japon. nitro & pauco alumine, vel etiam sale ammoniaco, addito syrupo mororum vel nucum, sunt adhibenda. Externe emplastra discutientia, ut Empl. de meliloto camphoratum, vel sacculi ex herb. aut florib. resolventibus applicandi, itemque si alvus obstructa, *clysmata, vel ipsa lenia laxantia* ex tamarind. fol. senn. rhabarb. & *manna*, *revellendi fine*, mature exhibenda, antequam *aphthæ*, quæ plerumque in his casibus periculosissimæ sunt, superveniant, & quando *faucium tumores*, *ingruente febre*, *incidunt*, hæc laxantia optimo cum successu mox in principio dantur.

29. Aliàs vero, ubi *anginæ indicia*, ut cum difficili deglutitione difficilis quoque *respiratio* incidat, Venæ sectio larga & quidem primo vel in brachio, subjuncto idoneo purgante vel adhuc melius in pede; deinde, si malum non remittit, in *vena jugulari*, ac denique sub lingua *in raninis*, si præcedentes non suffecerint, instituenda est, itemque *clysmata* sæpius applicanda, atque vesicantia extus variis partibus imponenda.

30. *Aphthæ* in febribus malignis, quæ pessimi sunt moris & indicii, abstergendæ Ess. succini & myrrhæ, vel pimpinellæ, ope penicilli; vel & liquore myrrhæ per deliquium, interponenda gargaris-

rismata ex decocto herb plantag. aut veronicæ cum melle rosar. & syrupo mororum; vel ex aqua plantaginis phlegmate vitrioli acidulata.

31. *In continuis remittentibus* ante novam accessionem pulveres salinos antifebriles temperantes, vel adhuc magis, *corticem peruvianum* dare utilissimum.

32. *Sudores nimii* sive *colliquativi* requirunt aerem cubiculi frigidiusculum, integumenta lecti leviora ac tenuiora, potum frigidiusculum, acidulum, ad quem & serum lactis & lac ebutyratum pertinent, Tinctura rosar. aliæque acidulæ, vel & horum loco spir. nitri aut vitriuli dulcis, ac denique terrea, ut terra sigillata, corall. rubr. gemmata & præsertim spec. de hyacinth., cum nitro & pauxillo opii, vel & dosi diascordii.

33. *Vires debiles*, præsertim in *malignis* vel in statu & declinatione benignarum, potiunculæ analepticæ, cum confect. alKerm. Tinctura coralliorum, emulsiones ex amygdal. dulc. pistaceis, pineis, sem. card. Mariæ, card. bened. aqua borrag. bugloss. rosar. cinam. flor. aurantior. lilior. convall. totius citri, cordial. frigid. perlat. & camphora roboratæ: itemque *poma citria*, *aurantia*, *sinensia*, aliaque similia quocunque modo exhibita; imo & ipsum *vinum* bonæ notæ modice sumtum, præsertim si ægri illud appetunt, tam merum, quam aqua temperatum & pauxillo sacchari edulcoratum, adjectis vel omissis orbiculis dissecti pomi citrei, egregie refocillant. *Externe* carpis manuum & quandoque etiam cordi, aqua Anhaltina, Reginæ Hungariæ, carbunculi, itemque aceta varia, ut rosarum, lavendulæ, rutæ, caryophyllaceum, &c. tepide applicantur, quæ & naribus pro odoratu sæpius adhibita roborant.

34. Contra *convulsiones*, in his febribus, quæ symptomata sunt periculosissima, prodest spiritus cornu cervi, vel liquor succinatus, sal CC. volatile, itemque pulvis ex sale card. bened. nitro, cin-

nabari & camphora : quibus nonnulli etiam vel pauxillum opii addunt, vel theriacam interponunt.

35. *In Febribus, quæ gangrænam aut sphacelum comitantur, interne* ad hæc mala compescenda, ex novissimis observationibus valentissimus sæpe est *cortex peruvianus*, eadem ratione, ut in vehementibus febribus intermittentibus, sæpius & larga satis copia exhibitus.

36. *Post febres acutas omnes & præsertim exanthematicas ac malignas usus lenium alexipharmacorum*, quæ simul stomachica sunt, ut Essent. cort. aurant., gentian., pimpinellæ, angelicæ, helenii, card. bened. cascarillæ, scordii, adhuc aliquandiu continuandus est : ubi speciatim quoque cortex cascarillæ vel in pulvere, vel in electuario, vel ejus extractum in pilulis egregiam utilitatem præstant. His etiam *lene laxans* sub declinatione, imo etiam in fine, antequam aerem rursus ingrediuntur, cum fructu interponitur, sic appetitus ac vires citius redeunt, ægrique rectius reconvalescunt.

37. *Si post acutas vires & appetitus redire nolint*, purgans dandum, & postea stomachica subjungenda : quia ut plurimum tunc appetitus, ob humores vitiosos in ventriculo hærentes, læsus est.

38. *Denique reconvalescentes* post quascunque tales febres operam dent, *ne facile errores in diæta committant*; cumprimis ne carnes, maxime duriores, aut pinguiores, presertim suillam, aliaque concoctu difficilia nimis cito comedant, aut etiam in levioribus copia excedant. *Vitent etiam adhuc aliquandiu aerem frigidum, ventosum ac pluviosum, matutinum & vespertinum*. Nisi enim hæc observent, facile in febres novas, easque sæpe pejores, immo sæpissime lethiferas, vel saltem in alios graves morbos relabuntur.

CAPUT IV.

De Febribus exanthematicis & speciatim de Variolis ac Morbillis, quibus purpuratæ & petechialis subjunguntur.

I.

De exanthematicis speciatim agendum.

QUid Febres exanthematicæ sint, & quidem nominatim *Variolæ* & *Morbilli*, quænam earum differentiæ ab aliis, supra jam Cap. III. n. VI. dictum, earumque etiam curatio generalis eodem Capite tradita est. Interea tamen earum frequentia, dum pauci homines ab his prorsus liberi manent, illarum discrimen ac valde dubius sæpe eventus aliæque caussæ me permoverunt, ut de iis adhuc specialius hic exponere consultum duxerim.

II.

Quatuor variolarum tempora sunt notanda.

Inprimis vero in Variolis melioris curationis caussa probe cum Sydenhamo notanda *quatuor earum tempora*, *invasionis* scilicet, *eruptionis*, *suppurationis*, & *exsiccationis*, ut tanto accuratius, quid in quovis optime sit agendum, observare queamus. Tempus igitur 1. *invasionis* sive *ebullitionis* materiæ p. n. aut malignæ vocatur primum morbi tempus, quando ægri languere aut male se habere incipiunt, ad tempus, quo maculæ rubræ in cute & præsertim in facie erumpere incipiunt, quo ægri prægresso plerumque levi horrore, plus minusve calere solent, quo ipso tempore nonnulli etiam *convulsionibus* atque *epilepsia*, cumprimis infantes & pueri, ex improviso sæpe corripiuntur: hocque ebullitionis tempus trium quatuorve dierum spatio circumscribitur.

III.

III.

Tempus eruptionis & suppurationis.

Tempus vero 2. *eruptionis* vocatur, quando maculæ rubræ erumpunt & ſenſim ſenſimque in papulas elevantur, quod *utplurimum a tertio* vel *quarto die* ad ſeptimum uſque durat in veris & diſcretis. 3. *Tempus ſuppurationis*, a die ſcilicet ſeptimo ad diem plerumque undecimum, quo papulæ rubræ in puſtulas pure repletas traſmutantur; & 4. *Tempus exſiccationis*, ab undecimo plerumque ad decimum quartum vel decimum quintum in veris & ordinariis. Sed in *ſpuriis ſive aquoſis* citius & ſuppuratio & exſiccatio contingere ſolent, ubi ſæpe die octavo, nono vel decimo omnino rurſus exſiccatæ ſunt, in anomalis vero ſive irregularibus ac malignis eas die XVII. imo vigeſimo nondum exſiccatas eſſe memini, ſed *Morbilli* citius, & fere ut variolæ nothæ, intra novem vel decem dies periodum ſuam abſolvunt, & per ſquamulas exſiccati decidunt, *tuſſi tamen plerumque fortiori*, quam in variolis, afficiuntur.

IV.

Cauſſa earum proxima.

Cauſſa proxima horum morborum & ſpeciatim variolarum eſt *materia quædam* p. n. ſive *vitioſa in ſanguine*, quam natura, inde irritata, in hoc actu ſeparat atque per cutem ſub puris forma expellit, videturque jam in utero matris cum ſanguine infantibus communicari, quia infantes variolis & morbillis nati leguntur, aut eis ſæpius primis poſt partum diebus vel hebdomadibus corripiuntur, ubi aerem nondum ingreſſi & nullo adhuc alio victu, quam lacte, uſi ſunt: & quia plerique homines vel citius vel tardius ſemel eos ſuſtinere coguntur. Interea tamen exempla etiam eorum proſtant, qui bis, imo ter iis correpti fuerunt.

V.

Diagnoſis & prognoſis.

Diagnoſis horum morborum ex Cap. III. n. VI. jam patet. *Prognoſis* etiam valde cum aliis febribus acutis convenit (ibid. n. VII. & VIII.). Attamen

men ſpeciatim hic adhuc notandum, quod, *quo citius erumpunt*, eo plerumque fiant copioſiores, quo vero *copioſiores*, eo plerumque, ſicut in aliis exanthematicis, periculoſiores, atque utplurimum *confluentes*, quæ longe majus vitæ periculum portendunt, vel ſaltem faciem imo & oculos vehementius, quam diſcretæ, corrumpere ſolent. *Quæ vero circa finem diei tertii, vel quarto demum placide proveniunt*, plerumque pauciores, diſcretæ & mitiores evadunt. Hinc haud probandus eſt illorum mos, *quia variolas* aliaſve quaſcunque continuas ac ſpeciatim exanthematicas *vehementioribus & calidioribus expellentibus*, itemque *calore magno hypocauſti* ac *ſtragulorum* præmature expellere ſatagunt: quia his ipſis ſanguis, jam quaſi ebulliens, qui temperandus eſt, magis incaleſcit & corrumpitur, *atque ex levioribus & diſcretis pejores, confluentes & malignæ conficiuntur*. Præterea ſciendum *epilepſiam*, quæ tempore invaſionis ſæpe pueros aggreditur, quamvis parentes aut amicos ſæpe vehementer terreat, *plerumque nihil mali denotare*, & variolas utplurimum ſatis bene ei ſuccedere. *Quando autem nimis copioſæ prodeunt*, præſertim in facie, aut *confluentes ſunt, aut malignæ* gravioribus & inuſitatioribus malis ſtipatæ, vel *collabuntur aut retrocedunt*, vel juſto tempore non exſiccantur, periculoſæ ſunt; & contra, *minus periculoſæ, ſi blande & tarde prodeunt, ſi diſcretæ & paucæ* ſunt, atque ſine gravibus ſymptomatibus.

V I.

Curatio per inoculationem.

Iu *curatione* igitur leniſſima via per blanda temperantia, diluentia, & diapnoica, ut in aliis continuis, mihi & pleriſque hoc tempore bonis practicis optima deprehenſa eſt. Antequam vero de hac plura dicamus, pauca monebimus de ea curandi ratione, qua multi variolas periculoſas, malignas & confluentes, *per ita dictam inoculationem benignarum*, præcavere ſtuduerunt, & quam minime

me rejiciendam, ſed potius maxime ſalutarem, *generique humano utiliſſimam eſſe exiſtimamus*.

Nam omnino veriſimile videtur, jam ab utero materno variolarum materiam ſanguini admixtam eſſe, quæ ſemel in omni propemodum homine deferveſcere debet. Quod ipſum quo citius, ſive quo minori ætate hoc fit in infantibus aut pueris, eo ſecurius ab eo veneno ut plurimum liberantur, atque eo melius evadunt. Quo autem diutius hæc peſtifera materia hæret in ſanguine, eo pejor ac malignior ea fieri videtur, dum obſervatur, *adultos plerumque longe gravius inde affligi quam pueros*, & quam plurimos illorum veneni vehementia vinci. Igitur quando variolarum benignarum inſitio præſtat, ut citius atque in ipſa infantia, præparato præſertim corpore, deferveſcere ſanguinis iſtud venenum queat, dubium ſane mihi non eſt, quin homines quam plurimi, præſertim nobiliores & Principes quam aptiſſime non ſolum ab ipſo mortis diſcrimine; verum etiam a variis aliis gravibus malis, quæ malignas ſæpe comitantur, hoc ipſo curationis genere defendi, atque faciei pulchritudo oculorumque integritas conſervari queant, quæ alias quam ſæpiſſime graviter læduntur, immo viſus acies haud raro maximo cum ægrorum damno ac moleſtia omnino tollitur.

Neque curandum, quod timidiuſculi hic opponant, cum experientia frequens in Turcis & Anglia, in Germania vero, Hanoveræ, Onolsbaci, Pyrmonti, aliiſque locis ejus utilitatem ſatis comprobaverit. *Quomodo autem hæc inoculatio ſit inſtituenda* in Chirurg. noſtræ P. II. Cap. XV. docuimus.

VII.

Curatio leviorum.

Cæterum in curatione vario modo, pro morbi varietate & vario morbi tempore, eſt procedendum. Nam *ſi blande*, hoc eſt, *ſine gravibus malis in-*

invadunt & erumpunt, ægrique bene se habent, a medicamentis fere omnibus, vel saltem calidioribus aut vehementioribus expellentibus abstinendum, atque *totum hoc opus naturæ recte agenti relinquatur*, suadendo solum regimen temperatum, quietum ac diapnoicum, legitimam victus rationem ex vegetabilibus, cum potu cerevisiæ tenuis, vel alio aquoso, ut decocto avenæ vel hordei, ut in aliis febribus levioribus, & inprimis etiam hic *hydrogalæ potum* ex part. iij. aquæ & part. j. lactis valde idoneum deprehendi, servando ægros extra lectum, quamdiu ambulare possunt ac volunt. Alii pro potu valde commendant *decoctum milii*, nonnulli etiam *lentium*; quæ etiam non contemnenda.

VIII.

Quæ difficilius erumpũt.

Quando autem opus eruptionis non legitime succedit, sed ægri *anxietates*, *inquietudines*, & *æstum nimium*, aliave mala sentiunt, in *calidioribus* nimius impetus est cohibendus: & quia materia sive venenum variolarum tunc pejoris est indolis, ea corrigenda & temperanda per pulveres temperantes, cinnabarinos, vel apud eos, qui pulveres aversantur, sicut infantes & pueri sæpe facere solent, per tincturas refrigerantes, ut ℞ flor. papav. rh. vel aquilegiæ: quibus quarta vel quinta pars spir. nitri. dulc. commode addi potest, itemque per potiones & emulsiones similes, potum sufficientem idoneum [N. VII.] acidulatum, atque regimen frigidius. *Sed in frigidioribus variolæ* eruptionis tempore *difficilius erumpunt*, vel depressiores subsistunt, indeque ægri anxietates persentiscunt, atque vehementius ægrotant, stimulanda atque juvanda est natura *lenibus alexipharmacis*, ut radicis *helenii frustulo* cerevisiæ tenui, tanquam potui ordinario injecto, quod vulgi nostri est remedium, vel granis aliquot *myrrhæ* prædictis pulveribus additis; vel essentia scordii, helenii, vel alexipharmaca, aliquoties in die parca dosi

cum

cum potu calido, imprimis Thea pectorali exhibita, itemque *aquis diaphoreticis* & speciatim fumariæ, card. bened. aut flor. sambuci, vel etiam *emulsionibus* ex seminibus aquilegiæ, cardui Mariæ & napi, paratis. *Decoctum* ex ficubus & herbis diaphoreticis aut pectoralibus compositum, præsertim ubi forte simul tussis adest, egregium hic est, si aliquoties in die calide bibatur, ubi etiam in paullo graviori malo *vesicatoria* recte brachiis & pedibus applicantur. Cæterum *in mitiori sive medio statu*, quando variolæ non nimis facile erumpunt, blanda diaphoretica ex prædictis aquis & terreis citratis sive temperantibus pulveribus, cum syrupo acidulo gratis redditis, sufficere sæpe solent.

IX.

Ubi Vena secanda.

In paulo pejori statu invasionis, *ubi calor & ebullitio sanguinis est admodum vehemens*, præsertim in juvenibus & adultis sanguineis, principio utilissime *sanguis larga satis copia detrahitur*: id quod præcipue in eis est faciendum, qui quotidie laute vivunt, vinumque simul & quidem larga copia bibunt, sicuti aulici, nobiles juniores & magnates; alias plerumque fiunt confluentes, & ægri inde moriuntur. Ubi vero hæc indicia non adsunt, aut ægri defectu virium laborant, consultius intermittitur.

X.

Quando evacuantia danda.

Sic, si *eodem tempore nausea, anxietas, aliave vomitum indicantia adsint signa*, tunc sicut in aliis febribus [Cap. III. N. XIII.], docuimus, præmissa, si æger est plethoricus, *sanguinis detractione*, vomitus radice *hypecacoannæ* exitandus, vel si vomitorii usum res quædam vetant, aut indicia Saburræ crudorum humorum in intestinis adsint, hi *leni purgante ex rhabarbari*, vel *jalapæ & mercurii* dulcis apta dosi, vel *decocto rhabarbari* in aqua vel sero lactis cum manna, vel *tamarin-*

tin-

rindorum vel *passularum cum manna*, vel & Tinct. sive anima rhabarb. commode evacuari [a], hisque *temperantia*, *diluentia* ac *diapnoica* sive lenia expellentia, pro materia vitiosa acri corrigenda & expellenda, subjungi, prudenterque per eruptionis & suppurationis tempus continuari possunt.

X I.

Quid in vehementiori invasione faciendum?

Si invasionis atque eruptionis tempore *calor vehementior*, sive nimia ebullitio in ejusmodi ægris percipitur; præter laudata temperantia, N. VIII. ad hanc moderandam *acida* quoque remedia, Cap. III. N. XII. laudata, in potu ordinario & in potiunculis data egregie prosunt; eo autem post eruptionem imminuto, *diapnoicis* & *potu sufficiente*, temperante, eruptionis & suppurationis tempore prudenter continuandum. *Epilepsia invasionis tempore incidens*, nulla alia, quam lenia expellentia, addita pauca cinnabari, tanquam nervino, requirit, eisque plerumque variolis provenientibus cedit.

X I I.

Quid si retrocedere videntur.

Si *variolæ* eruptionis vel suppurationis tempore *retrocedere videntur*, *vesicatoria* brachiis, pedibus & cervici sunt applicanda, atque interne *alexipharmaca* sive expellentia paullo fortiora, N. VIII laudata, corpore probe tecto, ex vehiculo calido sunt exhibenda: id quod etiam, & quidem adhuc majori cura est faciendum, quando jam retrocesserunt, alias certa fere mors brevi subsequitur.

X I I I.

Quomodo tussi medendum.

Tussis in variolis, & cumprimis etiam *in morbillis* vehementer sæpe affligens, temperatur, omissis

(a) Multi quidem evacuantia quæcunque hic metuunt & prohibent; ego vero aliique præstantes Medici ea utilia deprehendimus.

missis primo acidis mineralibus, *infusis pectoralibus* ad modum herbæ Theæ, aliquoties in die, usurpatis, itemque emulsionibus, aquis & essentiis diaphoreticis, N. VIII. quæ ipsa quoque tussi post variolas haud raro affligenti & phthisin sæpe minanti, optime opponuntur, ubi etiam *linctus pectorales* ex oleo amygdalarum dulcium & syrupis pectoralibus cum fructu his adjungi possunt.

X I V.

Quomodo oculi præservădi.

Quoniam vero oculi in variolis sæpe vehementer afficiuntur, ut non pauci inde visu vel omnino, abscessibus scilicet in ipsis subortis, vel saltem ex parte priventur, quando nimirum cicatricis & maculæ in cornea iis concitantur, ad mala hæc præcavenda & avertenda optime conducit, si *allii* a sano homine *manducati vapor* in oculos ægrotantium aliquoties in die inspiratur; vel si *splenia spiritu vini, camphora & croco imprægnata*, imbuuntur, ad ignem deinde fere rursus exsiccantur, oculisque, aliquoties in die renovata, imponuntur. Ægri vero a splendore solis & ignis, *frictionibus* oculorum rudioribus & *ploratu* quoque sibi cavere debent. Infantibus, præter vaporem allii, etiam utiliter *lac muliebre* ex uberibus in oculos aliquoties, in die instillatur; vel in hujus defectu, *lac aliud tepidum, croco impraegnatum*, eadem ratione adhibetur.

X V.

Qua ratione fauces?

Præterea tam oculis quam faucibus a malis metuendis præservandis, [nam hæ sępe intus valde intumescunt, ut ægri vix deglutire possint] egregie quoque conducit, *si quid croci & camphoræ*, linteolo inclusum, anteriori collo appenditur, atque per totum periculi tempus ibidem relinquitur, imo & dierum trium quatuorve intervallo renovatur. *Deinde si jam aliquis tumor fauces occupavit*, adhibendum *gargarisma* reprimens, ex radic. bistortę, floribus rosarum & malvę, cum syrupo mororum paratum, atque extus vel cro

cus

cus vel theriaca cum camphora, collo circumdatur.

XVI.

Si palpebræ ob inflamationem sunt glutinatæ, ut sæpe fieri solet, vi nunquam sunt divellendæ, quia inflammatio inde augeretur, & visus læsio inde esset metuenda: hinc, si dolores aliave symptomata desunt, in ægris, qui judicio pollent, ita sine damno relinqui possunt, donec sponte dissolvantur. Sed si dolores aut vehemens pruritus in oculis urgeant, vel ægri infantes sunt vel impatientes, & oculos aperire volunt, reserari possunt vel *saliva ægri* aut alterius hominis sani ac jejuni, vel lacte tepido, & cumprimis camphora & croco impregnato, si eis sæpe foveantur, donec a se invicem rursus recedant. Idem quoque præstare potest *oleum ovorum* recens paratum & inflammationis minuendæ caussa camphora roboratum.

Quid glutinatis palpebris?

XVII.

Alvi obstructio tempore eruptionis, immo & primis suppurationis diebus neque clystere, multo minus purgante est irritanda, quamvis per septem vel octo dies duret, præsertim quando æger nullum inde percipit incommodum. Sed si nimis diuturna, aut æger ventris dolores aliave incommoda inde sentiat, primo victu lubricante ex prunis vel pomis coctis, itemque decocto tamarindorum, pauco saccharo edulcorato, loco potus ordinarii solutio est tentanda, quæ vero si parum succedat, aut periculum in mora, *clystere emolliente* est solvenda.

Quid alvo obstructa?

XVIII.

Alvi fluxus contra, qui utplurimum valde periculosus, cohibetur pulveribus terreis, ut pulv. pannon. bezoard. Sennert. vel Anglicano, cortice cascarillæ & nitro roboratis, in primis crystallo montana, vel coralliis rubris præparatis, vel &

Quid ea nimis soluta?

CC. uſto aut terra ſigillata, ex aqua menthę vel cinamomi cydoniata, parca, ſed ſępe repetita doſi data, ut in monito 9. & 10. Cap. III. dictum eſt, curatur. *Dyſenteria* vel eadem ratione, vel interpoſito in malo graviori, pręſertim veſperi, leni opiato ex diaſcordio, vel laudano liquido, aliove ſimili, itemque clyſteribus ex lacte & theriaca ſubinde injectis, ſanatur, ea ſimul adhibita cura, ne ęgri, quando alvum exonerare volunt, e lecto ſurgant, quod ob refrigerationem, hic ſumme noxiam, probe vitandum. Atque illa ipſa quoque medicamenta interna in *Vomitu nimio*, pręmiſſo potu largo aquę tepidę, ſępe repetitis modicis doſibus, optimo cum ſucceſſu adhibentur.

X I X.

Quid in hæmmorhagia narium?

Hæmorrhagiæ ſive profuſiones ſanguinis e naribus *plerumque hic ſunt ſalutares*; adeoque niſi forte nimię, non ſiſtendę, ſed ſibi relinquendę, donec ſponte deſinant; ſin *vero nimiæ*, ita ut ęger valde inde debilitetur, eadem ſunt facienda, quę Cap. III. monito 18. commendavimus.

X X.

Quid in deliriis & convulſionibus?

Contra deliria & convulſiones pulveribus temperantibus, nitroſis, cinnabaris & camphorę aliquot grana, immo & pauxillum opii vel theriacę addantur, atque emulſiones quoque cum camphora, aut potiunculę ac tincturę acidulę his ſępe interponantur. *Veſicatoria* deinceps ſuris & cervici applicentur, atque *clyſmata* revellendi & temperandi ſcopo cumprimis ex ſero lactis, nitro & melle, vel ſaccharo, vel aqua tepida cum nitro, injiciantur, & ſubinde aliquot guttulę ſpiritus CC. vel liquor CC. ſuccinati exhibeantur.

X X I.

Quid in viriũ defectu?

In virium defectu, quia variolarum receſſus metuendus, dandę eſſentię diaphoreticę, alexipharmacę, vel Tinctura coralliorum, & aquę roborantes pro fibris languidis ſtimulandis, hiſque

ſubin-

subinde interponatur *haustulus vini rhenani* vel alius generosi ac bonę notę, quale forte ęger maxime appetat. [conf. monitum 20. Capitis III.]. Atque hoc ipsum *in tarda nimis suppuratione & exsiccatione variolarum*, quia hę plerumque ob vires nimis prostratas contingere solent, fieri debet, ubi & myrrha pulveribus expellentibus cum fructu ad aliquot grana additur.

XXII.

Quid in lingua & narium vitiis?

Linguæ & labiorum fissuræ demulcentur mucilagine seminis cydoniorum sępe illitę. Sed *in narium vehementi exulceratione* turundę oleo ovorum imbutę, in eas immittendę, & subinde renovandę, ne inde forte, ut aliquoties vidi, inter se concrescant, & respirationem postea ac loquelam valde corrumpant.

XXIII.

Quid in nova confluentiũ febri?

In variolis confluentibus suppurationis tempore, & cumprimis *circa undecimum morbi diem*, *nova quædam febris incidere*, eaque ipsa sępe perniciosissima mala, ac mortem ipsam haud raro concitare solet. In hoc rerum statu, ubi vehementissimę anxietates aliaque pessima symptomata plerumque oriuntur, *nihil magis prodest*, quam *si alvus lenibus purgantibus ducitur*: id quod optime fit decoctis sive potiunculis ex tamarindis, vel rhabarb. aut foliis sennę paratis, quorum apud adultos unciis tribus, deinde mannę ℥j. additur, unde plerumque magnum levamen sentiunt, aut prorsus ab iis malis liberantur. Quod si vero his prima vice prędicta symptomata non valde imminuta sint, eadem medicamenta semel iterumque sunt repetenda, donec ęgri melius se habeant. Nam hic periculum a purgantibus ejusmodi non est metuendum, ut quam plurimi hucusque sibi imaginati sunt, cum evacuando materiam noxiam, morbi tempore in intestinis collectam, egregie prosint, iisque omissis vel neglectis, hi ęgri ple-

rumque moriantur, conf. celeb. Angli *Freindii* Lib. de purgant. in nova variolarum confluentium febri adhibendis, & *Dissertatio nostra de Manna* ejusque usu in nova hac confluentium febre.

XXIV.

Quid ad turpes cicatrices evitandas?

Ad foveas & cicatrices turpes faciei evitandas nonnnulli suadent, ut ægri tempore invasionis *pediluvia tepida emollientia* quotidie adhibeant, atque mox quoque ad impetum a capite & facie avertendum, *vesicatoria* brachiis & pedibus eorum, revellendi caussa, applicentur: quarum vero rerum periculum meis ægris hucusque varias ob rationes suadere nolui. Attamen circa finem suppurationis pustulas majores *acicula aperiri jubeo* ut pus effluere atque partes subjectas erodere nequeat. *Pustulæ exsiccatæ* eundem in finem avelli, & loca ulcerata deinde oleo amygdalarum dulcium vel amararum, vel ovorum illini possunt, ita foveæ vel nullæ vel saltem minus deformes remanent, præsertim si ægri antea in regimine præscripto temperato servati neque calidioribus medicamentis tractati fuerunt, utpote a quibus alias deformes cicatrices sæpissime producuntur. Pustulis exsiccatis eisque vel avulsis vel lapsis, facies sæpius vapore lactis calidi, vel decocti avenæ foveatur, quod multum ad cutis æqualitatem & levitatem producendam facit.

XXV.

Quid morbo superato?

Morbo superato ægri semel iterumque, præsertim post pejores variolas, *antequam aerem ingrediuntur*, [quod non nimis cito fiat], *probe sunt purgandi*, hisque purgantibus semper apta *mercurii dulcis* dosis est addenda; alias plerumque varia gravia mala & cumprimis ophthalmiæ, spina ventosa, tumores glandularum, & ulcera varia variolas sequuntur: id quod etiam *in oculorum inflammationibus* variolas sæpe excipientibus, est faciendum; quibus vero adhuc diaphoretica varia & in-

inprimis infusa ex herba euphrasię, veronicę, sem. fœniculi, ligno sassafras, sunt interponenda & subjungenda, haud omissis idoneis collyriis aliisque discutientibus, quę in aliis oculorum inflammationibus prodesse solent.

XXVI.

Quando variolę epidemicę grassantur, magnates, nobiles, aliique honoratiores a Medicis desiderant remedia, quę liberos pręparent, ne, si forte eos aggrediantur, nimis copiose aut periculose a variolis corripiantur. Ordinavi sępius & adhuc ordinare in ejusmodi casibus soleo, primo purgans, ętati & viribus aptum, ex mercurio dulci & rhabarbaro, vel jalapa, aut similibus; hocque pręmisso, *Tincturam* quandam acidulam ex floribus rosarum, papaveris, bellidis vel *aquilegiæ* [a], mane & vesperi conveniente quantitate ex infuso Theę, vel cerevisia, vel aqua quadam destillata assumendam, una *cum modica* & apta *victus ratione*: quibus observatis, plerumque factum est, ut liberi illi vel immunes prorsus a variolis manserint, licet in tota vicinia sęvierint, vel leniter saltem ut plurimum eis correpti fuerint.

Quomodo pejores præcavenda?

XXVII.

De Morbillis.

MORBILLI [b] eadem ratione ac variolę curandi, nihilque fere aliud requirunt, quam quia *tussis hos ægros utplurimum, aut potius semper, attamen*

Quid Morbilli desiderent?

(a) Ex hoc genere quondam fuit celebris in Germania Tinctura antivariolosa *Dolai & VValdschmidii.*

(b) Horum Diagnosis vid. Cap. III. n. VI. & Prognosis eod. Cap. n. VII. & VIII.

men modo lenius, *modo vehementius affligit*, ut ter vel quater in die ægris detur infusum vel decoctum idoneum *pectorale*, & huic *linctus pectorales* subinde interponantur, conf. Cap. III. monitum 27. In nimis vehementi, noctu syrupus diacodii vel extracti papav. errat. gr. j. vel alterum, vel aliud blandum opiatum, modica dosi dari potest, & *in fine morbi*, sicut in variolis, *alvus purgetur*.

XXVIII.

De Febre Miliari, sive Purpurata.

Quid febris miliaris?

FEBRIS MILIARIS SIVE PURPURATÆ [*a*] curatio quoque potissimum in blando regimine temperante ac diapnoico consistit; adeoque potus sufficiens aqueus, acidulus, ut cerevisia tenuissima, vel decoctum panis, vel hordei aut scorzoneræ citratum haud frigidum, & remedia temperantia, diaphoretica, diluentia sæpius, & cum primis N. VIII. hujus Capitis jam laudata, primaria sunt: & quidem sic, ut mane essentia blande diaphoretica, postea mixturæ, potiunculæ, & pulveres diaphoretici, nitrosi exhibeantur. Interea tamen *in maligna*, vel *ubi nausea* vel *anxietas cardialgica* adest, usus maturus *radicis hypecacoannæ* caussam horum malorum utplurimum egregie expellit, ut laudatis remediis temperantibus ac diluentibus curatio tanto commodius absolvi queat. Si *in puerperis purpura* a lochiis suppressis oriatur, sanguis quoque e pedibus detrahatur, & pilulæ Becherianæ noctu simul exhibeantur, ad fluxum eorum, si fieri potest, restituendum. *Si non a lo-*

(*a*) Diagnosis & Prognosis peti possunt ex Cap. III. N. VI. VII. & VIII.

a lochiis suppressis, venæ sectio omittenda, & cætera laudata solum adhibenda.

XXIX.

De Febre Petechiali.

Quid Petechialis?

Petechiales & petechizantes febres (*a*) eadem fere ratione per lenissima diaphoretica, diluentia ac nitrosa optime curantur, cavendo sudores coactos. *Ubi vero adsunt nausea*, vel conatus vomendi, *respiratio anxia*, vel *anxietas* circa præcordia, principio lene *vomitorium*, præsertim ex rad. hypecacoanna, utilissimum, imo necessarium est; id quod etiam, si mala illa & præsertim respiratio anxia non remittunt, repetendum, eisque diaphoretica lenia cum camphora interponenda & subiungenda.

Alvi fluxus, si adsit, præsertim moderatus, *per adstringentia non est cohibendus* (*b*), sed naturæ potius relinquendus, vel ejus successus, quando forte natura segnior aut ad expellendum nimis debilis, leni laxante adjuvandus (*c*); & postea a prædicta curandi ratione non recedendum, sicuti Capite sequenti uberius exponemus.

Venæ sectio locum non habet, nisi forte ubi magna adsit plethora, vel abusus potionum calefacientium præcesserit.

(*a*) Harum Diagnosis vid. Cap. III. N. VI. & Prognosis N. VII. & VIII. (*b*) Vid. hac de re *Stahlii* Opusc. Chym. Phys. p 660. & seq. atque *Hoffmanni* Dissert. egregia *de Diarrhœa in malignis salutari*. (*c*) Conf. iterum si lubet, modo laudata *Hoffmanni*, itemque *Burchard*. Med. Rostoch. utilissima Dissertatio: de *Febr. Mesenter*. Ann. 1727. edita, ubi *usum purgantium* leniorum *in his & similibus febribus* egregie evicerunt.

XXX.

Ee Febre Scarlatina.

Quid Scarlatina.

In Febre, *Scarlatina* dicta [*a*], quæ per se quidem non adeo periculosa, & pueros fere solum aggreditur, quando levior, sola natura, præsertim si aptum regimen accedat, sæpissime sine medicamentis curatur; sed si paullo gravior, caussa morbi optime quoque corrigitur & expellitur sufficienti potu diluente, temperante, acidulo; potiunculis & mixturis temperantibus ac diluentibus, ut & pulveribus temperantibus & blande diaphoreticis, quando ægri a pulveribus non abhorrent, vitatis medicamentis & alimentis omnibus calidioribus, quia ab his morbus redditur gravior, servatoque eodem regimine & victu, ut in ceteris exanthematicis ac speciatim variolis (*b*). Qua via maculæ post aliquot dies sensim disparebunt, cuticula fere tota per lamellas decidet, & ægri tunc reconvalescunt: quo tempore purgandi, & postea adhuc per plures dies in cubiculis, præsertim si tempestas frigida est, conservandi, ut transpiratio aliquamdiu libera conservetur, utpote quod ad sanitatem integram recuperandam valde hic est necessarium.

XXXI.

Qua via anasarca post scarlatinam curanda.

Quod si verò ægri aut parentes hoc negligant, post tres circiter hebdomadas *tumore ventris*, immo totius sæpe corporis, sive *anasarca*, cum vel sine febre corripiuntur, immo & *tumoribus glandularum* aliisve sæpius malis gravibus; *urina* simul solet esse fusca ac turbida, & multi inde moriuntur. Cum vero novus hic morbus, (quem quidam pro altera febris scarlatinæ periodo habendum esse censent], ex

(*a*) Diagnosis tradita est Cap. III. N. VI. (*b*) Observare etiam hic juvat, *hæmorrhagias narium* in hoc morbo plerumque non nocere, sed potius prodesse dum Plethora eum reddit graviorem.

ex retentis noxiis humoribus in corpore ortum trahat, optime ei medetur remediis, quæ hos humores e corpore educunt: id quod optime fit; 1. alvum ducentipus, iisque per intervalla repetitis; 2. quæ eos per urinam, utpote quam viam natura, urina illa fusca & turbulenta, indicare videtur, expellunt: quale præ ceteris est tinctura tartari bis terve in die ad x. xv. vel xx. guttas exhibita; vel & huic liquor terr. foliat. tartari aut spiritus nitri dulc. commode admisceri potest; 3. quando infantes aut pueri purgantia assumere renuunt, *clysteribus* quoque e decoct. fol. sennæ satis apte purgantur [a]; *Sudoriferis* vero hic nihil efficitur, dum sudor vix ulla ratione obtineri potest. Interea tamen *partes tumidæ a frigore probe sunt defendendæ*: nam si valde frigent, sæpe instantis mortis indicium præbent. Si *febris combinata* est, quæ frequentissimum hujus mali solet esset symptoma, mixturæ & potiunculæ temperantes ex aquis diureticis paratæ, horis pomeridianis & vespertinis sedulo exhibendæ. Alia symptomata remediis suis propriis sunt oppugnanda.

XXXII.

Cbservatio ratione regiminis.

Denique in omnibus exanthematicis *refrigeratio, itemque lecti & indusii mutatio summe sunt noxia*, adeoque serio vitanda: nam hæc facile mortem, ut sæpe vidi, aut gravissima saltem mala inducunt. E contrario autem *nimius calor* quoque est perniciosissimus. *Tranquillus* vero *decubitus* in *moderato & æquali calore*, ad blandam & æqualem transpirationem semper conservandam, quam utilissimus est, atque quam maxime commendandus, nisi forte in lenissimis Variolis, morbillis, scarlatinis & urticatis, ubi *deambulatio in cubiculo temperato, clauso*, ipsis concedi potest, quamdiu ambulare volunt aut possunt.

C A-

(a) De hac febre scarlatina haud pridem peculiarem libellum emulgavit, cel. Medicus Gothanus, Jo. *Storchius*, Gothæ 1742, 8, lingua vernacula.

CAPUT V.

De Febribus acutis ſtomachicis & inteſtinalibus, quibuſdam meſentericis dictis.

I.

Peculiare acutarũ genus.

DEnique *peculiare adhuc genus eſt febrium acutarum* a pleriſque Scriptoribus hucuſque valde neglectum, quod ratione ſymptomatum & curationis multum a ceteris differt, attamen apto ſatis nomine nondum deſcriptum, adeoque & pleriſque adhuc prætervifum eſſe mihi videtur.

II.

Differentia a ceteris.

Differt autem a reliquis febribus acutis primo in eo, *quod alvi fluxus ipſam plerumque comitetur, ſed innoxius*, imo potius *ſalutaris, & quem reprimere periculoſum eſt*; deinde quod *non tam medicamentis temperantibus ac diaphoreticis*, quibus fere omnes reliquæ acutæ curantur, *multo minus ſudoriferis* aut alexipharmacis calidis vinci queat, verum his exacerbetur, & ægri perdantur; *ſed potius alvum blande ducentibus*, vel & *vomitum leniter moventibus, optime profligetur*. Adeoque falluntur ii, qui omnes acutas diaphoreticis potiſſimum aut ſudoriferis curandas eſſe exiſtimant aut docent.

III.

A quibus obſervatum.

Priſcis quidem *Medicis* hoc febrium genus *haud incognitum fuit*: nam manifeſta ejus veſtigia jam apud *Hippocratem* & ſubſequentes Græcos, imo & apud *Celſum* reperiuntur. Deinde etiam ex recentioribus *Duretus*, *Foreſtus*, *Sennertus*, *Riverius*, *Sydenhamus*, *Ettmullerus*, *Baglivius*, Medici hratiſlavienſes, *Stahlius*, *Hoffmannus* ac *Lanciſius*, ut

alios nunc taceam, illud viderunt, & quidam brevius, quidam prolixius descripserunt.

I V.

Ad malignas relatum.

A plerisque hæ frebes *ad malignas relatæ* sunt, quia inusitata quædam ac gravia, vel mox in principio symptomata ipsas comitabantur, vel per curationem consuetam diaphoreticam & potissimum sudoriferam eas insequebantur, qua plerisque ægris *præcordiorum angustiæ*, *anxietates*, *dolores circa ventriculi regionem*, *virium prostratio*, *deliria*, *exanthemata* varia, & præsertim *petechiæ*, aut *purpura* inducta, & in ipsum tandem mortis periculum ii sæpe conjecti sunt.

V.

Earum caussa & sedes in primis viis.

Febres autem hæ *in primis viis*, hoc est, *in ventriculo & intestinis potissimum*, *sedem suam*, ob phœnomena §. 2. relata, *habere videntur*; vel si forte sedes aut caussa quarundam earum in his, sicut tamen verisimile est, non sit, tamen *materia sive caussa ipsarum*, quæ in putrida colluvie consistit, *per has vias optime*, experientia teste, *evacuatur*; adeoque vel non in sanguine ea hæret, ut plerarumque acutarum aliarum caussa, vel saltem per illas vias longe felicius, quam per cutem aut sudorem, vel etiam sanguinis missionem, natura sæpe viam monstrante, eliminatur, *atque sic illa viscera a saburra vitiosa*, *putrida* vel maligna, has febres inducente, *brevissima ratione liberantur*, sicut hoc etiam in febribus dysentericis & dysenteria ipsa optime fieri solet.

V I.

De nominibus earum.

Nonnulli has febres *mesentericas* appellarunt, ut *Baglivius* (a) & speciatim *Burchardus* (b) Med. Ro-

(a) In Praxi Medica Lib. I. itemque Lib. de Fibr. motrice Cap. XIII. & in Ep. II. oper. ejus annexa ad *Andryum*, mihi pag. 701. (b) In Dissert. de *Febribus mesentricis* supra jam laudata.

Rostochiensis quondam celeb. sed nuper magna rei medicæ jactura defunctus; quia vel in mesenterio, vel circa illud sedem suam ipsas habere existimarunt. *Sydenhamus*, summus ille Medicus, similes quoque febres descripsit in tractatulo de *Novæ febris ingressu*: attamen quia idoneum aliud nomen proprium ignorasse videtur, generali nomine *novæ febris* contentus fuit, & sub hoc eas satis bene descripsit.

Mihi vero, quia raro forte, in mesenterio earum caussa, aut sedes est, dum difficile concipitur, quo in mesenterii loco illa hærere, aut etiam ex eo ope purgantium expelli possit, adeoque nomen *febris mesentericæ* falsam idæam lectoribus & præsertim tyronibus concitat, de meliori nomine cogitandum esse existimo, atque donec forte aptius inveniatur, rectius eas *stomachicas* vel *intestinales acutas*, a sede, quam revera habent (*a*), vocari posse censeo; ita ut ad hoc genus omnes fere illæ febres acutæ, *quæ fluxu alvi stipatæ sunt*, commode referri queant; quæ tamen deinde rursus *varia nomina specialia* a variis ipsas concomitantibus malis recipere, iisque in suas species distingui poterunt. Absonum itaque videtur, *omnes acutas una eademque ratione*, ut recentiores plurimi voluerunt, *diaphoreticis vel sudoriferis*, vel etiam *venæ sectione*, *sanare velle*; cum natura in his alias vias demonstret, & usus alios quoque & quidem jam indicatos curandi modos comprobet, immo illis multum præferat.

Species hujus generis sive varietates ejus & signa.

VII.

Manifeste igitur, ad hoc genus pertinent *dysen-*

(*a*) Ita enim *Baglivius* quoque sentit, quando ait. l. c. *febres omnes gravioribus symptomatibus stipatæ vel a viscerum inflammationibus pendent, vel a pravis contentis in primis viis.*

sentericæ & *petechiales* sive *petechizantes* [*a*], aliæve congeneres, ad malignas vulgo referri solitæ; præterea febres nonnullæ *catarrhales* dictæ, itemque *continuæ quotidianæ* & quam maxime *tertianæ*, ut & *febris semitertiana* sive *hemitritæus*, quo nomine a veteribus eæ intelligi solent, ubi ægri vel quotidie, vel tertio quovis die, novam accessionem sive horrorem ac postea calorem experiuntur magis intensum, & ubi sæpe, *quando corpus in lecto commovent*, *horrore quodam afficiuntur*, unde & φρικώδεες, id est, *horrificæ* veteribus dictæ sunt, atque φρικώδεες & *hemitritæi* HIPPOCRATI synonyma sunt (*b*), quas veteres rursus pro symptomatum varietate in plures alias, ut *Typhodem*, *Assodem*, *Elodem*, *Epialam* & *Lipyriam* subdiviserunt: quæ vero *essentia omnes conveniunt*, sed symptomatibus tantum nonnullis differunt, sic, ut nimis subtilis illa divisio entium præter necessitatem fere sit multiplicatio, atque tyronibus minus utilis. *Hemitritæi* igitur quæ & *tritophyæ* veteribus dictæ, proprie sunt *febres*, *quæ tertio quovis die horrore exacerbantur*, immo & alias subinde, ut jam dictum est, leviorem horrorem ægris concitant, ita, ut *horroris illa frequens perceptio signum pathognomonicum hemitritæi constituat* [*c*]: quare hi ægri corpus semper probe contectum amant; unde vero ii, qui ad sudores proclives, facile in *sudores*, nihil proficientes, sed potius *noxios* incidunt; id quod jam HIPPOCRATES notavit (*a*), dum dicit: *in phricode*, *qui sæpe & multum sudore diffluunt*, *miserandi*. Nam mali hujus caussa non hæ-

(*a*) Conf. si placet, *stahl.* Opusc. Physico-Chymica Med. p. 660. & seq. (*b*) Teste *Burchard.* Diss. laud. p. 4. (*c*) Hujus horroris seu frigoris frequentem perceptionem *a vitiosis humoribus in primis viis hærentibus* easque vellicantibus oriri cum. *Burchard.* in citata modo Dissert. p. 5. haud sine ratione existimo, (*d*) Vid. *Duretus* in Coacis prænot. p. 9.

hæret in sanguine, sed in ventriculo & intestinis, atque *sic non per sudorem*, (quia noxius in eo observatur,) sed *per alvum*, aut *os* quandoque, tanquam vias proximas, quas natura hic sæpe indicat, e corpore eliminari desiderat. Atque *hæ febres largis* ejusmodi *sudoribus præditæ*, *elodes* veteribus *dictæ*, & valde periculosæ ab ipsis merito habitæ sunt. Dum vero *regimine* sive *diaphoretico* sive *sudorifero* materia noxia ex intestinis in sanguinem propellitur, sed ad transpirationem inepta est, *in cute hærens maculas sæpe rubras*, vel *lividas concitat*, sic inde fiunt *petechiæ*, quem statum tunc, tanquam novam febris mali moris speciem considerarunt; *aut malignæ aliæ* inde concitantur, immo *ipsæ pestilentiales*; vel materia vitiosa *in nobiliores partes* ope bezoardicorum pessima metastasi transfertur, ut *Sydenhamus* & *Baglivius* etiam jam notarunt, *atque inflammationes in eis producit*, sic ut, si ad cerebrum transferatur, *deliria* aut *phrenitidem*; ad pulmones, *peripneumoniam* vel *pleuritidem*; in aliis partibus, alias producat, quibus ægri, orta gangræna, vel brevi jugulantur, vel suppuratione facta, lenta tabe conficiuntur. Quando autem hæc primarum viarum materia vitiosa non adeo mali moris est, & vel ad *nares*, *fauces* aut *pulmones* transfertur, leviores inde proveniunt morbi, quos *defluxiones* sive *catarrhos* vulgo appellant; vel febre juncta, *febres catarrhales*, materiaque illa per hæc loca evacuatur; aut quoniam hæ defluxiones *hæmitritæum* haud raro concomitantur, eam *febris catarrhalis* nomine salutabant, & quidem vel *benignæ* vel *malignæ* pro magis vel minus gravibus, quos in corpore ægri edunt, effectibus.

VIII.

Aliæ adhuc differentiæ & signa.

Tritophyæ vero febres proprie dictæ sunt, quæ quidem quoque *tertio* sive impari die suas per horrores *habent exacerbationes*; verum minus certas, sed erraticas ac majore calore ægros affligunt, at-

que

que *ad ardentes sive causodeas* magis accedunt, ideoque gradu fere tantum ab ardentibus diversæ: hinc a recentioribus hæ duæ sub eodem vocabulo *febris cholericæ* sive *biliosæ* comprehendi solent, a quibus, etiam haud raro *febres putridæ*, ob fœtorem conjunctum, dictæ fuerunt: atque hæ omnes, quod caput fere rei est, *sæpe alvi fluxum habent comitem*, & in primis viis utplurimum sedem suam obtinere videntur. Frequens præterea & *molestum* valde symptoma est horum morborum, *anxietas circa præcordia*, interdum sine, interdum cum *cardialgia*, quo in statu *Assodes* a veteribus dicta est, unde teneriores subinde *syncope* corripiuntur, a quo symptomate *febres syncopales* etiam dictæ sunt, adeoque ob vehementia hæc mala *malignis annumeratæ*. Haud raro his febribus stomachicis atque intestinalibus *dolores hypochondriorum perquam graves* ac *molesti* superveniunt, qui, præsertim *si tussis* accedit, *pleuritidem* sæpe mentiuntur, & quidem ob cætera gravia mala simul juncta, *malignam*; ita ut minus cautis minusve exercitatis ejusmodi febris pro pleuritide habeatur, atque pro ea, sed malo cum successu, tractetur.

IX.

Caussa harum variationum.

Verum *omnia hæc symptomata a constrictionibus spasmodicis, tam ventriculi, quam intestinorum*, cum tenuium, tum crassorum, ab acri in iis contenta putrida materia irritatorum, quæ ad has admodum proclives sunt, oriuntur; quibus ipsis vero simul *respirationis organa*, ob nervorum nexum, *in consensum*, sicuti alias in spasmis hypochondriacis & hystericis fieri solet, rapiuntur; id quod non solum magna pituitæ tenacis ac fœtidæ copia, quæ vel clysteribus vel lenibus evacuantibus, sed maxime, quæ sponte natura, magna sæpe copia, cum fructu & haud raro integra morbi solutione expellitur, docet, sicut HIPPOCRATES id satis manife-

nifeste jam notavit, quando ait [a]: *quibus in febre dolore lateris oboriente, alvus multa aquosa & biliosa egerit, hi allevantur.*

X.

Omnes hæ Febres in fundamẽto conveniunt.

Quoniam *igitur hæ febres omnes re ipsa convenire & ejusdem fere naturæ esse*, atque non nisi certis symptomatibus variare, mihi variisque aliis, ex supra laudatis Scriptoribus videntur, omnes commode unico *febrium stomachalium & intestimonialium acutarum nomine* comprehendi possunt, nec opus hic esse existimo, ut jam dixi, entia ac nomina præter necessitatem multiplicare, iisque tirones confundere, & frequentem errandi occasionem præbere; nomine, ex mea sententias, satis apto (saltem longe, ut opinor, *aptiori*, *quam mesentericarum* aut ceterorum omnium nominum hactenus prolatorum), ita enim juniores in his morbis & cognoscendis & curandis minus errabunt: quia sic certius meliusque scient, ubi eorum sedes, quænam sit caussa & denique quid in eis sit agendum: *cum eadem omnium*, paucissimis pro ægrorum forte diversitate mutatis, *sit & indicatio & curandi ratio.*

XI.

Et per evacuantia curari desiderant.

Observatio enim nonnullorum supra laudatorum Medicorum præstantissimorum docuit, *earum naturam* ita constitutam esse, ut caussa sive *materia morbi, per alvum utplurimum educi desideret*, & sponte sæpius a natura, licet nullo certo die, dum dies certi critici hic non dantur, etiam per hanc viam expellatur; *minime per transpirationem*, ut aliæ pleræque acutæ, *multo minus per sudorem*; quippe quia his, ipso etiam STAHLIO teste [b], semper in deteriorem statum conjiciuntur, adeoque probe ab illis distinguendæ, quæ *vel per sudorem vel hæmorrhagiam critice solvuntur*: quod vero, quia paullo difficilius a junioribus Medicis dijudicatur,

(a) Vid. Coacas prædict. T. I. p. 527. edit. Lind. (b) Libro & loco supra jam citatis.

tur, *operæ pretium erit signa hic suppeditare*, eaque satis certa, *quibus has febres*, quæ evacuationes per alvum postulant, *a cæteris dignoscere* queant.

X I I.

Earum diagnosis & 1. leviorum.

Sunt itaque omnes hæ febres tales; 1. ut ægri eis correpti per vices horreant, sed incertis temporibus; 2. *dentes*, *lingua* & *fauces viscida & spurca pituita*, ac speciatim lingua squalore sæpe luteo, fusco vel nigricante, ipsis obsitæ sint, ita ut adstantes plerumque *fœtorem oris*, ægri vero ipsi adversum saporem gustu inde percipiant; 3. *alvi fluxus utplurimum adest*, *& excrementa*, *quæ per anum ejiciuntus* fœtorem sępe pessimum spirent; [*a*] 4. *hypochondria tensa sunt* & *sæpe simul valde dolent*, [sine dubio a copiosis & turgentibus humoribus noxiis, in ventriculo & intestinis contentis]; 5. *pavores frequentes* in somno incidunt, ut propter eos dormire aut quiescere nequeant, qui sensibilioribus etiam vigilando haud raro sunt molestissimi, ita ut ex levissima sæpe caussa concutiantur & vehementer expavescant: *atque hos pavores in febribus* acutis quibuscunque haud sine ratione *pro certissimo indicio* habet BURCHARDUS mineram febris in intestinis hærere; quæ etiam ratio esse videtur, quare *tritophyas* febres HIPPOCRATES *terrificas* dixęrit, atque mali plerumque præsagii habuerit [*b*); 6. *dolores* quoque plerumque adsunt *capitis & cervicis*, a spasmis, ut videtur, oriundi; 7. *urina* initio morbi utplurimum *naturali similis* [forte quia caussa morbi tunc nondum est in sanguine], *in progressu turbida fit ac limosum sedimentum deponit*, quod sæpius usque ad finem ita durare solet.

F Atque

(*a*) Quæ omnia etiam *Baglivius* jam bene notavit in Prax. Med. (*b*) Vid. *Duret*. Comment. in Coacas prænot. p. 20. & Aph. 67. Sect. IV.

XIII.

2. *Graviorum aut malignarum cum prognosi.*

Atque ex his signis primarum viarum febres acutas satis cognosci posse existimo. *Adsunt quidem sæpe adhuc alia, quæ vero non tam febres hasce, quam potius gravem* & periculosum earum *statum*, si adsunt, *indicare solent*; qualia 1. *sunt*, *summæ præcordiorum anxietates*; 2. *dolor ventriculi* aut *lateris* unius circa hypochondria *acutissimus*, pleuritidem mentiens; 3. *vires* valde *prostratæ* & lypothimiæ; 4. *ardor interne*, sed externe frigus; 5. *motus manuum tremulus*, subsultus tendinum, *mens vacillans*, *singultus*, *floccorum collectio* & *sudor frigidus*; quæ ultima simul materiam morbi malignam atque *summum vitæ periculum* indicant, atque simul ex his indiciis peti potest *præsagium*.

XIV.

Symptomata minus consueta.

Sunt & quædam *symptomata* hisce febribus familiaria, quæ vero proprie *non ex natura earum*, *sed potius* & plerumque, sicut in aliis multis, *ex malo ipsarum regimine*, ac præsertim *nimis calido*, vel *sudorifero*, dum scilicet eo ipso, ut supra jam dictum est, *materia vitiosa* ex intestinis *ad sanguinem* ac partes nobiliores propellitur, sed exhalare forte e sanguine in cute ob spissitudinem vel aliam rationem nescia, hinc inde in ea hæret, & *maculas* aut *papulas* rubicundas aut lividas producit, quo casu tunc febris *petechialis* vel *purpurata* dici consuevit; vel *si ad aures* interne deponitur, *surditatem sæpe producit*; vel circa *glandulas parotides* vel *maxillares*, atque ibidem *tumores*, *inflammationes* & *abscessus* pessimos concitat; si ad cerebrum transfertur, *deliria* & *phrenitidem*: atque sic, prout in partem corporis magis vel minus nobilem impellitur, diversa necessario mala ac pericula, ut *pleuritidem*, *peripneumoniam*, *hepatis*, *lienis*, *ventriculi*, *intestinorum*, &c. *inflammationem producit*; quæ diversissimam caussam & morbum diversum indicare videntur, licet revera unus idemque sit morbus, &

una

una eademque caussa, atque vix nisi loco affecto malisque accidentibus inde oriundis differat.

X V.

Diarrhœam sistere periculosum.

Quare si *hisce in malis alvi fluxus supervenit, isque per medicamenta cohibetur*, ægri in pejus ruunt (*a*), quia materia noxia excernenda retinetur; sed si sibi relinquitur, dum caussa primaria in intestinis hærens sic e corpore expellitur, morbum plerumque minuit, aut omnino solvit, quemadmodum HIPPOCRATES generatim *de febre lateris cum dolore combinata*, sicut paullo supra indicavi & *speciatim de surditate & parotidibus* (*b*). Gerard. Columba de feb. pestilent. aliique e supra N. III. laudatis præstantissimis Medicis *de petechialibus, mesentericis, epidemicis, catarrhalibus, horrificis*, aliisque testantur.

X V I.

Evacuatio primarũ viar. necessaria.

Cum autem maligna ac vitiosa harum febrium, ut multa phænomena, [excrementa v. gr. saliva, sudor, fœtida & subinde cadaverosa] suadent, *materia non tam in halituosa* quadam, ut *Stahlius* existimavit (*c*), substantia tantum, sed sæpe in *putrida quadam* pravorum humorum colluvie consistere videatur, in *ventriculo aut intestinis*, vel in ambobus simul *collecta*, atque attenta observatio & usus docuerint, *eam correctionem*, (saltem per hactenus nota atque usitata *remedia*) sæpius non admittere, *sed evacuationem potius per alvum desiderare*, quemadmodum etiam hoc in febribus a *vermibus oriundis*, qui quoque utplurimum in multa putrida pituita nidulantur, & alii & ego frequenter observavimus, *quæ febres revera sæpe valde vehementes & periculosæ* sive malignæ sunt,

(*a*) Teste experientia & ipso *Stahlio*, Opusc. Chym. Med. p. 612. & seq. (*b*) Aphor. 28. Lib. IV. & Epidem. Lib. I. (*c*) In Opusc. Chym. Med. ubi Histor. Febris epidem. Petechizant. exponit, p. 636.

hinc *nisi illa materia vitiosa a natura sponte ejiciatur*, sicut id forte sæpius ob tenacitatem fieri nequit, præsertim in illis, ubi calor non est adeo vehemens, sed potius horrores frequentes incidunt, *arte a Medico*, naturæ tunc Magistro, [cujus *prudentia & directio hic plus valet quam natura*] sed non violenta, verum blanda ratione evacuari debet [*a*]. Doctissime hac de re etiam disserit celeb. *Lancisius*, quando ait: *In febribus novis*, præsertim *malignis*, *castrensibus*, *petechizantibus*, &c. *Medicus diligenter naturæ motus observare debet*, & quidem sic, ut *salutaribus faveat*, *noxiis obsistat*, ægrumque translatione saltem in chronicum morbum, (quod est hac in re, ut admodum frequens, ita summopere utile) ad salutis portum utcunque perducat. *Exinde fit*, *ut in hujusmodi febribus raro purgantia*, *nisi ab initio*, & quidem cum absente diarrhæa, quotidie remiserint, aut alternis diebus rigore, aut saltem frigore exacerbentur, juvare solent; *tunc enim non levis materiæ febrilis portio circa hypochondria aut primas vias hærere solet*, quæ vel *emeticis*, *vel purgantibus evellitur*, vid. doct. Lancisii Epistola, in *Cochii* Epistolis Med. p. 23. de Febribus castrensibus, contenta.

XVII.

Alii alio modo curationem instituerunt.

Modus vero evacuandi materiam corruptam in febribus acutis e corpore varius hactenus fuit apud Medicos, & quidem plerique hoc per *sudorifera*, vel saltem *diaphoretica*, præstare voluerunt. Verum usus docuit, *rem hac ratione*, si in ventriculo vel intestinis materia noxia hæret, *haud feliciter succedere*; sed *potius eo ipso eam in sanguinem promotam*, *petechias*, *aphthas*, *phrenitidem*, *anginas*, *inflammationes* & abscessus periculosos, vel omnino *gangrænam*, *sphacelum partium internarum*, ac mortem

(*a*) Libro modo citato p. 639. seq. 647.

tem inductam eſſe, unde HIPPOCRATES jam *miſerandos illos* dixit, qui in *phricode multum ſudant*: quia hi ægri his ſolum debilitantur, cauſſa tamen per ea ex ventriculo & inteſtinis haud aufertur.

XVIII.

Optima per primas vias evacuantia curantur.

Rectius vero, & per viam longe breviorem *hoc fit per os vel per alvum*, natura hic ſæpe viam monſtrante, atque uſu quoque hanc curandi rationem confirmante.

Teſtes habemus egregios Medicos jam ſupra N. 3. laudatos, & ex parte etiam *Stahlium* [a], qui tamen ultimus, licet obſervaverit, *diarrhæam ægris* hujuſmodi febribus laborantibus *non nocuiſſe*, itemque ægros tales longe melius ſe habuiſſe, quibus alvus fluxerit, quam quibus obſtructa fuit, immo *empirici cujuſdam remedium alvum ducens indicet*, quo quamplurimi febribus *petechizantibus*, prout ipſe eas appellat, ſive *quotidianis continuis*, *caſtrenſibus* aut *epidemicis*, *acutis*, decumbentes *optime curati fuerint*, tamen, quantum ex ejus ſcripto videre eſt, ipſe lenia evacuantia, licet natura viam per alvum demonſtraverit, iſque naturæ ductum ſequi alias ubique fere docuerit, iis porrigere auſus non eſt; attamen circa finem illius ſcripti, p. 687. ſpondet, ſe brevi aliquid editurum eſſe, quod *emeticorum* & *catharcticorum* eis in morbis uſum uberius ſit expoſiturum; quod vero an factum ſit, dubito, quia illud videre haud memini. Interea tamen & antea laudati Medici & nonnulli alii poſtea, ductum naturæ hic ſequentes, *felicem evacuantium*, & cum primis *lenium emeticorum* & *catharcticorum uſum*, ejuſmodi in morbis *tentarunt*, eumque longe ſaluberrimum deprehenderunt, inter quos præter nominatos etiam eſt

(*a*) Opuſc, Chym, jam ſæpius citatis.

CAROLUS [*a*], aliique forte plures: cum primis vero BURCHARDUS in Dissert. sua jam aliquoties laudata de *Febribus mesentericis acutis*, hanc curandi viam diaphoreticæ & sudoriferæ, haud sine ratione quam longissime prætulit, & nuperrime etiam adhuc DEGNERUS in libro *de Dysenteria Biliosa*, in Febribus Dysentericis. Quamvis autem fluxus alvi sponte iis superveniens *febres has intestinales* sæpe solvat, rectissime tamen *Burchardus*, *eum in omnibus ægrotis sponte non oriri*, naturamque ad noxiam materiem expellendam sæpius haud satis validam esse monet, *aut nimis quandoque* a vitiosa putrida materia irritatam, plus, *quam par est*, *expellere*, atque sic ægris vires nimis exhaurire, eosque hoc ipso sæpe perdere. Itaque *hisce in morbis plus valere Medici prudentiam*, *quam naturam*; scilicet ut languentem, quæ hic quod facere debet, non facit, blandis emeticis, vel alvum moventibus remediis excitet, & e contrario nimis violenter expellentem ægrumque debilitantem, prudenter moderetur, sicut id ex viribus ægri & pulsu dijudicare debet.

X I X.

Quibus remediis evacuatio instituenda.

Duretus antiquo medicamento purgante, *hiera picra* dicto, per aliquot dies in ejusmodi casibus *felici cum successu* usus est (*b*), cujus primarium ingrediens est *aloe*, quod & *Baglivius* hic valde commendat: ideoque & *alia aloetica* blanda remedia, ut pilulæ Francofurtenses, Immanuelis vel Becherianæ, hisve similes, vel alia idonea aloetica compositio hic adhiberi poterunt. Alii decocto vel *rhabarbari*, cum aut sine *manna*, utuntur; vel ho-

(*a*) Sive *Carl.* Medicus Practicus egregius, & Daniæ Regis Archiater, in scriptis suis practicis. (*b*) Vid. ejus Commentar. in Coacas prædict. p. 27.

horum loco apte quoque Tinctura sive *Anima rhabarbari*, ad morem *Degneri*, ad cochleare j. vel ij. per intervalla, dari apte potest; infantibus vero gutt. 20. ad 50. BURCHARDUS *sal anglicanum purgans* hic laudat, ejusque ℥j. puerperæ cuidam optimo cum successu exhibuit, quo sedecim secuti sunt sedes, cum perfecta febris ejusmodi intestinalis solutione, adeoque & aliis cum fructu dari potest. Alii ægro *mannam cum cremore tartari* & *nitro* feliciter dedit. Ego sæpius potiuncula ex leni *decocto tamarindorum & foliis sennæ cum manna*, feliciter usus sum, vel & *anima rhabarbari*, vel etiam pulveris rhabarbari ʒß. cum nitri ℈ß. vel in mulieribus, ubi forte menses instant, pilulis etiam Becherianis: hisque & similibus evacuantibus *dolores ventriculi* & *hypochondriorum* itemque *præcordiorum angustiæ* egregie hic tolluntur. Cum itaque *evacuantia* ejusmodi lenia egregie hic prosint, *sudorifera autem*, & *quæcunque corrigentia alia* hactenus tentata, *noxiam hanc materiam in primis viis non destruant*, haud male BAGLIVIUS indignabundus quasi in eos, qui febres tales solis alterantibus curare volunt, invehitur Medicos, dicendo: *Quantum exardeo, cum video Medicos ad corrigendam & dulcificandam solum materiam occupatos; sed de humore peccante foris eliminando non cogitare.*

XX.

Quænam alia adhuc conveniant.

Verum præter hæc lenia evacuantia, in eundem scopum simul quoque *lubricantia* varia apte adhiberi atque illis interponi ac subjungi possunt: ut scilicet sunt *potus seri lactis*, *decoct.* C.C. *cum pomo citri* paratum, *decocta ex hordeo cum pomo citri* & saccharo, vel ex *avena cum passulis* confecta; *decocta prunorum dulcium* aut *pomorum fragrantium* saccharo grata reddita; *emulsiones* ex amygdalis & pineis, aut semin. 4. frigid., si recentia sunt, quæ omnia etiam roborandi vi pollent; immo & *oleum*

amygdal. dulc. quoque in iis, qui oleosa non aversantur, haud inepte ad acrimoniam in primis viis corrigendam & vias lubricandas subinde interponitur. Infusi herbæ *Theæ* & decocti *Coffeæ* potus tepidus, vel quod HIPPOCRATES jam commendavit, *hordei tosti*, ad modum Coffeæ paratum (quod eundem fere saporem & virtutem habet] itemque *potiunculæ* diluentes ex *aquis temperatis*, & syrupo paratæ, atque acidulæ redditæ, ad corrigendam materiam acrem, putridam, alcalicam commode etiam porriguntur. *Pulveres ex absorbentibus terreis*, cum *nitro & cinnabari* quoque cum fructu inter cœtera iis quandoque dari possunt, qui pulveres non aversantur; verum non ob scopum diaphoreticum, & sine regimine sudorifero, sed tantum ad imbibendam & temperandam materiam vitiatam acrem, & motus spasmodicos ac dolores hoc ipso mitigandos.

XXI.

Clysteres quoque utiles.

Quod si laudata lenia evacuantia & lubricantia ad humores noxios extrudendos forte non sufficiant, atque æger de *magnis præcordiorum angustiis*, *doloribus ventriculi & hypochondriorum* conqueratur, *clysteres* quoque simul lubricantes & demulcentes, qualia sunt decoct. avenæ cum oleo olivar. vel lini, vel decoct. fl. chamæm. in lacte, cum oleo, melle aut saccharo, quod egregium simul est antispasmodicum & anodynum, in usum adhuc sunt vocandi, ut iis non solum exitus corruptorum promoveatur, verum etiam acris materia temperetur, ac spastici motus in intestinis & ventriculo demulceantur: quibus hisce in malis sæpe multum boni efficitur. Si qui vero penitus a clysteribus abhorrent, *iis sal anglicanum*, sicut N. XIX. dictum est, apte dari potest, quod raro spem nostram destituet, quodque eo magis laudandum est, quia æstum febrilem simul temperat, & *intra breve tempus plerumque alvum solvit*, ægroque sic cito solatium præbet. *Clysteres* tamen *omnium promptissimum & innoxium* maxime re-

remedium constituunt, semel, bis, terve in die reiterandi, quoties gravia mala & cumprimis *anxietates* aut *dolores hypochondriorum* id urgeant. Verum *non sint nimis acres*, sed ut dictum, *emollientes potissimum ac demulcentes*.

XXII.

Quando materia morbi caput petit.

Quando impetus humorum vitiosorum versus caput ferri videtur, id quod ex capitis dolore, rubore faciei, mentisque alienatione, &c. intelligitur, pedes calidis fovendi, superiores vero partes frigidiores & parum tectæ servandæ sunt, atque ab omnibus calefacientibus ac sudoriferis abstinendum. *Riverius* tunc quoque indusia sæpe mutare jubet; [a) quod vero vix suaderem. *Vesicatoria* præterea *suris*, & *rubefacientia*, ut fermentum cum sale & sinapi contuso, atque aceto, plantis pedum calide imponantur, ut sic vehementius a capite revellant. Quem in scopum etiam, præsertim quia vesicatoria tardius agunt, *clysmatibus* quoque ex decoct. prunor. cum foliis sennæ, nitro imprægnatis, revulsio a capite procurari debet, eaque ratione sæpe quidam, qui jam desperati videntur, præter spem adhuc restituuntur.

XXIII.

Quid in singultu faciendum.

Eadem fere ratione est procedendum si *singultus* incidat; aut si his non cedat, *sal anglicanum Epsamense* est propinandum, vel sicut *Duretus* & *Baglivius* sæpius cum successu fecerunt, *Hiera picra*. *Potus Coffè* etiam in singultu sanando singulari pollet virtute, eumque hic jam pro secreto commendavit BAGLIVIUS. Quando *singultus ab inflammatione ventriculi*, camphoræ gr. ij. vel tria pulveribus antispasmodicis misceri, & Spir. V. camphor. ventriculo extus imponi, cum fructu possunt.

XXIV.

(a) Prax. Med. Sect. II. cap. 2. p. 429.

XXIV.

Quid de V.S. sentiendum.

Sanguinis missio, quam SYDENHAMUS fere promiscue in febribus commendat, apud nos raro & nonnisi in valde plethoricis, aut qui vini copiosioris potui dediti sunt, prodest, & quidem tantum in principio: quando vero rationes eam instituendi adsunt, *prius clysmate leni alvus evacuetur*, & si ab hoc *dolores hypochondriorum & præcordiorum anxietates* mitigantur, ab illa abstineri potest; quando autem illa mala redeunt, *clysma* quoque, quoties id accidit, *iterandum* (a). Sed *si ab adhibito clysmate non mitigantur*, ad avertendam inflammationem *mox in principio sanguis e venis educatur*. Si enim hoc demum tertio aut quarto die fit, plerumque magis nocet, quam prodest.

XXV.

Quid faciendum ubi diarrhœa.

Quando natura ipsa in his febribus alvi fluxum facit, tunc & ab evacuantibus internis & clysteribus abstinendum, atque solis fere aqueis tepidis, diluentibus ac lubricantibus supra indicatis, ac potionibus satis largiter haustis, ea juvanda est. His *terrea*, *nitro adiecto*, interponenda, ad acrimoniam noxiorum humorum imbibendam & infringendam, atque inflammationes simul præcavendas. Interea tamen *Tincturæ rhabarbari* quandoque etiam cum fructu cochleare j. interponitur.

XXVI.

Si alvi fluxus nimius.

Quod si vero *natura fluxus alvi nimis vehementes* & colliquativos concitat, ita ut vires ægri valde prosternantur, extrema frigida reddantur, aliaque prava symptomata inde subsequantur, ægro *diascordii* ℨj. ex aqua cinamomi sine vino vel cydoniatæ ℥iß. exhibenda, quod vires non solum roborat & fluxum moderatur, sed & simul blandum somnum con-

---

(a) Hoc notabili exemplo illustrat & comprobat laud. *Burchard.* in Diss. cit. p. 26.

conciliat. Sed ſi alvus inde nondum conquieſcat, iterata vice poſt aliquod tempus exhibitum raro ſpem Medici deſtituet, quemadmodum præter noſtram experientiam, & SYDENHAM & BURCHARD. p. 29. ſancte etiam id confirmant.

XXVII.

Ubi anxietates & ventriculi dolores.

In *anxietatibus præcordiorum* & *doloribus ventriculi* atque *hypochondriorum* evacuantia, præſertim *rhabarbarina* §. XIX. laudata dari, atque *Clyſteres* leniter evacuantes §. XXI. ſæpius iniici debent; ut ſic materia noxia a ſuperioribus evocetur & per inferiora educatur.

XXVIII.

Victus ratio.

Victus ratio in his febribus, quia non ſunt ſumme acutæ, *non ſit nimis tenuis*, præſertim poſtquam iam aliquot dies præterierunt. Nam quia ad ſecundam, tertiam, quartam aut quintam etiam hebdomadem ſæpius extenduntur & nonnunquam *in lentas tabificas terminantur*, in tempore *ſufficienter cibis idoneis levibus ſunt reficiendi*, præſertim ſi cibi faſtidium abeſt, ut ad finem uſque morbi perdurare poſſint. Interea tamen *in principio multum cibi non requirunt*, ſed fracto aliqua ratione impetu, quando ſcilicet cibos non amplius averſantur; nam invitis *cibus non eſt obtrudendus*; attamen tunc, quando faſtidium præteriit, offerendus; iſque non ſit adſtringens aut difficilis digeſtionis, ſed levis atque mollis. Et quamprimum ſolida etiam alimenta rurſus appetunt & aſſumunt, in paſtu quoque *hauſtulus vini generoſi ipſis non eſt denegandus*; ſed potius pro digeſtione iuvanda ægriſque rurſus roborandis, commendandus.

XXIX.

Alius curandi modus per emetica.

Supereſt denique ut & *alium adhuc modum humores noxios* & malignos ejuſmodi in febribus & *inprimis in petechialibus* & congeneribus *evacuandi*, adhuc proponamus, quem haud pridem doctiſſimus D. WAGNERUS, Helmſtadienſis, diſcipulus

lus quondam noster per multos annos diligentissimus, nunc amicus carissimus atque *Medicus Lubecensis celeberrimus*, quique ob usum Rad. scillæ in asthmaticis morbis, aliaque scripta egregia jam satis clarus est, qui *consistit in matura*, *eaque* subinde *repetita*, ubi opus est, *vomitus excitatione*, & quidem non antimoniatis, sed *radice hypecacoannæ*: quam methodum etiam *ad malignas* atque *exanthematicas alias*, cujuscunque generis, *ne ipsa quidem puerperarum* & *puerilis ætatis purpura* cum febri mali moris *excepta*, summo cum successu & quam frequentissime feliciter se adhibuisse, in litteris haud pridem ad me datis, asseverat, ita ut nulla alia hos morbos curandi via adhuc sit nota, quæ cum hac ipsa ratione felicis successus possit comparari; qui tamen modus hucusque a multis contemptus, immo valde noxius proclamatus est.

XXX.

A quibus jam laudatus.

Meminit quidem *Riverium*, *Ettmullerum*, *Scretam*, *Apinum*, *Spiesiumque* nostrum, immo & *Stahlium* in dissert. de febri petechiali & congeneribus, aliosque *vomitoria* subinde *commendasse*; verum ea tam angustis limitibus inclusisse & tot cautionibus ac limitationibus restrinxisse, ut vix Medici jam satis experti, multo minus juniores aut tyrones certi inde esse potuerint, ubi vel iis utendum, vel ubi ab iis abstinendum, præsertim cum ea vitanda plerumque docuerint, ubi quam maxime utilia ac salutaria hæc ipsa deprehenderit.

XXXI.

Ego diu jam emetica adhibui.

Ego quoque *emeticis semper in febribus acutis usus jam sum* ab eo tempore, quo ut Medicus castra fœderatorum in Belgio Anno 1707. & sequentibus secutus sum, eaque non solum & postea, ubi vomitum indicantia aderant signa, *etiam in ipsis puerperis* adhibui, atque illa quoque adhibenda esse his in casibus in prælectionibus meis practicis auditoribus meis semper suasi. Interea tamen hoc in argumen-

to

to ulterius progressus est prælaudatus meus *Wagnerus*, qui summa jam cum laude ac gloria per plures annos medicinam Lubeccensibus facit.

XXXII.

Ubi magis cultus est hic modus.

Modus vero ejus malignas febres curandi primum, præsertim cum Lubeccæ militum ultra centum fere simul febre & petechiali & petechizante correpti decumberent, consistebat potissimum *in matura vomitorii sufficientis portione exhibenda*, nec non interdum apud *plethoricos venæ sectionem* instituendo, administrato deinceps regimine antiphlogistico ac diapnoico per pulveres absorbentes nitrosos & similia remedia; qua ratione plerique ægri curati sunt; postea vero his inductus exemplis alium eumque adhuc *meliorem modum excogitavit, qui in sequentibus consistit*. Nimirum sumsit Rad. Hypecacoannæ pro ægrorum diversitate ℈. vel ʒß. cum arcano duplicato probe tritæ, eique addidit aquæ cujusdam destillatæ, v. g. Card. bened. aut similis ℥iij. vel iv. Hujus mixturæ, quavis hora dimidia vel integra cochleare unum alterumve (interponendo subinde mixturam temperantem) donec effectus hypecacoannæ sequatur, exhibet; postea mixtura quadam temperante diapnoico diuretica continuat. Sed *si posthac intra horas circiter XII. mala graviora, ut vertigo*, lipothymia & faucium mala *non valde remiserint*, atque pulsus ac respiratio non sint liberiores, *cum primis vero respiratio* (utpote cujus difficultas merito in petechialibus & congeneribus pro *pathognomico signo præcipuo mali moris jure habetur*) prædictam potiunculam emeticam repetit, eamque toties pro re nata, exhibet, donec mox laudata indicia in melius conversum morbum demonstrent, *neque prius ab usu hypecacoannæ*, aliquot minimum grana mixturis morbo congruis addendo, abstinet, *donec signa malignitatis* [nam egregium simul est alexi-

phar-

pharmacum) *ominino ſint ſublata*, & *morbus mali moris in benignum converſus*; id quod ſæpe, ſi modo non nimis tarde Medicus advocatus fuerit, intra biduum obtineri ſolet. Immo ſi etiam *quarto die & quandoque tardius advocatus* fuerit, atque res jam quaſi conclamata viſa eſt, tamen hac curandi via quamplurimos, ut retulit, adhuc ſervavit, *qui antea neque Stahliana, neque Hoffmanniana* methodo, (quæ optimæ tamen hodie habentur] ſumma licet cura adhibitis, ſervari potuerunt.

XXXIII.

In exanthematicis eodem modo agendum.

Atque ſic quoque egit, *ſive pauca ſive multa exanthemata adfuerint: quia converſio morbi maligni per hanc methodum in benignum caput rei eſt*, ubi iſtiuſmodi ſymptomata nos a recto hoc tramite abducere non debent. Interea tamen, pro re nata, *interdum etiam Venæ ſectionem, laxantia, clyſmata* & *veſicatoria* ſimul adhibet; quibus vero, ſi ab initio iſta per hypecacoannam curandi ratio rite in uſum vocatur, raro, ut aſſeverat, opus eſſet, *atque ſic hoc modo ab eo tempore fere omnes ſervavit*.

XXXIV.

Exanthematicos morbos meſentericos eſſe.

Febres denique etiam *exanthematicas, purpuram, petechiales* & congeneres *pro morbis meſentericis* ſive *ſtomachicis* WAGNERUS noſter *habet*, in quibus ſanandis, præſertim ſi graviores, fruſtra laborari exiſtimat, niſi ipſarum cauſſa in primis viis hærens atque velociter ſæpius ſeſe per ſanguinem & totum corpus extendens, mature auferatur, ac prædicta ratione e corpore eliminetur: id quod peculiari libro uberius exponere atque evincere fidem mihi dedit, quod, cum eruditio, diligentia & vis judicandi ejus mihi bene ſint perſpecta, magnæ generis humani utilitati ceſſurum eſſe certus confido.

CAPUT VI.

De Febribus lentis, & hecticis.

I.

FEbres lentas continuas eas esse febres, quæ calore naturali majore & pulsu celeriore per plures hebdomades, menses, immo annos perdurant, supra Cap. II. N. VI. diximus, atque græco vocabulo *chronicæ*, sæpius tamen quoque lentæ aut *hecticæ* apellantur, præsertim si labes visceris cujusdam, & cumprimis ulcus aut scirrhus in pulmone, hepate, liene, mesenterio aliove viscere simul adsunt. *Quid sint.*

II.

Signa diagnostica ex definitione patent; quibus adhuc illud, præsertim in ita dictis hecticis accedit, quod ægri aliquot horas post pastum prædicta symptomata paullo vehementius & nova quasi accessione sentiant, cum rubore genarum, sanis sanguineis fere simili, cum ante pastum pallidi esse soleant; & corpus simul sensim contabescat, viresque valde minuantur. *Diagnosis.*

III.

Caussæ febrium lentarum & hæcticarum sunt variæ, tam *remotæ*, quam proximæ. Hæ utplurimum sunt 1. *Obstructiones* quorundam *viscerum*, ut pulmonis, hepatis, lienis, pancreatis, glandularum, mesenterii, &c. vel 2. *abscessus* cum in partibus externis, tum internis; vel 3. *exulcerationes* quorundam viscerum aut partium, & inprimis pulmonum vel pleuræ, ut in phthisi & empyemate, vel in renibus, vesica, utero, &c. 4. *peculiaris acrimonia sanguinis* fervida, febriculam perpetuam lentam, & corpus depascentem efficiens. *Caussa proxima.*

Caussæ

I V.

Remota. *Caussæ antecedentes* & *remotæ* sunt sæpius febres tam continuæ quam intermittentes, & cumprimis male curatæ, præsertim per adstringentia materia morbi nondum satis digesta, correcta, aut evacuata, quibus fit, ut humores viscidi, crassi, pituitosi, serosi hinc inde cogantur, quiescant, hæreant, atque sic *obstructiones* partium, præsertim nobiliorum, febrium harum caussas præcipuas, unde cor, dum reliquus sanguis libere has partes transire nequit, ad frequentiores contractiones sive motus concitatur, producunt. 2. In aliis eisque magis sanguineis stases hæ humorum sive sanguinis ad *abscessum* vergunt, dum in putredinem & pus fatiscunt atque hujus irritatione febriculas ejusmodi faciunt. 3. Quotiescunque *ulcera* sunt in visceribus, ex similibus fere caussis, febres lentæ & hecticæ inducuntur. 4. Quando autem ab *acrimonia peculiari*, *fervida*, *irritante*, ac *depascente* proveniunt, hæc hominibus quandoque a parentibus aut nutricibus impuris, hecticisve connata est, quandoque tamen a *prava diæta*, potu, cumprimis vini, spiritus vini, aliorumque calidiorum potionum, aut ciborum, præsertim aromaticorum aut salsorum largiori & frequentiori usu, ortum trahit, vel etiam *a nimia libidine* & excessu in venere, quo sanguis vehementius incalescit, nimisque acris & fervidus redditur, quo febricula continua lenta excitatur, & corpus consumitur, cumprimis si illi homines simul, ut sæpe fit, prædictos errores in cibo & potione simul committunt, aut etiam medicamentis calefacientibus & venerem exstimulantibus abutuntur, aut forte etiam *iracundiæ* dediti sunt, quibus tanta acrimonia in corpore produci potest, ut hecticas sive lentas ejusmodi febres sæpius inducat, quas ultimas, [quando nimirum a venere nimia proveniunt] nonnullis *tabem dorsalem* appellare solent; quia in dorso sive lumbis simul dolores & insignem debilitatem sentiunt.

Omnes

V.

Omnes febres lentæ & hecticæ non sunt sine periculo, præsertim si jam diu durarunt, corpus & vires ægri jam nimis consumserunt, sudores colliquativos, aliaque jam gravia mala induxerunt; præ omnibus tamen eæ magnum fovent periculum, quæ scirrhum vel ulcus quoddam grave in viscere quodam nobiliori, præsertim in pulmonibus, conjunctum habent. Si vero adhuc sunt *recentes*, aut alias adhuc levioribus malis comitatæ, si vires adhuc satis constantes, viscera satis sana & integra, vel saltem non nimium corrupta, de illarum curatione non est desperandum, si Medicus & æger simul bene suum faciunt officium. In *hemorrhagiis adstringentia*, præsertim præmature adhibita, vitanda, aut si necessitas ea exigat, caute & cum potu satis copioso aquoso sunt exhibenda, alias facile hecticam producunt. *Juniores* homines hecticæ febres citius jugulant, quam seniores.

Prognosis.

VI.

In *curatione* ad caussas semper probe est respiciendum, & secundum has curatio prudenter est instituenda. Adeoque si *congestiones sive obstructiones sunt in visceribus aut glandulis*, (N. III.) hæ, quia a viscido oriuntur, diluentibus, incidentibus ac blandis diaphoreticis sunt digerendæ ac resolvendæ, ut *infusis vegetabilium* e radicibus vel herbis, vel utrisque simul, ut rad. chinæ, scorzoneræ, cichorei, taraxaci; herb. tussilaginis, scabiosæ, veronicæ, pulmonariæ, chærophylli, &c. ad modum Theæ, bis terve in die ad ℥viij. x. vel xij. usurpatis, itemque, essentia quadam diaphoretica, leniori, ut cort. aurant. scordii, helenii, card. bened. pimpinellæ, bis terve in die, ex vehiculo tali aqueo præsertim calido exhibita; vel & loco essentiarum, liquore terræ foliatæ tartari, qui egregie hic prodest, ex simili vehiculo, interpositis circa vesperam bis *pulvere*

Curatio si ab obstructione.

quo-

quodam temperante & incidente, ex lap. cancror. vel conchis acido citri vel aceto vini aut destillato probe imprægnatis, ac tartaro vitriolato, quibus, ubi æstus major, aliquid nitri commode additur: & subinde *pilulæ balsamicæ amaræ* apte interponuntur. Multis ex his etiam prudens usus *aquarum medicatarum* cum apto regimine egregie prodest, de quibus §. X. plura.

VII.

Regimen.

His adjungenda *frequens corporis exercitatio*, & inprimis *equitatio*, *potus sufficiens tenuis*, *aquosus*: ut præter infusa illa e vegetabilibus digerentibus, radicibus vel herbis parata, aqua simplex vel ptisana apta; *victus tenuis*, facilis digestionis, modice nutriens: ut omnis generis bona juscula, gelatinæ, emulsiones, fructus horæi cocti, pultes tenues, aliave lacticinia tenuia; vitando crassa, viscida, tenacia, difficulter digerenda, interponendo subinde roborandi caussa *haustulum vini* generosi, vel dulcis, præsertim si calor p. n. notabilis abest. Sed *si calor p. n. & sitis vehemens adsunt*, Tinctura flor. papaver. vel rosarum vel alia hujus generis, vel phlegma vitrioli potui commode instillari possunt.

VIII.

Si post intermittentes febres.

Quod *si obstructiones hæ post febres intermittentes*, a saburra viscida non rite evacuata & subacta sint ortæ, prædictis adhuc penetrantiora amara, resolventia atque blande evacuantia sunt subjungenda, aut interponenda, ut pilulæ ex extract. absinth. card. bened. centaur. min. gentianæ, gumm. ammoniac. galban. myrrha & aloe, vel Becherianæ, aliæve his similes, quarum gr. xv. vel xx. semel aut bis in die exhibendæ, quibus ipsis febris male suppressa sæpe revocatur, quæ postea digerentibus amaris, salinis aliisque idoneis febrifugis rite curanda, ac denique stomachicis, roborantibus sive tonicis, martiali-

bus,

bus, immo ipsis aquis medicatis martialibus, legitime usurpatis, noxii humores reliqui sunt corrigendi & evacuandi, ac tonus viscerum restituendus.

Iisdem in casibus si principio *indicia saburræ biliosæ in primis viis* adsint, egregie conducit *lenis vomitus*, vel saltem lenia purgantia; sed *si plethora*, aut *consuetæ sanguinis excretiones suppressæ* adsint, *detractio sanguinis*; si utrumque peccat, utraque etiam medela est adhibenda; venæ sectio tamen, si utroque opus, emetico est præmittenda.

IX.

Si abscessus in culpa.

Si *abscessus*, præsertim externi in caussa sunt, studendum, ut hi, simulac fieri potest, aperiantur, purgentur & rursus glutinentur, alias remedia interna nihil proficiunt; interea tamen, donec abscessus aptus reddatur ad aperiendum, temperantia aliquod levamen dare queunt. Sed si *exulcerationes viscerum* febrem lentam & hecticam continuant, tunc, ut ulcus pulmonis sive phthisis, de qua infra, curari debent, & solum hic monemus, quod vomitoria & purgantia hic sint vitanda, aut lenissima saltem, si forte iis opus, ex tamarindis, rhabarbaro vel manna porrigenda.

X.

Si sanguinis acrimonia.

Sed *si acrimonia sanguinis in culpa*, hæc temperanda, diluenda, ac demulcenda, pulveribus illis temperantibus, supra N. 6. laudatis, & infusis aut decoctis vegetabilium, acrimonia carentium, §. VII. ad Theæ similitudinem, vel per se, vel pauco lacte adjecto, itemque *emulsionibus*, *gelatinis*, *sero lactis*, vel *lacte ebutyrato*, & quam maxime etiam *aquis medicatis selterensibus*, cum vel sine *lacte*, & cumprimis caprillo vel asinino temperatis, quibus plures, immo & ipsos infantes sex, septem, octo, decem annorum ex Orci

quasi faucibus eripui (a). Nonnulli *curatione* sive *diæta lactea* curantur, quando nimirum per aliquot hebdomades non nisi lacte, pauxillo saccharo adjecto, vescuntur, aut *lacte*, loco cibi & potus, utuntur, vel simul, si lubet, pauco pane triticeo, vel pultibus ex amylo, oryza, vel amygdalis paratis. Huc etiam referri potest decantata *cura avenacea Lovveri*, quando decoctum paratur ex avena, radice cichorei cum pauxillo nitri, & quotidie certa copia cum apta diæta bibitur, de qua uberius legi meretur Frid. *Hoffmanni* Diss. de *Cura avenacea*. Quandoque, inprimis si *alvus obstructa*, aliave sunt indicantia, *lenia laxantia*, ut rhabarbarum, vel tamarindi, cum foliis sennæ & manna exhibenda, atque *diæta* eadem servetur, quæ modo commendata est.

XI.

Quando a caussa venerea.

Quando *febris hectica a nimia venere aut gonorrhœa ortum traxit*, præter modo dicta, aut quando hæc parum sunt, *aquæ selterenses* cum lacte, vel ipsa *cura lactea*, quam vocant, purgatis prius primis viis, egregie prosunt. Quando autem *post salivationem male institutam* orta sit, decocta radicum & lignorum antivenereorum cum Tinctura antimonii, ad reliquias venereas penitus extirpandas, egregie conveniunt: quibus vero aptissime *lac* admisceri potest, si ægri ab eo non abhorrent. His quoque parca *mercurii dulcis* dosis magno cum fructu subinde & potissimum vesperi interponitur. Quod si vero reliquiæ illæ ablatæ & extinctæ sunt, *aquæ selterenses* aliæve temperatiores *cum lacte*, vel etiam ipsa *lactea cura* & *diæta* (N. X.) ad vires & carnes ægris restituendas quam maxime valent.

XII.

(a) Conf. Fr. *Hoffmanni* Dissert. de *aquarum selterensium usu* cum lacte.

XII.

Si a *scabie retropulsa* per unguenta quæcunque intempestive adhibita, materia acris vitiosa per decocta radicum herbarum & lignorum diaphoreticorum, scabiei & morbis venereis alias dicatorum, una cum Essentiis diaphoreticis, præsertim fumariæ, helenii aut lignorum, interpositis pulveribus ex antimon. diaphor. adjecto pauco sulphure & mercurio dulci, accedente regimine diaphoretico, partim expellenda, partim corrigenda; postea ea sunt facienda, quæ §. X. & XI. diximus.

Si a scabie repulsa.

XIII.

Febris lenta aut hectica *si ab ira producta est*, præmissis salibus digerentibus, *vomitus* ad bilem noxiam evacuandam, præsertim ubi sapore amaro in ore se prodit, optime prodest, aut saltem hujus loco, si quid forte vomitum vetet, evacuans aptum ex rhabarbaro: postea temperantes pulveres, infusa vegetabilium aperientium, liquor terræ foliatæ tartari, cura seri lactis vel lactis ebutyrati, immo & ipsæ aquæ selterenses optime conveniunt.

Si ab ira vel mœrore.

Si a *mœrore ac tristitia* ortum ducat, eadem, omisso saltem emetico, optime conveniunt: in utroque tamen casu *cortex peruvianus* quoque magnas exerit vires, si prudenter adhibetur.

XIV.

Quandoque hæ febres etiam ab *inebriantium* & cumprimis ex vini & spiritus vini *abusu* generantur; rursus seri lactis & ebutyrati usus est egregius, si satis diu & cum legitima victus ratione continuetur. Ita & *aquæ medicatæ blandiores*, præsertim selterenses, cum vel sine lacte tenui, per aliquot hebdomades haustæ, hic præstantissimæ sunt. *Ptisanæ & decoctum avenæ*, cum nitro paratum (cura vulgo *avenacea* dicta] magnæ quoque hic utilitatis.

Si ab inebriantibus.

X V.

Si a suppressis hæmorrhagiis.

Quod si a *sanguinis fluxibus naturalibus* aut saltem salutaribus *suppressis oriuntur*, potus tenuis, attenuans, & medicamenta temperantia diapnoica conveniunt; quæ vero si non sufficiant, *venæ sectiones* justo tempore & loco sunt adhibendæ, & fluxus illi propriis suis remediis sunt restituendi: ubi quoque aquæ medicatæ & præsertim martiales, multum boni præstant. Ita & *venæ sectio* in ejusmodi casibus præservando valde prodest, si per intervalla idonea instituitur.

X V I.

Si post variolas.

Variolæ male curatæ, vel & eæ, quæ per se fuerunt graviores, etiam sæpe febres ejusmodi post se relinquunt: quo in casu, lenia, sed sæpius *repetita laxantia*, ex mercurio dulci præsertim præparata, una cum usu *seri lactis*, necessaria sunt ad reliquias earum valde acres & rodentes sensim evacuandas & corrigendas: quibus vero interponenda temperantia, diaphoretica varia, & inprimis quoque infusa pectoralia cum essentiis similibus, aut *aquæ selterenses*, vel etiam his omnibus frustra adhibitis, in his aliisve variis febribus hecticis *corticem peruvianum* mature aliquoties in die exhibui, eoque paucorum quandoque dierum intervallo febres has fugavi, ciborum desiderio & viribus brevi restitutis.

X V I I.

Si ambulare rursus possunt.

Postquam in omnibus hisce casibus ad eum redierunt statum, ut ambulare aut foras prodire rursus queant, præcedentibus *addenda roborantia*, ut vina dulcia in pastu modice sumta, nisi calor vehementior id prohibeat, victus blande nutriens & facilis digestionis, sed parcus aut modicus, Ess. cort. aurant. citri, corticis cascarillæ, Mixtura tonica, immo & usus frequens lactis ebutyrati, si æger illud non aversatur, cum blando, sed *frequenti motu* aut exercitatione corporis, cumprimis equi-

equitatione aut iterata ſæpius *vectione* in rheda ſive curru.

XVIII.

Si *tuſſis* in his febribus vehementius ægros affligit, præter infuſa pectoralia & Elixir. pectorale Wedelii cum parte octava Laud. liquid. Sydenh. remixtum, linctuſque ex oleo amygdalarum dulcium & ſyrupo papaver. conducit; ſed noctu cum pulveribus temperantibus, mp. de cynogloſſa, vel quam præſtantiorem adhuc deprehendi, mp. de Styrace gr. j. ad ij. iij. danda.

Symptomatum medela.

Æſtus nimius ſub exacerbatione temperatur ſucco citri, phlegmate vitrioli, vel clyſſo antimonii potui inſtillatis, itemque ſeri lactis vel lactis ebutyrati potu, ut & abſorbentibus citratis cum nitro ante acceſſionem datis.

Sudores nimii, quos *colliquativos* hic vocare ſolent, non vi ſupprimendi; ſed frigore muderato, terra ſigillata, coralliis rubris, ſpec. de hyacinth. cum pauco nitro, caſcarilla & opii granulo, interpoſito uſu ſeri lactis, vel lactis ebutyrati, moderandi: quibus ipſis etiam, itemque *emulſionibus*, & gummi arabico, *Diarrhœa* ipſorum, quæ ſæpe periculoſa, ut & lacte chalybeato, pultibus, & conſervis roſarum, prudenter eſt refrænanda: cui ſcopo etiam diaſcordii ʒj. ex aqua menthæ vel cinamomi ſine vino, vel cinamomi cydoniata, egregio haud raro ſatisfacit.

Appetitus proſtratus exciratur hic amaris, ut Eſſentia cortic. aurantiorum, cardui benedicti, vel abſinthii, cum parte eſſ. cort. caſcarillæ vel corticis peruviani remixtæ; vel *Extractis amaris* in aqua ſtomachica vel vino malvat. ſolutis, & aliquoties in die exhibitis: quibus & ſpiritus ſalis, vel nitri vel vitrioli dulcis pars fere quarta commode addi poteſt ad cibi deſiderium tanto melius excitandum.

CAPUT VII.

De inflammationibus.

I.

Transitus ad inflammationes.

QUibus febres continuæ, acutæ, cognitæ sunt, ii facile etiam in inflammationum cognitionem atque curationem pervenire possunt; quoniam *in ambabus motus acceleratus cordis, pulsus & sanguinis una cum calore p. n. percipitur*; præsertim in inflammationibus gravioribus, sive majoribus: ubi semper pulsus celer, calor præter naturam, aliaque varia febris acutæ symptomata adesse solent; vulgare enim est dictum: *quod febris est in toto, id inflammatio in certa quadam parte*; febresque acutæ sunt fere inflammationes universales.

II.

Inflammatio, quid.

Idea vero inflammationis consistit in congestione, atque majori minorive stagnatione sanguinis, in certa quadam parte; qua fit, ut sanguis, dum per multa vasa sanguifera obstructa transire nequit, & in motu suo impeditur, reliquus per vasa libera vi & pressione cordis irritati, tanto celerius fluere cogatur: quo ipso, [exemplo machinarum hydraulicarum] motus sanguinis necessario accelerari, atque æstus ceteraque symptomata inducuntur. A sanguine vero in parte afflicta congesto & stagnante fit, ut in omni notabili & visui exposita inflammatione in loco læso *tumor*, *rubor*, *dolor*, *calor*, & plerumque etiam *splendor*, tanquam *signa inflammationum pathognomica* observentur; quæ vero phœnomena ex prædictis facile intelligi possunt, maxime si ad illud attendatur, quod in inflammationibus plus affluat per arterias, quam

per

per venas refluere possit, sicuti etiam in chirurgiæ nostr. Institut. docuimus.

I I I.

Differentia externarum.

Variæ admodum dantur inflammationum differentiæ: & generatim *dividuntur in externas & internas*, quarum quælibet pro diversitate partis affectæ & gradus alia atque alia producunt symptomata. Inter externas *Erysipelas* dicitur, quando inflammatio insignis adest in cute, late se extendens; quæ pro partis varietate erysipelas faciei, colli, dorsi, manus, brachii, scapulæ, tibiæ, aut pedis appellari solet. *Phlegmone*, si inflammatio major partes cuti subjectas, præsertim pinguedinem simul occupat, estque gradus major inflammationis, quam erysipelas. *Furunculi* dicuntur inflammationes minores in cute & pinguedine substrata, quorum minimi sunt *vari faciei*, quibus *gutta rosacea* in facie valde affinis est.

Ex his jam facile, quid sint inflammationes sive tumores inflammatorii *tonsillarum*, *uvulæ*, *parotidum*, *mammarum*, *glandularum axillarium* & *inguinalium*, (qui *bubones* dici solent), *testium*, aliarumque partium externarum intelligi potest. Ita *ophthalmia* dicitur, si oculus; *odontalgia*, si dentis radices; *otalgia*, si meatus auditorius inflammatione laborant.

I V.

Internarum.

INFLAMMATIONUM INTERNARUM ea, quæ cerebrum ejusve menynges occupat, *Phrænitis* appellatur; a qua vehemens dolor capitis, febris vehemens, rubor plerumque ingens faciei & oculorum, ac tandem delirium inducuntur. In *Angina* fauces & potissimum larynx inflammatus est, unde respiratio difficilis, suffocatoria, cum deglutitionis impedimento producitur. *Pleuritis* in pleuræ & plerumque simul partis vicinæ pulmonis inflammatione consistit, conjunctumque habet *dolorem vehementem lateris punctorium*, pulsum durum,

res-

respirationem difficilem ac dolorificam, & tussim molestissimam, sæpe sanguinolentam. Si pulmo totus vel magnus ejus lobus inflammatione laborat, malum *Peripneumonia* nuncupatur: in qua respiratio valde anxia, pulsus mollis & celer. Si renes, *Nephritis*; si hepar, *Hepatitis*; si diaphragma, *Paraphrenitis*; si aliæ partes internæ, ut *ventriculus*, *lien*, *intestina*, *vesica urinaria*, *uterus*, aut *cor inflammata sunt*, inflammatio nomen a parte affecta adipiscitur, ut *inflammatio ventriculi*, *lienis*, *intestinorum* &c. hæque omnes ex ardore & dolore, majore minorive, in regione partis affectæ, febrique acuta præsente cognosci & distingui solent ac debent.

V.

Caussa. Caussa proxima inflammationum est stagnatio sanguinis in certa quadam corporis parte; hujus vero *caussa antecedens* est vel abundantia sanguinis, sive *plethora*, vel *sanguis nimis viscidus*, vel utrumque simul. *Caussæ* vero *procatharcticæ* sive *occasionales* sunt, vel externæ vel internæ; ut contusiones, luxationes, fracturæ, vulnera, ligaturæ fortiores, potus frigidus vel aliud frigus, præsertim calente corpore admissum, excessus in vino, spiritu vini aliisque potibus spirituosis, exercitatio corporis sive motus nimius aut nimis vehemens, aliique diætæ errores.

VI.

Prognosis. Quælibet inflammatio quadruplici modo finiri potest: nam stagnatio 1. vel *resolvitur*, & pars affecta pristinæ integritati hac ipsa restituitur; & hinc resolutio est omnium optimus finis & optima ejus curatio; vel 2. si non resolvitur aut resolvi nequit, in *suppurationem* sive *abscessum* abit; quo in statu stagnans materia corrumpitur ac putrescit, una cum vasculis, in quibus hæret, hisque vicinis, quæ ambo in materiam putridam plus minusve acrem aut foetidam abeunt, *quam pus appellant*; vel

vel 3. in *Gangrænam*, quando dolor & ardor fit vehementissimus, color, si pars affecta visui exposita est, rubicundissimus, intermixtis striis livescentibus aut negricantibus, & vesiculis in parte affecta, cuticula a cute recedente oriundis, sero sive ichore repletis; quæ signa summum inflammationis, facile in corruptionem sive putredinem aut sphacelum abituræ, gradum indicant; ita, ut *gangræna sit summus inflammationis gradus*. Quando vero, prægressis his gangrænæ symptomatibus, dolor & ardor in parte affecta subito remittunt, sive prorsus cessant, eaque pallida, livida, vel nigra, frigida, insensilis, fœtida, cadaverosa, flaccida & mollis evadit, cuticula a cute recedente, vel etiam nigra, sicca sive arida quandoque, tunc *Sphacelus* appellatur, quo perfectam partis corruptionem, putredinem, sive mortem Medici intelligunt, quæ sine ablatione corrupti non curatur. Vel 4. pars inflammata, præsertim glandulosa, ut mammæ, glandulæ, salivales, parotides, tonsillæ, axillares, inguinales &c. in *Scirrhum* sive tumorem durum & indolentem abit: qui tamen sæpe, præsertim in mammis, successu temporis malignam putredinem concipit, & morborum fere pessimum, *cancrum* sive rectius *carcinoma* producit.

VII.

Continuatio prognosis.

Ceterum quo vehementiores initio sunt inflammationes, eo difficilius resolvuutur, & hinc eo periculosiores; quia facile vel in suppurationem vel in gangrænam & sphacelum abeunt; *suppurationes* vero & quidem externæ, in partibus pinguibus & carnosis contingentes, corpore ceteroquin sano, ac pure bono, curatu utplurimum sunt facillimæ; in glandulosis vero partibus, aut corporibus mali habitus, aut senibus, longe difficilus sanantur, ac longe majorem diligentiam & curam requirunt. *Inflammationes internarum partium omnes quidem sunt periculosæ*; differunt tamen secundum

dum vehementiam inflammationis, & partis affectæ diversitatem sive nobilitatem: *renum enim fere securissima, & pulmonis quoque* adhuc sæpe curantur; reliquæ sunt periculosiores, hepatis vero periculosissima haberi solet.

Generatim tamen sciendum, *omnes inflammationes internas, nisi resolutione curentur, periculi plenissimas esse atque, utplurimum, mortem post se trahere*: nam si in suppurationem abeunt, pus commode evacuari, ulcusque recte purgari aut curari nequit, quia manibus accessus denegatur; hinc in tabem aut hecticam sive phthisin aut consumtiotionem corporis desinunt. Si in *gangrænam & sphacelum* abeunt, pars corrupta auferri nequit: hinc putrescendo mortem brevi inducit. Si *in scirrhum transmutantur*, *hectica* aut cachexiæ & *hydropes*, utplurimum insanabiles sequuntur, vel omnino in carcinoma sive cancrum abeunt.

VIII.

Curatio generalis. In *curatione* omnium inflammationum, quia ab obstructione vasorum & impedito motu sanguinis oriuntur, eo præcipue annitendum est, *ut resolutio sanguinis hærentis obtineatur*, ejus motus restituatur, atque in ordinem rursus redigatur: quod obtinetur optime, 1. *eodem regimine iisdemque remediis diluentibus, temperantibus, resolventibus, ac diaphoreticis*, quæ in febrium acutarum curatione, capite tertio, N. X. ad XII. commendavimus, non neglecta in malo graviori camphora vel in pulvere, vel in potiunculis. 2. *Sanguinis missione*, primis præsertim diebus, in loco conveniente & præcipue in parte opposita instituta; quæ ubi plethora vel æstus urget, *subinde semel iterumque reiteranda*, satisque larga semper sanguinis copia, pro virium & plethoræ ratione, educenda, ut sic sanguinis impetus & affluxus copiosior in partem affectam avocetur, amplior congestio prohibeatur, & jam facta immi-

minuatur: quæ *ſanguinis miſſio*, præſertim in vehementioribus, & internis inflammationibus, conſentientibus optimis Medicis, tuto aut *ſalva conſcientia omitti non* poteſt. In *Eryſipelate* tamen minore aliiſque *levioribus inflammationibus*, iiſque præſertim externis, ea *ſæpe opus non eſt*.

I X.

Eternarum reſolutio.

In inflammationibus externis præter hæc, medicamenta quoque reſolventia adhibenda ſunt externa: ubi in frequentiſſimo mihi eſt uſu aqua calcis vivæ cum ſpiritus vini camphorati parte quarta roborata, addito ſubinde pauco ſale ammoniaco, vel lapide medicamentoſo Crollii, calide cum ſpleniis craſſis ſæpe impoſita; vel & ſpiritus vini ſolus, aut ſale ammoniaco & pauca camphora impraegnatus; vel radic. bryon. irid. flor. ſigill. Salomon. herba abſinth. ſcord. abrotan. ſabin. ſerpil. origan. majoran. ſalviæ, flor. chamomill. melilot. ſambuci, ſem. 4. carminat. &c. vel in pulvere ſicco, ſacculo incluſo, vel in quibuſdam inflammationibus, *vino vel aqua ſalſa decocta*, rurſuſque expreſſa, vel & cum ſpleniis parti affectæ calide ſæpe imponenda, quæ potentiſſime omnis quoque generis inflammationes reſolvunt. Plura externa in Inſtitut. chirurgic. meis, cui lubet, videri poſſunt. In nonnullis externis inflammationibus, præſertim in *furunculis*, *bubonibus*, *inflammatione tonſillarum & mammarum*, &c. Emplaſtr. de ſperm. ceti, diachylum ſimplex de meliloto, itemque diaphoreticum Mynſ. addita præſertim camphora, egregie quoque reſolvunt. Speciatim vero in *eryſipelate* farina quædam calida, vel per ſe, vel cum ceruſſa, creta, pulvere liquiritiæ paucaque camphora remixta, externeque calide applicata, valde proſunt, vel pulvis contra eryſipelas Mynſichti, eodem modo uſurpatus, aut & ipſa aqua calcis vivæ cum ſpiritus vini camphorati parte quarta remixta, ante jam laudata,

licet multi omnia humida hic promiscue, sed male, rejiciant, benefacit. Alia hic convenientia medicamenta in Chirurgicis nostris Institut. Lib. de Tumoribus cap. 2. n. 14. videri *possunt*.

X.

Suppuratio.

Si *vero resolutio tumoris inflammatorii obtineri nequit*, quod cognoscitur, quando inflammatio ultra quartum diem augetur, & dolor quotidie increscit, utplurimum *suppuratio* sequitur. Igitur a resolventibus abstinendum, & suppuratio contra est promovenda: id quod præstant, 1. omnis generis *medicamenta emollientia*, mucilaginosa & pinguia] 2. Medicamenta, quæ præter particulas emollientes etiam *stimulantes* possident: quibus fit, ut acri eorum stimulo impetus sanguinis ad locum affectum invitetur, vasa obstructa hoc ipso tanto citius rumpantur, & in pus convertantur: talia sunt, præter cataplasmata in chirurgia nostra his in malis commendata, [*a*] vel vulgatissima, attamen quam efficacissima, domestica, vulgo dicta, remedia, nimirum *cepæ sub cineribus assatæ*, vel *mel cum farina*, in cataplasma redactum, aut *mica panis tritici* similem in formam cum lacte cocta, admixto pauco butyro & croco, si lubet, calide sæpius applicata. Interdum loco horum, præsertim in minoribus inflammationibus, emplastra commodius applicare possumus; quo scopo *emplastrum diachylum* cum *gummis* sane præstantissimum est. Quibus medicamentis continuandum, donec maturatio facta; quæ ex mollitie partis, ruboris remissione & materiæ fluctuantis sub cute sensu, si digitis comprimatur, optime cognoscitur; vel etiam quandoque ex ipso pure sub cute vel cuticula jam apparente & visui sese manifestante.

Ma-

(*a*) Lib. de Tumoribus cap. III. n. 6.

XI.

Maturatione igitur facta *abscessus* (nisi hoc sponte jam factum sit, ut sæpe contingit] vel scalpello chirurgico, vel caustico *mature aperiendus est*, ne dolor justo diutius ægros vexet, aut pus partes subjectas erodat, aut corrumpat, & vel fistulam vel cariem producat.

Abscessus aperiendus.

Abscessus vero apertus melle vel unguento digerente mundandus, & postea vel hoc ipso, vel apto balsamo quodam vulnerario, ut vulnus, sensim consolidandus.

XII.

Quod si inflammatio neque resolvi neque ad suppurationem deduci queat, sed in *gangrænam*, immo *sphacelum abeat*, nulla ratione hæc mala melius cohiberi possunt, quam si interne *cortex peruvianus* frequenter & larga satis copia, sicut in febribus intermittentibus pertinacibus, continuatis, simul laudatis externis, ægro exhibeatur: hunc enim, sicuti in his febribus, ita & in gangræna & sphacelo sistendis, *summum esse specificum*, non solum Angli, qui hoc primum observarunt, sed & ego, præter alios præstantissimos Medicos & Chirurgos, aliquoties sum expertus: interea tamen non semper expectationi satisfacit. *Quæ externe iu hoc statu* immo & in sphacelo, scalpello & medicamentis sunt facienda, in Institut. chirurg. nostris, si lubet, videri possunt. *Si inflammatio in scirrhum abeat*, quomodo malum sit curandum, infra, ubi de scirrhis, proponetur.

Quid in gangræna faciẽdum.

XIII.

In inflammationibus vero internis summa ope niti decet, *ne in suppurationem*, multo minus in gangrænam abeant, quia utraque, sicuti supra jam dictum, utplurimum lethifera est, sed *resolutioni* sive discussioni [qua sola hi ægri rite curari possunt] *unice studendum*. Quæ vero[ut jam in externarum curatione docuimus] optime obtinetur, 1.

Quomodo interna curãda inflammationes.

san-

ſanguinis miſſione ſufficiente, mature inſtituta; & ubi ſymptomata exigunt, non raro repetita. 2. *potu largo aquoſorum*, diluentium, reſolventium & refrigerantium, in curatione febrium continuarum ſupra Cap. III. §. X. & ſeq. indicatorum; itemque 3. *medicamentis temperantibus* & diaphoreticis ex abſorbentibus citratis, lapid. cancror. præſertim & conchis citratis, itemque antimonio diaphoretico & nitro, in forma pulveris, potiunculæ, eſſentiæ, infuſi vel decocti. 4. *temperato regimine*, ut in iiſdem febribus indicatum eſt acutis. 5. *clyſteribus* emollientibus, nitroſis, præſertim ubi alvus eſt obſtructa.

XIV.

De Phrenitide.

Speciatim phreneticis.

Speciatim vero in *phrenitide* his addenda ſunt 1. *epithemata* fronti applicanda, & quidem *primo ex repellentibus*, ut, ex aceto roſaceo, vel lavendulæ in principio; deinde vero 2. *ex reſolventibus*, ut ex ſpiritu vini camphorato crocato, calido in progreſſu; 3. pulveres camphorati nitroſi, Cap. III. §. 17. Poſtea etiam 4. ubi malum eſt vehemens, hirudines ad tempora & retro aures ſunt adhibendæ; vel 5. venæ ſectio, præſertim in vena jugulari eſt iteranda; 6. *veſicatoria* ſuris & brachiis applicanda, fermentum panis cum aceto forti, pulvere ſeminis ſinapi, ſale nitro aliiſque acribus mixtum, plantis pedum calide impoſitum. Denique etiam irritatio interna narium ad hæmorrhagiam excitandam, vel ipſa *ſcarificatio narium* magnæ quoque interdum hic poteſt eſſe utilitatis, vid. Stahlius de ſcarificatione narium Ægyptiaca.

De

X V.

De Ophthalmia.

Ophthalmia differentia, & levioris curatio.

OPHTHALMIA sive oculorum inflammatio dividi primo potest *in leviorem*, *vehementiorem* & *vehementissimam* (quam *Chemosin* vocant) eæque rursus in *siccam* & *humidam*. *Sicca*, *levior recens*, sæpe aqua simplici frigida vel aqua rosarum sola, vel collyrio modice refrigerante, ex aquis ophthalmicis v. gr. aqua rosarum, plantaginis, florum cyani, vel calcatrippæ, cum pauxillo sacchari Saturni, vel tutiæ vel lapidis calaminaris, si eis sæpe lavetur, curatur. Sed humida curatu difficilior, immo sæpe difficillima est, præsertim inveterata, ut & in cachecticis, scorbuticis, contagio venereo, & glandulis induratis aut scrophulis infectis, aut annosioribus, ubi sæpe cæcitatem & speciatim maculas oculorum sive leucoma, pterygium, vel unguem, caliginem, cataractam, aut glaucoma, hypopyum, staphyloma aut exulcerationem vel destructionem totius oculi producit. *Ophthalmia etiam est* vel *externa* tantum, vel quoque simul *interna*: hæc cognoscitur, quando ægri difficillime vel prorsus non lucem aspicere possunt, & *longe periculosior* est *sola externa*.

X V I.

Curatio humidæ interna.

In *curatione* vero *humidæ* revulsionis gratia idonea *purgantia* primum sunt exhibenda, & subinde repetenda; deinde in ægris calidioribus *pulveres temperantes*, resolventes, salini, nitrosi, *diluentia*, temperantia, & blande diaphoretica interna conducunt; *in serosis* vero sive *phlegmaticis* aut frigidis præcipue Ess. succin. lignor. ligni saffafr. Tinctura antimonii tartarisata & similia resolventia anticatarrhalia, cum *infusis calidis aqueis vegetabilium* resolventium, præsertim *herbæ euphrasiæ* & *veronicæ cum ligno sassafras* aut *fœniculo*, danda sunt.

XVII.

Externa. *Externe* conducit collyrium ex aquis ophthalmicis dictis, ut ex aqua euphrasiæ, fœniculi, florum cyan. plantaginis, rosarum, &c. quibus parum tutiæ PPtæ vel lapidis calaminaris PPt. aut sacchari saturni. aut lapidis medicamentosi Crollii, aut vitrioli albi admixtum sit, quo oculi sæpe lavandi & abstergendi, atque guttula una vel altera ei subinde instillanda, immo, & splenia eis imbuta, noctu præsertim, ipsi imponenda. Vel spiritus vini camphoratus simplex aut crocatus linteis complicatis & ad ignem leniter rursus exsiccatis, oculis inflammatis calide ac prudenter impositus, egregie sæpe conducit, qui & prædictis spleniis super imponi utiliter potest. *Lac croco largius imbutum*, si tepide sæpe oculis instillatur, præsertim infantibus, vel cum spleniis calide sæpe imponitur, quoque est egregium. Ita & *trochisc. alb. Rihas.* ℈ß. in aquar. ophthalmicar. ℥iv. soluti, valde prosunt, si, ut de ceteris collyriis supra dictum est, usurpentur. *In sanguineis*, vel *evacuationibus sanguinis naturalibus aut artificialibus consuetis*, *suppressis*, etiam *venæ sectio*, præsertim in malo graviori, primo in brachio vel pede, deinde in jugulari vena instituta, vel & *scarificatones*, eæque si opus, repetitæ, valde prosunt.

XVIII.

Curatio vehementissima. *In vehementissima ophthalmia*, quam *Chemosin* vocant, ubi adnata inflammata corneam suo tumore superat, aut supra corneam se elevat, *sanguinis missio* eaque *larga*, immo *repetita* est instituenda, & denique sectio venæ jugularis, præsertim si aliæ sanguinis detractiones jam præcesserunt, summe necessaria & utilis est: immo & ipsa *scarificatio Hippocratica*, a Woolhusio in usum rursus vocata, in palpebris & ipsa adnata subinde hic prodest (*a*). At in

(*a*) De qua vid. Chirurgia nostra, Part. II. cap. 52.

in ſeroſis aut phlegmaticis præter purgantia, *veſicatoria* cervici, poſt aures, temporibus, pedibus, inter ſcapulas, aut quandoque ipſi vertici adhibita, præſertim ſi ſatis magna ſunt, multum ſæpe præſtant; vel horum loco farina ſinapi, vel ſeminis erucæ, ſacculo incluſa, in vino cocta, & cervici calide adplicata revellendo quandoque conducit. *Corticis peruviani uſus* in his malis haud raro multum quoque præſtat, præſertim ſi febris ſimul adeſt.

XIX.

Si ophtalmia a cauſſa venerea.

Quandoque *virus venereum* cauſſa eſt *ophthahmiæ pertinacioris*, id quod inde intelligimus, ſi vel morbus venereus præceſſit, vel ſymptomata quædam venerea adhuc adſunt. Ita & ſi *glandulæ colli induratæ* ſimul adſunt, (quæ *ophthalmia ſcrophuloſa* dici ſolet) interne remedia antivenerea, ut decocta lignorum & mercurialia rite ſunt adhibenda, immo & externe collyrio ex aquis ophthalmicis & tutia vel lapide calaminari mercurii dulcis gr. j. vel alterum addendum, quo oculi ſæpius fovendi. In iiſdem caſibus ſequens nodulus mercurialis quoque multum valet.

℞. mercur. præcip. rubr. ℈j. vel ʒß. ungv. roſat. ℥j. M. & includatur linteo tenui, ac fiat nodulus, qui in aqua roſarum aliave ſimili in vitro, loco temperato aſſervatus reponatur, eoque oculi ejuſmodi ſæpius detergantur.

XX.

Præſervatio ſæpe recurrentis.

Ad præcavendum hoc malum ſæpius recurrens, extra paroxyſmum egregie conducunt *venæ ſectio* circa æquinoctia & *ſcarificationes* atque *purgationes* ſubinde inſtitutæ, ſæpius aut rarius, prout malum vehementius aut frequentius eſſe ſolet. Nonnullis valde proſunt *fonticuli* aut *ſetacea*. Quibus etiam ad humores corrigendos & congeſtiones præcavendas, anticatarrhalia, ut liq. C. C. ſuccinatus, Eſſentia ſuccinii, lignor. cum Tinctura antimonii tartariſata,

ex insuso vel decocto euphras. & lign. sassafras, itemque pulveres diaphoretici resolventes, immo & *mercurialia* quandoque *interponenda*. Ægri bonam servent *diætam*, vitent aspectum solis, ignis, nivis, aliorumque corporum splendentium; vitent lectionem multam, præsertim minorum characterum, maxime nocturno tempore; vitent quoque fumum, pulverem, aliasque res oculos irritantes, secundum scholæ Salernitanæ præceptum.

XXI.

De Angina.

Angina. In *Angina*, [quæ N. IV. est congestio sanguinis & inflammatio sæpe vehementissima in faucibus, præsertim in pharynge & larynge, ut deglutitio & respiratio inde vehementer lædantur] *ante omnia revulsionis gratia purgans*, ex potiuncula potissimum purgante, e tamarindis, senna & manna parata, exhibeatur, atque altero die clysma antiphlogisticum injiciatur, deinde prægressa purgatione, *largiter e vena brachii vel pedis educatur sanguis*; & si post aliquot horas malum non remittat, vel adhuc augeatur, *venæ sectio* semel iterumque *repetenda*, & præsertim *in vena quoque ingulari* altera vel tertia vice instituatur, quæ hic magnæ est utilitatis, atque in malo graviori, quod prioribus non cedit, tandem etiam *raninæ* sub lingua incidantur: immo & *cucurbitulæ scarificatæ* parti femorum *internæ*, dorso, collique lateribus impositæ, magnarum sunt virium. (*a*) Interea quantum fieri potest frequenter medicamenta diaphoretica temperantia & nitrosa; ut pulvis temperans vel diaphoreticus noster exhibeantur, *potusque tenuis aci-* du-

(*a*) Has maxime etiam laudat *Dekkerus* in Exercit. pract. p. 244.

dulatus, *&* *nitratus*, largus ægris commendetur, quamdiu deglutire possunt. Quando vero non amplius aut vix deglutire possunt, *externa remedia* quam solertissime sunt adhibenda: & quidem primo quotidie semel aut bis alvus lotionibus temperantibus, nitratis est ducenda.

Gargarismata præterea, fomenta & *emplastra* collo imponenda, valde hic sunt necessaria: inter hæc *emplastrum de melioto camphoratum* est præcipuum; vel hujus loco, præsertim ubi magnus in faucibus ardor est, spiritus vini camphoratus, & præcipue crocatus, calide cum linteis sub mento laryngi adplicatus, egregie prodest. *Gargarisma* vero ex decocto radic. bistortæ, tormentillæ, irid. Flor. caryophyllat. helen. & herb. hyssopi, prunell. fl. malv. rosar. papaver. aut fungis sambuci &c. fieri potest, cum syrup. dianuc. vel diamori: cui parum aluminis & nitri vel salis ammoniaci addatur, quod etiam, si lubet, ope syringæ in fauces injici potest. *Pediluvia* tepida, *sinapismi* & *frictiones pedum* hic quoque valde conducunt, & in *summo malo*, ubi *suffocationis metus*, aspera arteria est aperienda, sive *Tracheotomia* est instituenda, de qua videri possunt Institutiones nostræ chirurgicæ: non quod credamus, hujus ope anginam curari, sed ut tempus lucremur, quo diutius ægro respirationem conservemus, atque sic medicamenta resolventia coutinuare valeamus, donec æger liberius respiret, & a morbo liberari queat.

XXII.

De tonsillarum & uvulæ inflammatione.

Tonsillarum & uvulæ tumores.

In tonsillarum & uvulæ inflammationibus eadem est curandi methodus, nisi quod venæ sectio in leviori malo non adeo sit necessaria; quæ tamen nihilominus ad suppurationem aliaque gra-

viora mala avertenda ſæpe utilis, ubi æger vel plethoricus, vel inflammatio admodum vehemens: *Alvum vero ducere*, præſertim potione purgante ex tamarindis, foliis ſennæ & manna, in leviori malo præſtat; quæ tamen etiam in graviori malo utiliter adhibetur. At ſi quarto vel quinto die prædictis remediis aliqualis imminutio mali nondum facta, & tumor perſiſtat, tunc reſolutio rarius obtinetur; hinc emollientibus gargariſmatibus vel emplaſtris, præſertim diachylo cum gummis, collo applicatis, aut cataplaſmatibus quoque emollientibus ſuppuratio potius promovenda, iiſque continuandum, donec abſceſſus vel ſponte rumpatur, vel ſcalpello aperiatur; quo facto gargariſma fiat ex infuſo vel decocto herbæ cujuſdam vulnerariæ, vel etiam infuſo ſimplici Theæ, cum melle roſarum, cui parum vini addatur; quo æger calide ſæpius fauces colluat, donec reſtitutus eſt!. Interea tamen ſciendum, me ſæpius vidiſſe, ejuſmodi tumores poſt plures dies ſub ipſo ſuppurantium uſu adhuc reſolutos fuiſſe, ideoque de eorum reſolutione non ſemper mox deſperandum eſt, licet ea quandoque lente & tarde fiat.

XXIII.

Præſervatio horum malorum.

Quia vero moleſtiſſimum hoc malum in nonnullis ſæpe redit, *præſervatio optima eſt*, præter moderatam diætam, venę ſectio circa ęquinoctia, vel in brachio, vel etiam in pede inſtituta. Alios vero etiam *ſcarificationes* ſubinde repetitę, alios utrumque; alios vero *fonticuli* in brachio aut pede ab his malis immunes reddunt: iis vero neglectis, facile redeunt.

XXIV.

De Pleuritide.

IN PLEURITIDE, PERIPNEUMONIA ET PARAPHRENITIDE, prętcr generalia N. VIII. commendata, lateri sive loco dolenti spiritus vini camphoratus linteis complicatis calide imponatur, aut *vesica lacte calido*, in quo flores chamomillę vel sambuci cocti sunt, repleta; vel etiam sacculi sicci ex vegetabilibus resolventibus cum camphora, vel ex sale aut farina calida, si priora forte ferre non posset, utiliter applicantur; quę *camphora etiam interne* hic efficacissima est, pręsertim in malo graviori. *In pleuritide spuria* sive *notha*, externas partes magis occupante, in qua vehemens ad tactum dolor adest, *Lancisius* jubet, pręgressa venę sectione larga in brachio, & incisa prius cute supra partem dolentem, *duas cucurbitulas, loco dolenti applicare*, affirmatque hoc ipso, incantamenti instar, sępe totum hunc morbum tolli, *immo & in vera sive interna*, modo pulmones non simul sint affecti, egregium esse auxilium asseverat. [a]

Pleuritis & peripneumonia.

XXV.

Quando *pleuritis aut peripneumonia* non resolvitur, sed *in abscessum abit*, & pus per asperam arteriam evacuatur, expectoratio est promovenda, & postea ulcus glutinandum. Prius fit 1. speciebus pectoralibus lubricantibus ex rad. malv. liquirit. ficubus, dactylis, passulis & herbis pectoralibus compositis, quibus subinde olei amygdalarum dulcium, vel lini cochl. j. vel ij. interponatur; vel linctus pectoralis ex modo laudatis oleis

Quando in abscessum abeunt.

(a) Vid. *Morgagni* Advers. Anatom. V. p. 83.

cum ſpermate ceti & ſyrupo violarum paratus. His per aliquot dies continuatis, donec purulenta materia maximam partem eſt rejecta. 2. *Conſolidatio eſt procuranda* infuſo ex herbis traumaticis & pectoralibus parato, aliquoties in die hauſto, cum quo Mixturæ tonicæ, ex ſpiritu CC. & Tincturæ tartari compoſitæ, gutt. xxx. ad xxxx. in primo hauſtulo ſunt ſumendæ; vel etiam Elixirii pectoralis Wedelii eadem quantitas, vel etiam balſami pectoralis Meibomii vel vulnerarii Locatelli apta doſis, donec ulcus rurſus clauſum ſit. Si *febris lenta* aut *hectica* accedat, curatio hujus vid. Cap. VI.

XXVI.

Reliquæ inflāmationes internæ.

In VENTRICULI, INTESTINORUM, HEPATIS, LIENIS, RENUM, VESICÆ & UTERI INFLAMMATIONIBUS, externe loco dolenti vel *veſica lacte calido repleta*, modo §. 24. laudata, inprimis ſi chamomilla in eo prius cocta eſt, imponatur; vel ſpiritus vini camphoratus crocatus, cum linteis complicatis, calide ſæpius applicetur; cui adhuc ſacculi ex herbis reſolventibus majoris efficaciæ cauſſa ſuperimponi poſſunt. Præterea & clyſmata emollientia & paregorica ex chamomilla præſertim, vel veronica in lacte aut juſculo cocta, & ſemel, bis aut ſæpius in die applicata, egregiam his in abdominis malis opem ferunt. In *nephritide*, *veſicæ aut uteri inflammatione graviori*, præter hactenus laudata, etiam *hirudines* ano applicatæ, egregie ſæpius proſunt, præſertim ſi *hæmorrhoides ſuppreſſæ* in culpa, vel molimina hæmorrhoidalia percipiantur, ad ſanguinem inde derivandum. Interne eadem ſunt adhibenda, quæ §. VIII. generatim commendata ſunt, ſpeciatim vero *in ventriculi inflammatione camphora* pulveribus digerentibus admixta valentiſſima eſt.

Moni-

Monita practica.

1. *Venæ sectio*, uti in plerisque inflammationibus, *valde utilis est*, *si in principio instituitur*; ita e contrario noxia plerumque deprehenditur, si nimis tarde, aut ægro jam valde debili, administretur. Si vero æger plethoricus, vires satis adhuc constantes, magnusque æstus adsit, & malum laudatis remediis, ut sæpius vidi, non cedat, etiam paulo tardius administrata, his adhuc sæpe prodest.

2. In *levioribus inflammationibus* & subjectis non plethoricis *sanguinis* missio non semper est necessaria; *in malignis* vero plerumque noxia deprehenditur, adeoque ab ea abstinendum.

3. In quacunque inflammatione *frigida extus aut intus applicata utplurimum nocent*: quia sanguinem spissum ac stagnantem magis coagulant & vasa obstructa fortius constringunt, atque sic inflammationem pejorem reddunt. In *ophthalmia* tamen, & præsertim ejus principio, aqua simplex vel & collyria frigida recte ac sine noxa adhibentur; nam experientia docuit, *oculis frigida plerumque magis esse amica, quam calida*; in statu vero fotus resolventes calidi vel potius tepidi, ex decocto hyssopi, veronicæ, euphrasiæ, fœniculi & similium ophthalmicorum aut digerentium remediorum, melius usurpantur.

4. *Medicamenta spirituosa calefacientia, & volatilia, in inflammationibus interne nocent*; quia motum sanguinis & æstum augent; externe vero spirituosa, & cumprimis spiritus vini camphoratus, egregiam vim resolvendi & refrigerandi obtinent.

5. Tumores inflammatorios externos *non nimis mature aperiendos* esse censeo; quia immaturi majores dolores aliaque varia sæpe symptomata concitant. Attamen etiam ut §. XI. dictum est non nimis tarde incidendi. Verum simulac ex aliquali tumoris mol-

mollitie aliquid puris inesse percipimus, tuto & optime aperiri possunt, immo debent, licet totus tumor nondum mollis aut suppuratus sit: ne fistulæ excitentur, aut ossa a pure vitientur, & ut æger citius a febre, anorexia & vehementibus doloribus, quos hi tumores sæpe excitant, liberentur.

CAPUT VIII.

De Hæmorrhagiis, sive fluxibus sanguinis.

I.

Hæmorrhagiæ quotuplices & caussæ.

HÆmorrhagiæ dividuntur *in spontaneas, violentas, & artificiales*; at de prioribus nobis hic potissimum sermo erit: quæ *Stahlianis actiones videntur animæ*, magna prudentia susceptæ, quibus sanguinem quantitate, & non raro quoque qualitate peccantem, ad mala illa, quæ a plethora potissimum, vel prava qualitate oriri solent, avertenda, expelleret: Nobis vero non ab anima, sed a caussis physicis, *a sanguine scilicet vel quantitate vel qualitate peccante, vasaque ex rationibus mechanicis fortuito rumpente*, sine animæ scientia, concursu aut directione graves ob rationes provenire videntur.

II.

Species.

Harum SPECIES præcipuæ sunt *hæmorrhagiæ narium*, *hæmoptysis*, *hæmorrhoides*, *vomitus cruentus*, & speciatim in mulieribus, *mensium atque lochiorum fluxus*, itemque *hæmorrhagia uteri* in gravidis & aliis. Quibus etiam accenseri potest *fluxus varicum* in cruribus, qui quandoque in quibusdam, sed longe rarius, observatur.

III.

III.

Ratione ætatis notandum, quod in *junioribus* maxime narium hæmorrhagiæ; in *media ætate*, hæmoptysis & vomitus cruentus; at in *provectioribus*, hæmorrhoides & mictus cruentus sæpius observentur: quæ si stata tempora servant, *periodicæ*, sin minus, *vagæ* vel *irregulares* nuncupantur.

Ætas.

IV.

SUBIECTA hæmorrhagiis obnoxia sunt maxime *plethorici*, præsertim juniores, sanæ plerumque cæterum & floridæ constitutionis, atque ingenii ut plurimum excitati; ut sunt cholerico sanguinei, & sanguineo melancholici; deinde & ii, *qui diæta lauta*, præsertim calefaciente, aromatica & cumprimis *vinosa* utuntur; maxime vero omnium ii, qui ad iracundiam simul sunt proclives.

Subjecta.

V.

CAUSSA hæmorrhagiarum proxima utplurimum est *plethora*; quæ vero raro per se, (nisi in mensibus forte & lochiis) sed tunc demum hæmorrhagias excitat, quando vehementius a spirituosis, aromaticis, volatilibus, calefacientibus, æstum ac motum fortiorem sanguini inducentibus, exagitatur; ut ab aere calidiore, motu corporis, aut ira vehementiore, abusu vini aliorumque inebriantium, vel & Venere nimia: quo fit, ut vasa sanguifera, ubi natura sunt debiliora, aut nimium dilatet, ut sanguinem transmittant, aut disrumpat; quod tanto facilius contingit, si sanguis simul acri, biliosa, aut scorbutica alcalina intemperie sive dyscrasia laborat.

Caussa.

VI.

Stahliani quidem *animam rationalem hæmorrhagiarum* harum, ut jam diximus, *caussam esse volunt*, quæ, cum nimium sanguinis copiam, aut pravam qualitatem, corpori noxiam, cognosceret, *pru-*

Stahlii sententia.

prudenti consilio, deliberatione, atque instituto *supervacuam aut noxiam sanguinis partem*, dilatato vel rupto quodam vase sanguifero, aut pluribus simul, ex corpore expelleret, illudque sic a nimia copia vel vitioso etiam sanguine noxisque inde metuendis liberaret.

VII.

In dubium vocatur & refellitur.

Sed præterquam, quod anima ægri cognitionis hujus, consilii & actionis prorsus ignara sit, si a prudentia animæ hoc dependeret negotium, evacuationes illæ sanguinis *semper*, vel *saltem utplurimum, in loco tuto & securo*, ut in naribus vel intestino recto, atque in mulieribus in utero contingerent. Verum cum sæpe in pulmonibus, ventriculo, vesica vel renibus fiant, atque inde ægri haud raro brevi tempore, immo paucis horis aliquando pereant, vel saltem inde in vitæ periculum, aliumve morbum periculosissimum, ut ulcera pulmonis aut renum, ac phthisin conjiciantur, ego potius existimo, sanguinem copia vel acrimonia peccantem, & *vi cordis*, (quæ *nobis hic natura est*] pressum, *vasa valde distendere*, expandere, atque tandem ob rationes mechanicas casu fortuito perrumpere vel erodere, ubi in hoc vel illo corpore forte debiliora sunt, minusque resistunt; hinc in his per nares, in illis per pulmones, in aliis per ventriculum, renes, vesicam, vel hæmorrhoidalia vasa sanguinem effundi. *Si enim hæc res ab animæ arbitrio, prudentia, atque directione dependeret*, anima hominum sapientum *semper per loca secura*, & ubi sanguinis fluxus minimum vel nullum incommodum produceret, sanguinem abundantem vel noxium expelleret. Verum e contrario videmus, in hominibus etiam sapientissimis, immo in ipsis Medicis prudentibus, qui, quid noxium, satis didicerunt & intelligunt, sæpe hæmorrhagias contra animæ ipsorum voluntatem, & quidem in locis haud raro periculosissimis continge-

ge-

gere, ubi anima ipsorum vellet, optaret, ac desideraret, *ut per nares vel intestinum rectum sanguis excerneretur*, qui tamen reluctante & invita anima per pulmones, ventriculum, renes aut vesicam sæpius expellitur. Verum anima omnibus suis viribus & conatibus, quantopere etiam velit, hæmorrhagias periculosas, in loca minus periculosa dirigere aut relegare nequit; hinc verisimilius est, eas in machina nostra corporea etiam ex caussis mere physicis & mechanicis contingere, vimque cordis fortuito perrumpere vasa, sicuti torrens oras vel aggeres suos debiliores, quæ in hoc vel illo homine natura sive forte fortuna debiliora sunt. CELSUS enim jam dudum dixit, & experientia quotidie id confirmavit, *nullum esse hominem, qui non partem aliquam præ ceteris habeat debiliorem*. Stultissima enim esset anima, quæ, dum posset, sanguinem non per loca tuta expelleret, & consulto loca periculosa, immo periculosissima eligeret.

VIII.

Prognosis.

Quæ *per pulmones*, *ventriculum*, *renes* aut *vesicam* contingunt hæmorrhagiæ, *periculosæ sunt*, sicut & *hæmorrhagiæ uteri gravidarum*; reliquæ vero moderate contingentes, sive per nares, hæmorrhoides vel uterum fiant, nullam noxam, sed egregium ut plurimum corpori emolumentum afferunt: morbos enim multos a plethora alias oriundos, revera præcavent, multosque jam factos minuunt ac tollunt, adeoque sub quiete & moderato victus regimine sibi relinquendæ, & non, nisi insignis debilitas id exigat, remediis sunt cohibendæ. Immo quamvis etiam subinde largæ admodum sint, atque imperitis magnum injiciant terrorem; tamen non mox, hoc est, ante notabilem debilitatem cohibendæ: quia haud facile vitæ periculum inde metuendum, dum paucissimi inde moriuntur, & copia satis imminuta,

spon-

ſpuote plerumque tandem conſtrictis denuo vaſis, rurſus ceſſant. Contra, quando præmature ſiſtuntur, graviſſima ſæpe mala, & cumprimis hæmorrhagias in aliis locis, vel inflammationes, hecticam, phthiſin, cachexiam, hydropes &c. inducunt. Quo magis hæmorrhagiæ benignæ & certis periodis redeuntes, eo minus periculi inde metuendum.

IX.

Curatio extra paroxyſmum pro copia minuenda.

In curatione *duplex tempus eſt reſpiciendum*, vel extra paroxyſmum, quo recrudeſcentes ſanguinis noxios aut enormiores fluxus præcavere ſive avertere ſtudemus; *vel ipſius paroxyſmi*, in quo præſentes ſanguinis nimiæ vel noxiæ profuſiones moderandæ & cohibendæ ſunt. Proponemus primo curam, quam præſervandi fine *extra paroxyſmum* adhibere convenit; ubi, quia ſanguinem *quantitate peccantem* utplurimum corpus gravare cognoſcimus, convenienti modo imminuendus erit. Hinc huic indicationi ſatisfaciendum 1. *per hæmorrhagias ſive ſanguinis detractiones artificiales*, & præcipue per *ſanguinis miſſiones*: extra paroxyſmum, maxime circa æquinoctia, aut ubi res in majori plethora, aut ſæpius recurrente hæmorrhagia, ita poſtulat, ſæpius ac larga ſatis quantitate inſtitutas, &, ut in plethora dictum eſt, loco conveniente adminiſtrandas; vel in quibuſdam etiam, qui venæ ſectionem adeo frequentem forte averſantur, per interpoſitas *ſcarificationes* vel *hirudines*. 2. per *frugalem* ſive parcam ac refrigerantem *victus rationem*: in qua non ſolum nimia alimentorum quantitas, ſed & acria & potiſſimum aromatica, nimius carnium uſus, vini abuſus, ſpirituoſa atque calefacientia ſunt vitanda. 3. per *motum corporis moderatum*, ſed frequentem extra paroxyſmum inſtitutum: ubi ambulatio, *vectio in curru*, & *equitatio* moderata commendanda. & 4. *per lene purgans quandoque uſurpatum*; ubi præcipue potiuncula ex tamarindis, fo-

liis sennæ, rhabarbaro, cremore tartari & manna conducit; vel sal amarum purgans, in aqua vel simplici vel minerali, apta copia sumptum.

X.

2. Pro qualitate corrigenda.

Ratione qualitatis sanguinis biliosi, acris, alcalici & volatilis corrigendi, *absorbentia*, ut lapides cancrorum conch. ppt. mater perlarum, &c. *præsertim succo citri impraegnata*, itemque his juncta salia media ac nitrosa, aut pulvis meus temperans, vel similis alius, parca dosi, sed sæpius, quando orgasmus sanguinis id exigit, ex aquis temperantibus vel simplici exhibeantur. *Conducit & lenium acidorum*, ut Succi citri, ribesiorum, berberum, mororum, cerasorum acidorum, granatorum, &c. eorumque syrupi, itemque aceti, capparum, citreorum, limonum, acetosæ, & similium, tam in cibis, quam in medicamentis *modicus usus*; quæ & aquis illis vel decoctis hordei commode immisceri possunt.

His subinde, ut jam antea diximus, *blanda laxantia* §. IX. laudata *interponenda*, vitando acria, alcalica, spirituosa, sulphurea, resinosa, aloetica, myrrhata, crocata & similia; *potus vero diluens, aquosus, sufficiens*, cum vel sine blando acido admixto, assumendus. Huic denique intentioni etiam egregie inserviunt *aquæ medicatæ*, præsertim leniores, ut Selterenses, Emsenses, Wildungenses, Spadanæ, & similes, legitime usurpatæ, cumprimis *sanguinis detractatione præmissa*, vel etiam loco harum *seri lactis usus* bis in die ad libr. 1. vel duas aliquandiu continuatus.

XI.

Curatio in paroxysmo levioris.

In ipsius hæmorrhagiæ paroxysmo, eæ, quæ per innoxia loca *moderatæ contingunt*, nulla prorsus indigent curatione; sed tantum quietem & abstinentiam a calefacientibus & acribus requirunt. *Eas vero, quæ largiores, non conducit adstringentibus mox supprimere*: quia partim vasa & glandulæ in primis viis, mesenterio, pulmone aliisque partibus ab his

con-

constringuntur, obstruuntur, atque hectica, phthisis, cachexia, hydrops aliaque mala facile inducuntur, partim a sanguine hoc retento; cohibito aut represso omnis generis morbi facile proveniunt; verum præstat potius *initio orgasmum sanguinis*, *fere* semper hic præsentem, potu aquæ simplicis, vel succo citri impraegnatæ, vel seri lactis & ante laudatis §. X. temperantibus, nitrosis, absorbentibus citratis, & cinnabarinis pulveribus, sæpe pro necessitate abhibitis, compescere, & singulis vel alternis horis, aut etiam sæpius, si res exigit, ℈j. vel ʒß. ex aqua simplici vel aquis refrigerantibus idoneis exhibere, & haustum frigidæ superingerere.

Interponi his etiam cum fructu possunt *emulsiones* ex amygdalis, sem. 4. frigid. & papav. albi paratæ, & nisi hæmorrhagia valde urgeat, solis hisce temperantibus frequenter adhibitis continuandum, & ad fortiora adstringentia ob prædictas rationes non accedendum, nisi magna id exigat necessitas.

XII.

Vehementioris.

Quod si vero hæmorrhagia sit vehementior, & his non cedat, ægerque inde *valde debilis evadat*, tunc demum blanda *adstringentia* & *opiata*, modica copia, prædictis temperantibus jungenda: quæ cumprimis optimum effectum edere solent, si versus noctem potissimum exhibeantur, quamvis & interdiu dari queant.

Inter *moderata vero & securiora adstringentia*, præcipua hic sunt vel Mixtura tonica, ex Tinctura tartari & spir C. C., vel pulveres ex *coralliis rubris*, vel *lapid. hæmatite*, aut speciebe *de hyacintho*, quæ dimidia circiter portione modo §. XI. laudatis pulveribus temperantibus miscentur, & cuivis dosi extr. papav. rh. vel mp. de cynoglossa gr. j., vel quod perinde est, laudani opiati pars grani quarta, aut in robustioribus gr. ß. additur, quibus etiam Tinctura flor. papav. vel rosar. rubrar.

po-

potui aquoſo iſtillata, vel Tinctura coralliorum, vel Tinctura terræ japonicæ, vel martis Ludovici, aut lapidis hæmatit. in graviori malo cum vehiculo aquoſo data, quandoque interponenda.

Huc etiam referri meretur celebris *pulvis ſtypticus Heurnii*, [a] ex adſtringentibus & anodynis conſtans: quem multi jam magno cum ſucceſſu in omnis generis hæmorrhagiis, præſertim *hæmoptyſi*, *uterique nimiis fluxibus*, adhibuerunt, qui ita ſe habet.

℞. Sem. hyoſcyami albi, ſem. papav. albi ā ʒj. lap. hæmatit. ppt. corall. rubr. ā ʒß. camphoræ ℈ß. M, detur ſubinde ad ℈j. vel ʒß. ex aqua ſimplici vel deſtillata, aut julepo acidulo.

XIII.

Si tamen ingens ægri debilitas, animi defectio, & hæmorrhagiæ continuatio *fortiora* adhuc requirat, tunc præter remedia externa, *potiuncula adſtringens*, ad celebris *Sylvii* modum parata, valentiſſima eſt, ut:

Vehementiſſima.

℞. Aq. burſ. paſtoris ℥ iij.
equiſet.
plantagin. ā ℥ ij.
cinam. cydon. ℥ j.
aceti deſtill. ℥ß. ad ℥ j.
corall. rubr. ppt.
lap. hæmatit. ā. ʒ j.
ſyrup. granator. ℥. j. (vel myrt. vel corall.)
laud. opiat gr. j. aut in fortior. gr. ij. M.

De qua potiuncula quavis dimidia hora, donec hæmorrhagia remittat, cochlearia duo vel tria

(a) In comment. in aphor. Hippocrat. Deſcript.

exhibeantur, continuato ſimul potu aquoſo, acidulo. *Simulac vero fluxus ſanguinis remittit*, ab ea aliiſve adſtringentibus rurſus abſtinendum, ne nimia adſtrictio noxam inducat, & ſupra laudatis temperantibus & potu aquoſo frigido negotium abſolvendum eſt.

HELVETIUS cum MYNSICHTO *uſum aluminis* vel ſimplicis vel cum modica ſanguinis draconis portione mixti, ſæpius repetitum ad ℈j. vel ʒß. tanquam præſtantiſſimum his in morbis deſperatiſſimis ſpecificum, una cum potu largo aquoſo & cumprimis *decocti ſeminis lini*, in peculiari de hæmorragiis libello gallico, valde commendat, atque ſtupendos fere ejus effectus recenſet. (*a*) Interea tamen cum hoc perquam forti adſtringente interne cautiſſime procedendum eſſe judico, ne graves noxæ inde ſubſequantur.

XIV.

Quid cohibita hæmorrhagia faciendum.

Poſtquam hæmorrhagia fortior cohibita eſt, ægerque inde valde debilitatus, primo ab adſtringentibus deſiſtendum, atque iſte roborantibus [vulgo cordialibus] ſive analepticis temperatis refocillandus eſt: ut aquis in julepis cordialibus temperatis, emulſionibus gratis, ex amygdalis, pineis, piſtaceis; vel lacte cum aqua roſarum mixto; vel juſculis carnium, præſertim pullorum aut gallinarum, ſucco citri vel limonum, vel aurantiorum acidorum, impraegnatis, itemque juſculis ex avena, hordeo & oryza paratis, ut & gelatinis ex pedibus vitulinis, C. C. aut ebore confectis; cereviſia item tenui tepida, cum vitello ovi in ea ſoluto, & ſimilibus, quæ etiam aliquo modo noxas ab adſtringentibus forte inductas, & acre atque auſterum ipſorum rurſus corrigunt. His ſubinde hauſtulus vini, præſertim rubri, tenuioris, adſtringentis, vel meri, vel aqua pro-

(*a*) Traitè des Pertes de ſang.

probe diluti, interponi potest, si æger illud desideraverit.

X V.

INTER EXTERNA REMEDIA [quæ adstringentibus internis, præsertim fortioribus, fere præmittenda, & si sufficiunt, quia in visceribus nihil mali concitant, præferenda sunt] conducunt 1.] *ligaturæ* paullo fortiores, carpis & malleollis applicatæ. 2. *lapis hæmatites* magnus aut *jaspis* manibus vel sub axillis detentus. 3. frustum *radic. iridis palustris* vulgaris sub lingua detentum. 4. *bufo exsiccatus* sub axillis aliquamdiu comprehensus. 5. *pulvis sympatheticus Digbæi*, cujus ℥j. vel ij. in ℥j. vel ij. aquæ calidæ solvuntur, sanguinis ægri aliquot guttulæ immittuntur, & super leni igne bacillo ligneo aliquamdiu agitantur.

Medicamenta externa.

X V I.

De Narium Hæmorrhagia.

Speciatim vero in *Narium hæmorrhagia* nimia, præter modo laudata egregium adhuc est remedium *spiritus vini rectificatissimus*, vel *spiritus vini camphoratus* naribus fortiter attractus; item *solutio aluminis & vitrioli*, vel seorsim vel commixti, in aqua, aut *pulveris sympathetici* in aqua plantaginis aut phlegmate vitrioli, simili modo usurpata, ut & cum turundis ex linamentis naribus immissa, vel & per siphonem injecta. Ita quoque *cucurbitulæ* fortiter trahentes, cruribus & femoribus sæpius admotæ, brevi sæpe revellendo, præsertim in sexu fœminino, sistunt has hæmorrhagias; atque in provectioribus *hirudines*, ano appositæ, præsertim si ægri jam antea hæmorrhoidibus laborarunt, vel re ipsa tunc congestiones circa intestinum rectum sentiunt, utilissimæ sunt.

In narium hæmorrhagia.

Numus major argenteus, uncialis aut similis, fri-

gide fronti alligatus, itemque *lintea*, *aqua frigida* vel *aceto* imbuta cervici, vel etiam in viris *scroto* aliquoties *applicata*, cito quoque sæpius eas compescunt. Alii ejusmodi frigida cervici & quidem ægro inscio atque ex improviso, affundunt.

Quidam vero *stercus suillum* recens naribus aliquamdiu admotum vehementer laudant; id quod vulgo concedi potest.

XVII.

Præservatio hæmorrhagiarum.

Præservationis gratia, ut jam supra N. IX. generatim dictum est, *Venæ sectio circa æquinoctia*, aut sæpius in anno, præsertim in pede aut brachio, summe est necessaria. Deinde *diæta* utantur parca, & refrigerante; vitando calefacientia, vinosa, spirituosa, & quandoque bis terve in hebdomade ad fervorem sanguinis, si adest, temperandum, pulvis absorbens, citratus, nitrosus, sive temperans noster, detur, pediluviumque temperatum, tepidum subinde adhibeatur, & *motus corporis* frequens, sed *moderatus*, non omittatur. Nonnullis singulis mensibus idoneum *purgans* ex temperantibus §. IX. conducit. Verno vel æstivo tempore, *usus seri lactis* vel *aquarum medicatarum temperatarum*, si per aliquot hebdomades cum idoneo regimine continuetur, quoque est egregius, præsertim si ventriculus id commode ferre potest.

XVIII.

Hæmoptysis.

In hæmoptysi moderata sufficiunt sæpe orgasmum temperantia: ut nitrum cum absorbente quodam citrato & cinnabari, vel pulvis temperans noster, aut similis, quavis hora vel bihorio, donec cesset, exhibita, servata simul quiete & victu refrigerante. In *vehementiori* vero non solum sæpius hæc exhibenda, sed eis etiam *lene opiatum*, ut laudanum opiatum, vel mp. de cynogloss., vel extractum papaver. errat. admisceatur; ubi & sem. hyoscyami albi, his cum fructu addi, vel pulvis stypticus *Heurnii* cum largo vehiculo aquo-

aquoso exhiberi potest; vel & mr. tonica ad gutt. 30. vel 40. In *vehementissima* vero *potio Sylvii adstringens*, §. XIII. itemque species de hyacintho cum laudatis modo opiatis mixtæ sæpius adhibendæ, donec remittat; ubi & *pulvis sympatheticus Digbæi*, modo §. XV. descripto, externe adhibitus, præsentaneam subinde opem fert. Ita & *Venæ sectio* in malo graviore revellandi fine utilissima est, præsertim in pede; vel hujus loco *cucurbitulæ* suris, & femoribus adhibitæ, præsertim in sexu feminino, aut hæmorhoidibus obstructis laborantibus. *Alvus interea*, nisi sponte sit aperta, *victu emolliente* ex prunis, cerasis & pomis una cum passulis coctis, vel *clysteribus emollientibus* & refrigerantibus, vel & lenibus laxantibus *semper aperta servetur*. Simulac vero hæmoptysis remittat, ab adstringentibus & opiatis quoque desistendum, atque temperantibus & emulsionibus, immo & *potu lactis* puri, aut aqua remixti, vel *aquæ frigidæ sirupo acido*, v. gr. granatorum imprægnatæ, vel *decocti seminis lini* §. XIII. continuandum, donec omnino cesset. Sed *postquam omnino remisit*, *partes læsæ* in pulmonibus *rursus sunt* consolidandæ, ne facile ulcus pulmonum sive phthisis subsequatur. Quem in finem bis in die Essentia traumatica Wedelii, vel mr. ex spiritu C. C. & tinctura tartari, una cum infusis herbarum & radicum pectoralium ac traumaticarum, quales sunt *species nostræ pectorales*, aut similes, interpositis temperantibus conducunt.

XIX.

Præservatio hæmoptysis.

Præservatio eadem hic est, quæ in præcedenti §. IX. & VII. proposita fuit, imprimis *sanguinis frequens detractio* est instituenda, & deinde quoque, præsertim ubi hæmorrhoides jam adfuerunt, aut molimina eorum adsunt, *hirudines* ano subinde applicatæ sunt utilissimæ. Ita & usus *seri lactis*, vel *lactis ebutyrati*, vel *aquar. selterensium*

sium cum lacte hic est egregius. *Balsamica* vero vulgo hic adhiberi solita, ut terebinthina, balsam. sulphuris, Peruvianus, copaivæ, & ex his parata, aliive similes, & præsertim aloetica ac myrrhata, atque hinc etiam ipsæ pilulæ balsamicæ Beccheri, Stahlii, aliæque similes, hic vitanda esse censeo; quia sanguinem commovent, cujus motus potius temperandus. *Corticem peruvianum* cum pulvere absorbente Wedelii, partibus æqualibus remixtum, in hoc morbo, tam curandi, quam præservandi gratia, valentissimum ac certissimum suaque experientia sæpius confirmatum esse remedium, hoc ipso, quo hæc scribo, die, per litteras me certiorem fecit doctiss. D. WAGNERUS, Lubeccensis.

XX.

De Vomitu & Mictu cruento.

Vomitus & mictus cruentus.

Vomitus cruentus eandem fere curandi rationem requirit: inprimis vero MICHELOTUS [a], omnibus frustra exhibitis, potum largum aquæ frigidæ, succo granatorum impraegnatæ, utilissimum deprehendit. Post paroxysmum vero mox lene laxans ex rhabarbaro & præsertim ejus decocto vel essentia exhibeatur, ad effusum in ventriculo sanguinem evacuandum: quod post unum alterumve diem repetendum. Deinde *herbæ millefolii* aut *arnicæ* usus hic egregius est, sive in essentia sive in insuso tenui temperato, loco theæ, sive utroque modo adhibeatur: qui tamen non sit nimis frequens aut nimis diu continuatus.

XXI.

(a) In Act. Acad. Nat. Curiosor.

XXI.

De Mictu cruento.

Mictus cruentus eadem fere ratione & curatur & præservatur, sicut generatim §. IX. & seqq. docuimus; venæ sectio vero hic semper in brachio, revulsionis gratia, est instituenda.

XXII.

De Hæmorrhoidibus, Lochiis & Mensibus nimiis.

Hæmorrhoides & menses nimii.

Hæmorrhoides nimiæ, menses & lochia nimia eodem modo tractanda, ut §. XI. XII. XIII. & XVIII. dictum: ubi & cumprimis *usus moderatus infusi millefolii* præstantissimus est. Specia tim vero *in mensibus nimiis*, cucurbitula *magna sub mammis* applicata ab HIPPOCRATE revulsionis caussa haud sine ratione commendatur; sed verecundiores hoc non facile admittunt. Si vero hæc profluvia moderate fluunt, ita ut vel non, vel solum parum debilitent, non indigent medicamentis, sed solum diæta temperata & quiete: ita a multis morbis præservant & liberant. Sed quando a Medico hic aliquid agendum requiritur, præsertim si paullo fortius fluant, præter orgasmum temperantia interdiu usurpata, versus noctem quandoque *lene opiatum* simul exhibeatur. Stahliani dosin pilularum polychreitarum Beccheri aut Stahlii, aliarumve similium, per aliquot dies quotidie assumendam, donec remittat, valde commendant. Quæ vero, quia expellentibus, hic valde suspectis, ut supra §. X. dictum est, con-

stans, exhibere hactenus nolui, quia sistentia non pellentia satis idonea & tuta prostant, quam plurima, quæ propterea, tanquam magis secura, illis præferenda esse censeo.

Monita Practica.

1. Ubicunque hi ægri jam nimis debiles, ab *opiatorum* largiori usu est abstinendum, & potius roborantibus temperatis, emulsionibus, gelatinis, lacte ebutyrato, ac similibus utendum: alias debiliores fiunt, in deliria & mortem prolabuntur.

2. *Lintea*, quæ a nonnullis ad hæmorrhagias, præsertim narium, sistendas, *aqua frigida vel aceto imbuta hepati imponuntur*, summe noxia sunt deprehensa: nam quamvis ob frigus fluxus hos sæpe compescant; tamen ob eandem caussam facile hepatis inflammationem, obstructionem vel scirrhum producunt, vel ipsam etiam hydropem.

3. *Hæmoptysi* vel *vomitu cruento laborantibus*, nisi aliud quid urgeat, *emetica* non sunt exhibenda.

4. *Adstringentibus*, præsertim in *hæmorrhoidum, mensium & lochiorum nimio fluxu*, nunquam vel certe non facile abutendum: nam observatum est, etiam millefolii aliorumque mitiorum adstringentium largiorem usum facile illos fluxus, magno cum periculo ægri sæpe penitus supprimere, quos moderari tantum convenit.

5. *In declinatione hæmorrhagiæ cujuscunque nimiæ medicamenta roborantia* & lenissime adstringentia, ut Mixtura roborans ex spiritu C. C. & Tinctura tartari, vel Tinctura antimonii tartarisata, bis terve in die ad gut. XXX. ad XL. ordinanda; vel Tinctura martis cydoniata, aut Tinctura vitriolis martis Zwoelferi, ad tonum partium debilium rursus roborandum egregia sunt: ubi & infusa herbarum

rum traumaticarum, ut veronicæ, bellidis, agrimoniæ, alchimillæ, millefolii, virgæ aureæ, saniculæ, pyrolæ, pilosellæ, plantaginis, &c. admodum Theæ modice usurpata, subinde interponenda. Deinde *postquam ægri rursus paulo robustiores facti*, *lene laxans*, ut potio laxans temperata; vel pulvis rhabarbari, cum pauco nitro, vel cremore tartari; vel decoct. rhabarbari; vel Sal catharcticum Anglic. aut Seidlicense, apta quantitate ex aqua simplici aut sero lactis vel ex aqua medicata idonea exhibendum.

6. *Qui nimiis hæmorrhagiis valde debilitati sunt, a lectione multa* diu abstineant, & a luce splendida sibi caveant; quia alia *visus* inde vehementer læditur & facile quoque vertigo concitatur.

7. *Sanguinis missiones extra paroxysmum* ad *præcavenda* sanguinis profluvia spontanea, certis temporibus institutæ, plus præstant, quam in paroxysmo, ad eas curandas, celebratæ: adeoque stato tempore, bis, ter quaterve in anno, pro ægri diversitate, præservandi fine valentissimæ sunt.

8. Qui hæmorrhagiis obnoxii, *vitent calefacientia*, vinum, spiritum vini, aromata, aloen, myrrha, & ex his parata; iram, venerem nimiam, saltationes & motus quoscunque vehementiores; sed temperantiæ & moderationi studeant in omnibus suis actionibus, ita immunes ab his malis se reddere possunt,

CA-

CAPUT IX.

De Hæmorrhagiis sive fluxibus sanguinis suppressis.

I.

Caussæ.

LIcet hæmorrhagiæ multa sæpe incommoda & pericula inferant; plura tamen eaque longe graviora, immo & frequentiora inferre solent eædem suppressæ, sive suppressio hæc fiat sponte, a caussa quadam interna, ut a nimia spissitudine sanguinis; sive ab adstringentium, in curatione hæmorrhagiarum adhibitorum, perverso usu, sive a refrigeratione, potu frigido, victu crasso, vel obstipante, animi affectibus aliave ex caussa.

II.

Symptomata.

Inter hæmorrhagias vero, quas hic *suppressas* vocamus, considerari merentur *hæmorrhagiæ narium, mensium, lochiorum & hæmorrhoidum suppressio*: unde omnis generis *gravissima* symptomata ac morbi oriri solent. Et quidem speciatim ab *hæmorrhagia narium suppressa*, gravia mala vel in capite oriuntur, ut *dolores capitis, morbi oculorum, aurium, dentium, inflammationes faucium, tonsillarum, uvulæ, erysipelas faciei, capitis* externi, *Phrenitis*, &c. vel in thorace, ut *palpitatio cordis, anxietates præcordiorum, respiratio difficilis, hæmoptysis, pleuritis, peripneumonia, pthisis*, & *febres acutæ* variæ. A suppressione mensium, *spasmi & dolores in ventre*, atque speciatim in *ventriculo, intestinis, hepate, liene, item dolores capitis, spasmi, pressio & angustia præcordiorum, respiratio difficilis, nausea, vomitus simplex & cruentus, hæmoptysis, hæmorrhagia narium, gravitas artuum, lassitudo, cachexia, chlorosis, œdemata, hydrops, affectus spasmo-*

modici & convulsivi, *passio* ita dicta *hysterica*, sive uterina, *epilepsia uterina*, *animi deliquia hysterica*, *ulcera pedum*, *articulorum dolores & morbi arthritici*, *hæmorrhoides*, *mictus cruentus*, *morbique alii*. A lochiorum suppressione *angustiæ præcordiorum*, *capitis dolores*, *fastidium ciborum*, *vigiliæ*, *febres acutæ* præsertim *purpuratæ* aut *miliares*, *deliria*, *convulsiones*, *inflammatio pleuræ*, *uteri*, *aliarumque partium*. Hæmorrhoidum suppressionem sequuntur omnia ea symptomata, quæ a mensium suppressione oriri modo diximus, & speciatim quoque sæpe *icterus* præsertim *niger*, *apoplexia*, *malum hypochondriacum*, *melancholia*, *mania*, *vomitus cruentus*, *arthritis*, *podagra*, *ischiaticum malum*, *nephritis*, *mictus cruentus*, *renum exulceratio*, *calculus*, & omnium frequentissime *asthma*, *œdema* atque *hydrops*. Reliquæ hæmorrhagiæ suppressæ, eadem fere symptomata producunt.

III.

Prognosis.

Quo diutius hæ suppressiones durarunt, eo pejora plerumque inducunt symptomata, atque eo difficilior solet esse curatio: præsertim si aliæ sanguinis idoneæ evacuationes, sive naturales, sive artificiales, non substituantur. Facilius tamen fluxus mensium suppressus, quam reliqui, restituitur. Ab omnibus vero his fluxibus suppressis præter jam §. 2. indicata mala, haud raro *mors subitanea* producitur.

IV.

Curatio hæmorrhagiæ suppressæ generalis.

In CURATIONE, pro diversitate fluxus suppressi, varia ratione procedendum est: interea tamen *in quavis suppressa hæmorrhagia* respiciendum ad qualitatem, crasin sive dispositionem sanguinis: qui, *si nimis serosus*, pituitosus vel frigidus, conducit per octiduum circiter aut diutius quotidie alvum blande movere, vel pilulis aloeticis, Francofurtensibus, Immanuelis, Beccherianis, Stahlianis, aliisve similibus balsamicis;

vel

vel vino medicato, & simul bis in die circa meridiem & circa vesperam Essentia quadam attenuante ac roborante, ut gentianæ, trifolii fibrini, corticis aurantiorum, rad. pimpinellæ, lignorum, vel alexipharmaca Stahlii, aut diaphoretica nostra, aliave simili ad guttas XXXX. ad LX. uti.

V.

Si a spisso sanguine.

Si suppressio a *sanguine nimis spisso* oriatur, prædictis modo medicamentis infusa aquea ex herbis aperientibus atque attenuantibus optimo cum fructu ad modum Theæ interponuntur: ut *infusum rosmarini*, salviæ, capilli veneris, melissæ, veronicæ, betonicæ, theæ, cum cortic. citri vel aurantiorum, &c. quibus jungendus *motus frequens* sufficiens, ipsa *saltatio*, *vinum* ad hilaritatem usque, sed non ad ebrietatem, potum, & diæta conveniens modica atque attenuans.

VI.

Si calor. p. n. junctus.

Sin vero cum suppressione adsit simul sanguinis motus nimius ac calor p. n. sive orgasmus, post evacuationes alvi lenes, hic nitrosis & absorbentibus citratis sæpe laudatis est temperandus, & postea eo mitigato mixtura ex spiritu C. C. & Tinctura tartari subjungenda; atque simul diæta moderata, temperans, cum motu frequenti, observanda.

VII.

De hæmorrhagia narium suppressa.

Externe *nares herba mari Syriaci*, vel *millefolii* ad hæmorrhagiam stimulandæ; vel in ipsis naribus, ad morem Aegyptiorum, *scarificatione* sanguis proliciendus. Atque vel eadem etiam methodus adhibenda *in eis*, *qui quidem nunquam vel raro hæmorrhagia narium laborarunt*, *symptomata tamen antea recensita*, *quæ a narium hæmorrhagia suppressa alias proveniunt*, *patiuntur*: oriuntur enim

hæc

hæc a congestionibus sanguinis circa caput, sive ab ita dictis moliminibus hæmorrhagiæ narium, sive ab impedita hac hæmorrhagia & plethora, quando abundans & circa caput congestus sanguis ob vasa nasi interna indurata, vel robustiora, vel quamcunque etiam aliam caussam exitum invenire & vasa narium aperire aut perrumpere nequit.

VIII.

At si prędicta ratione suppressa narium hęmorrhagia revocari non potuit, & antea nominata mala non remittunt, vel saltem valde minuuntur, vel etiam illis remediis tam diu immorari nolumus, quia sępe periculum in mora est, *promptiorem plerumque opem fert sanguinis detractio per venas*; quæ vero deinde ad mala inde metuenda verno minimum & autumnali tempore repetenda est: immo in nonnullis valde plethoricis, quos symptomata supradicta §. 2. valde affligunt, etiam ter quaterve in anno iteranda, vel etiam *scarificationes* subinde interponendæ; alias vel varii graves capitis morbi supra nominati, vel & pectoris, & quidem speciatim facile *hæmoptysis* & *phthisis* vel *pleuritis* aliaque inde oriunda mala, *sequuntur*.

Sanguinis detractio necessaria.

IX.

De Mensibus suppressis.

In mensium suppressione I. humores viscidi sunt attenuandi, *infusis* aqua calida paratis, ex aptis vegetabilibus, ut rad. cichorii, pimpinellæ albæ, aristolochiæ rotundæ, ari, vincetox. graminis. 5. radicum aperientium, caryophyllatæ, herb. rosmarin. capill. veneris, marrubii albi, fumar. chamęd. meliss. veronic. heder. terrestr. hyssopi aut similium cum quibus bis in die *Essentia quædam attenuans*, sanguinemque ad uterum determinans, ut Essent. rosmarini, aristolochię

Mensium suppressor. curatio.

ro-

rotundæ, ſuccini, tinctura tartari, vel antimonii tartariſata, juſta doſi exhibeatur: quibus attenuandi fine *pulveres ex ſalibus mediis, digeſtivis* vulgo dictis, veſperi jungantur, ut ex tartaro vitriolato, arcano duplicato, nitro antimoniato, ſale abſinthii, &c. vel *pilulæ balſamicæ* Beccherianæ aut Stahlianæ, aut aliæ ſimilcs, ex gummatibus & balſamicis uterinis (qualia ſunt ammoniacum, ſagapenum, galbanum, gummi hederæ, myrrha, aloe, opobalſamum, balſamum copaivæ, terebinthina) & ſuccis inſpiſſatis ſive extractis plantarum amararum ac balſamicarum, ut gentianæ, cardui benedicti, abſinthii, centaurii minoris, fumariæ, cochlear. &c. paratæ: hiſque aliquamdiu continuandum, donec menſtruorum alias conſuetum tempus fere appropinquet.

X.

Tunc II.) ſex vel octo dies ante conſuetum menſtruorum tempus talia adhibenda ſunt, *quæ paullo fortius attenuant*, atque excretionem menſtruorum promovent: qualia ſunt: 1. *balnea* ſive inſeſſus, *pediluvia* ac *frictiones pedum* quotidie aut alternis tunc diebus uſurpanda. 2. *Vina medicata*, per epicraſin purgantia, ex ſupra §. IX. indicatis radicibus & herbis, additis foliis ſennæ, radic. rhabarb. & fibris hellebori nigri, cum ſale tartari, vel tartaro vitriolato, mane uſurpata: quibus humores pituitoſi attenuantur, ſanguiſque ad uterum determinatur. 3. *Emmenagoga* ſive ſpecifica ita dicta menſes pellentia: qualia ſunt infuſa ex fortioribus moventibus, ut ex pulegio, roremarino, ſabina, adhatoda; florum roſmarini, cheiri, calendulæ &c. aqua, aut in frigidioribus vel pituitoſis, *vino parata*, ſemelque aut bis in die uſurpata. Præterea *omnia ex myrrha, aloe, borace, ſuccino, ſabina & croco* confecta: ut myrrha vel ſuccinum in pulvere, ſine, vel quod valentius, cum borace, apta doſi quotidie vino, præſertim calido, vel aqua

pu-

pulegii, cheiri, liliorum convall. melissæ, aut cinamomi assumta; troch. de myrrha, item Essent. myrrhæ, vel per se, vel cum Essentia succini, vel sabinæ, vel spiritu salis ammoniaci mixta; ita & Elixirium proprietatis vel per se, vel cum spiritu salis ammoniaci, Essent. croci *pilulæve balsamicæ* antea laudatæ, & ultimis diebus paullo largiori dosi exhibitæ. Nonnulli *olea distillata* pellentia, quæ vehementia immo fortissima sunt, commendant: ut oleum destillatum succini, sabinę, rosmarini, cinamomi, &c. quia vero hęc nimis vehementer exagitant & commovent sanguinem, pręsertim majori dosi exhibita, hęc aliaque vehementiora pellentia vel non, vel saltem cautissime, parca dosi, & non antequam venę sectio fuerit pręmissa, atque aqueis sanguis probe dilutus, exhibeantur; alias ob nimiam vehementiam, calorem, inflammationes, hęmoptysin, vomitum aut mictum cruentum aliave mala inducunt.

X I.

Si tempus menstruorum incertum.

Si vero tempus menstruorum incertum est, tunc medicamentis prioris classis, attenuantibus scilicet & leniter pellentibus §. IX. tam diu continuandum, donec ęgrę dolores in abdomine, lumbis, & circa pubis vel uteri regionem percipiant; quo tempore medicamenta posterioris classis sive fortius pellentia. §. X. adhibenda. Sed si ejusmodi tormina, uti haud raro contingit, non sentiantur, in junioribus emmenagoga versus novilunium, in annosioribus versus plenilunium danda, juxta versiculum:

Luna vetus vetulas purgat; nova luna, puellas.

Quando vero gravia symptomata, vel in capite, vel thorace, vel abdomine, & inde metuenda *pericula urgent*, atque pręd ictis nihil effectum est, tunc etiam ad majora mala, hęmoptysin verbi gratia, vomitum cruentum, & similia pręcavenda, *Vena in pede secanda*; id quod ultimo triduo ante tempus

men-

menstruum consuetum, aut si hoc ignoratur, in annosioribus, luna decrescente sive post plenilunium, in junioribus vero, post novilunium, sive luna crescente commodissime fieri solet. Cavendum tamen, ne *in puellis de graviditate suspectis*, aliisque, ubi symptomata non valde urgent, præsertim etiam in puellis junioribus, nimis cito aut facile administretur; quia sæpe deinde idem auxilium cum molestia earum repetere coguntur.

XII.

A vena sectione sepe inchoandū.

In valde plethoricis tamen, aut ubi gravia quædam symptomata urgent, initium curationis fieri apte potest Venæ sectione, subjunctis postea prioris & posterioris ordinis medicamentis emmenagogis: qua quidem methodo plerumque citius curantur, verum facile postea nova obstructio repetitionem venæ sectionis exigit. Interea tamen etiam sciendum, quod facta sanguinis missione, *solis sæpe pilulis Beccherianis vel Stahlianis* aut similibus aloeticis ac myrrhatis scopus obtineri possit, si ultima hebdomade ante tempus menstruum vesperi quotidie adhibeantur: quæ tanto certiorem effectum edunt, si una cum *pediluviis* vel insessibus, infuso quodam emmenagogo, similique Essentia idonea ex §. IX. supra laudatis usurpantur: & *si forte prima vice effectum quæsitum non præstant*, subsequentibus mensibus, postquam semper per XIV. circiter dies a medicamentis abstinuerunt, eodem tempore, eodemque modo repetantur, non neglecto *motu corporis* frequenti, pedum fricationibus, ac diæta conveniente.

XIII.

Menses nimis parce fluentes.

Atque hac ipsa etiam methodo *menses nimis parce fluentes*, ut largius fluant, tractandi sunt; itemque *eæ puellæ, in quibus justa ætate menses nondum fluxere*, attamen omnis generis molestias aut prava inde symptomata patiuntur; quibus etiam in casibus *aquæ medicatæ* & cumprimis *martiales*, ut pyrmontanæ,

tanæ, Egranæ, Sualbacenſes, Spadanæ & ſimiles egregium plerumque effectum præſtant.

XIV.

Malæ ex menſibus per ætatẽ ceſſantibus.

Quibus mulieribus menſes per ætatem ceſſant, & incommoda inde oriuntur, quæ alias a menſibus obſtructis oriri ſolent, *tunc minime pellentia cis ſunt adhibenda*; ſed potius *detractione ſanguinis artificiali* opus eſt: & ſi tales mulieres antea valde fuerint plethoricæ, & otioſa ſint, venæ ſectio verno & autumnali tempore poſtea eſt inſtituenda; aut pro malorum vehementia ſæpius, eaque deinde, ad ſeram uſque ſenectutem, præſertim in pede reiteranda, *phlogoſeſque vagæ* ſive ebullitiones ſanguinis, quæ has mulieres ut plurimum vehementer afficere ſolent, uſu frequenti pulverum temperantium, vel abſorbentium, citratorum, nitri ac cinnabaris temperandæ ſunt: in quem finem pulvis temperans noſter egregius eſt; itemque *aquæ medicatæ*, præmiſſa ſanguinis miſſione, legitime uſurpatæ.

XV.

Victus regimen.

In diæta vitentur omnia, quæ difficulter diguntur, cruda, craſſa, farinacea, flatulenta, leguminoſa, arida, adſtringentia, obſtipantia, & acida; *potus ſit tenuis* & ſufficiens, alvuſque ſemper victu lubricante ac potu ſufficiente, vel ſi hi non ſufficiant, leni laxante, ut ſale quodam amaro catharctico, aperta ſervetur. *Motus vero corporis frequens* in curatione omnium horum morborum, a ſuppreſſione menſium ortorum, ſumme utilis eſt atque neceſſarius, mœror vero, triſtitia ac terror vitandi.

XVI.

De Lochiis suppressis.

Suppressio lochiorum.

In SUPPRESSIONE LOCHIORUM potissimum observandum est, utrum omnino suppressa, an solum imminuta sint. Si *tantum imminuta*, & febris nondum adsit, pellentia lenia, ut Essent. myrrhæ, succini, croci, scordii, vel seorsim, vel inter se mixta, & parca dosi cum infuso Theę, vel aliis similibus aqueis calidis aliquoties in die exhibita prosunt: vel loco horum Elixir. proprietatis Paracelsi; aut quæ adhuc præstantiores a plerisque habentur, pilulæ balsamicæ Beccherianæ vel Stahlianæ, vesperi, ad grana xx. quotidie usurpatæ, *Sed si febris jam adest*, medicamenta temperantia, huic contraria, danda sunt. *Si vero lochia penitus suppressa* sunt; & quidem jam per aliquot dies, fere semper febris adest, adeoque non tuto pellentia, præsertim fortiora, adhibentur: quia febris periculosam vel producunt, vel jam præsentem augent atque omnia deteriora reddunt, verum præstat tunc ad febrim potissimum respicere, & orgasmum sanguinis, præmissa venæ sectione in pede, præsertim in plethoricis ac junioribus, pulveribus temperantibus, absorbentibus, citratis, nitrosis, & potiunculis diaphoreticis, potuque aqueo, ut in febribus acutis, temperare, iisque, observato regimine diaphoretico, continuare, donec ægræ melius se habeant: ubi fluxus subinde redit, subinde vero non redit, & ægræ tamen sæpius convalescunt; sed si venæ sectio in principio non est instituta, plerumque non amplius prodest. *Victus* insuper *puerperis hic conveniens*, sit tenuis & parcus; vitentur animi affectus, præsertim mœror, tristitia,

tia, terror, ira, temperatumque aeris regimen probe observetur: ubi vero notandum, quod moderatus vini generosi haustus subinde datus, præsertim in assuetis, si illud appetant, & calor non nimis vehemens sit, hic non noceat, sed sæpe multum ad fluxus hujus restitutionem faciat: qui ubi rediit, quiete, tenui victu, moderamine animi, leni pellente, & apto regimine conservandus.

XVII.

De Hæmorrhoidibus suppressis.

HÆMORRHOIDUM SUPPRESSIO requirit primo sanguinis imminutionem *per Venæ sectionem* in pede, soluta prius alvo, si obstructa est, vel per clysterem ex decocto veronicæ aut chamomillæ in lacte, vel leni quodam laxante. Deinde, facta Venæ sectione sanguinis qualitas vitiosa est corrigenda: & quidem si orgasmus sive æstus percipitur in ægro, absorbentia citrata, nitrosa cum cinnabarinis mixta, inprimis pulvis temperans noster, & lenia acidula ipsi opponantur. Sin vero ob sanguinem viscidum suppressæ, eadem, quæ in mensibus suppressis N. IX. hujus capitis ad sanguinem digerendum atque attenuandum commendata sunt, hic quoque usurpanda. Denique vero, *postquam humores correcti sunt, opera danda, ut lenibus stimulantibus sive pellentibus fluxus revocetur*; ubi primo interne omnia eadem prosunt, quæ ad menses pellendos supra §. 8. & 9. laudavimus: & speciatim omnia medicamenta ex aloe, myrrha, croco, & helleboro nigro parata, ut Essentiæ eorum, Elixir. proprietatis, Essentia succini, pilulæ Francofurtenses, Immanuelis, Becherianæ & Stählianæ & similes; item succinum

Hæmorrhoidum suppressio.

cum borace, & vina medicata laxantia; quibus vero, si æstus percipiatur, temperantia subinde, præsertim vesperi, sunt interponenda.

XVIII.

Externe quid faciendum.

Externe conducunt *suppositoria* ex aloe & myrrha, ut & enemata acriora, fricationes ani frequentes pannis asperis, vel foliis ficus, pediluvia & insessus sæpe adhibiti, ac denique, his omnibus irritis, aut ubi periculum in mora, *hirudines* ano applicatæ, utpote hic quam efficacissimæ.

Motus corporis, præsertim equitatio, aut vectio in curru, *vinum* etiam generosum *paulo largius subinde assumtum*, ad hunc fluxum restituendum magnæ quoque sunt virtutis. E contrario ab *abusu pellentium fortiorum internorum*, præsertim ubi obstructio ab adstringentibus orta est, sedulo cavendum, ne sanguinem nimis commovendo graviora mala excitent: quemadmodum in mensium obstructione quoque jam indicavimus.

Fluxu autem restituto, sibique aliquamdiu relicto, exhibenda sunt lenia roborantia, ut tincturæ martiales variæ, cydoniata, scilicet, pomata, Ludovici, Zwoelferi, &c. vel Mixtura roborans ex spiritu C. C. & tinctura tartari, vel Essent. millefolii, ejusque infusum modice postea aliquamdiu usurpata egregie conducunt.

XIXi

Si hæmorrhoides nunquã fluxerũt.

In illis, ubi *hæmorrhoides nunquam fluxerunt & tamen symptomata adsunt hæmorrhoidum metuendarum*, sive *molimina*, ut vocant *hæmorrhoidum*, ut *hæmorrhoides cœcæ*, dolores ani & circa os sacrum, eæ, meo quidem judicio, non facile promovendæ aut excitandæ, ut multi volunt, nisi graves forte causæ id exigant: quia postea, præter morbi spurcitiem & molestiam, ab earum fortuita obstructione, innumera facile mala oriuntur. Quapropter in leviori adhuc casu præstat ægro prius, præmissa Venæ sectione in brachio,

chio, laboriosum frequentemque *corporis motum* cum *diæta parca*, *tenui*, ac *refrigerante*, sedulo commendare, ita sæpe illa symptomata transeunt. Vel si his uti nolit, aut ob vitæ genus non possit, aut etiam hæc non sufficere videantur, vel malum jam sit gravius, primo frequens *usus pulverum temperantium*, ac deinde *sanguinis missio*, adhibenda; quæ deinceps subinde, præsertim circa æquinoctia, aut si opus est, *sæpius*, *præsertim in brachio* est iteranda; vel etiam in quibusdam *scarificationes* illarum loco substituendæ aut interponendæ sunt; ita enim, plethora atque ebullitione sanguinis imminutis, & hæmorrhoides præcaveri, & symptomata inde oriunda minori molestia ac periculo curari possunt, cum primis si moderatam & convenientem victus rationem æger simul probe observet.

Monita practica.

1. In omnibus hæmorrhagiis obstructis, *præsertim mensibus ac hæmorrhoidibus*, *prudenti Medico*, *ad fortissima pellentia non facile progrediendum*, & inprimis a majori ipsorum dosi abstinendum: quia ob vehementiam, quæ in insigni acrimonia & calore consistere videtur, facile nimium sanguinis motum, æstum, inflammationes, hæmoptyses, vomitum aut mictum cruentum, inducunt, immo subinde ipsam apoplexiam.

2. Hinc *si hi fluxus moderatis pellentibus restitui non possunt*, præstat sæpius, præsertim in tenerioribus, a curatione abstinere, & naturam sibi aliquamdiu, præsertim si nihil urgeat, relinquere, quam intempestivo pellentium fortiorum abusu ægris noxam inferre. Observandum enim est salutare illud axioma medicum:

Si prodesse non possis, cave, ne noceas.

3. *Si in lochiis suppressis fortiora pellentia adhibentur*, febres periculosissima acutas, & *inprimis miliarem sive purpuratam*, puerperis sępe ac facile concitare solent: unde pleręque pereunt.

4. *Sanguinis tamen detractiones in hæmorrhagiis quibuscunque suppressis*, præsertim pertinacioribus, aut ubi periculum inde metuendum, *præstantissima* & sępe maxime *necessaria sunt remedia*, *fortioribusque pellentibus longe præferenda*: atque si malum non omnino tollunt, levius tamen ac tolerabilius illud ut plurimum reddunt, ut postea aliis idoneis remediis tanto facilius curari queat.

CAPUT X.

De Congestionibus, & Doloribus.

I.

Congestiones quid.

MOrbi, qui congestiones dicuntur, sunt morbi, in quibus sanguis, vel serum in certis partibus *vel ob earum imbecillitatem*, vel *ob humorum in corpore abundantiam*, vel *ob ejus crassitudinem*, vel *propter varias has causas simul*, copiosius, quam par est, sensim congeritur sive accumulatur, dum minus refluit, quam influit: ut inde molestiæ, tensiones, spasmi, tumores vel dolores in his partibus concitentur, eique sæpe vehementissimi, qui pro varietate partium varios morbos producunt. Quando vero partium tonus sive earum vis motrix nondum nimis destructus est, a congestis humoribus irritantur, ob fabricam suam elasticam artificiosissimam renituntur, spasmodice constringuntur, atque hoc mirabili artificio eos propellere vel ejicere conantur, idque vel per sanguineam vel serosam quandam excretionem. Quod ubi a natura obtinetur, malum

lum plerumque cessat, vel saltem minuitur; sed si ob quęcumque impedimenta hæc ejiciendi molimina non succedunt, fibræ partium nerveę nimis tensę, dolores, spasmos, ita dictos catarrhos, sępe etiam tumores, & omnis generis affectus dolorificos, arthriticosque producunt; qui vero sæpius tandem in partium debilitates & quandoque nervorum resolutiones sive paralyticos affectus desinunt, nisi in tempore rite curentur. [*a*].

II.

Differentia.

Differunt vero congestiones vel 1. *ratione loci*: modo enim fiunt *in capite*, unde dolores & gravitates capitis, dolores & inflammationes oculorum, aurium, dentium, faucium, vertigo, morbi soporosi & apoplectici, &c. proveniunt; modo in *thorace*, unde angustia pręcordiorum, difficilis respiratio, palpitatio cordis, hęmoptysis; modo *in collo*; modo *in abdomine*, ut in hepate, liene, [unde congestiones, inflammationes & abscessus in his partibus, itemque malum hypochondriacum & hystericum] renibus, vasis venę portę, & pręcipue vasis hęmorrhoidalibus, unde *hæmorrhoides cœcæ & dolentes*, dolores lumborum, malum ischiaticum, & in mulieribus malum hystericum; *modo in artubus*, unde *arthritici dolores*, *rheumatismi*, *podagra*, *chiragra & gonagra*, atque que *œdemata* pedum, &c. proveniunt.

Vel 2. differunt *ratione ætatis*: in junioribus enim, experientia teste, congestiones ut plurimum contingunt *in capite*, ubi sanguis noxius ob agilitatem partiumque vigorem superiora petit, per nares exitum quęrere & hęmorrhagiam narium in-

---

(*a*) *Stabliani* hæc omnia prudenti animæ directioni adscribunt; quam vero probare nequeunt; melius autem ex mechanicis rationibus explicari potest.

intendere videtur: unde facile in his oriuntur *cephalalgia*, *coryza*, *ophthalmia*, *odontalgia*, *otalgia*, aliaque aurium vitia, ut & faucium tumores, nisi fluxus sanguinis per nares eos ab his malis præservet. In *ætate media pectus præcipue afficiunt*, & evacuationem sanguinis in pulmonibus quærunt; qui si ob caussam quamcumque exitum non invenit, *tussim*, *dyspnœam*, *asthmata*, *pleuritidem*, *vomicam*, *aut phthisin producit*; in *senioribus* vero congestiones in *abdomine* & *articulis* maxime contingunt, ubi sanguis nimius exitum per intestinum rectum vel vias urinæ affectat, & hæmorrhoidum fluxum vel mictum cruentum molitur, unde affectus catarrhales, vulgo *catarrhi frigidi dicti in lumbis & coxis*, *podagra*, *arthritis*, *rheumatismus*, *lumbago*, *ischiaticum*, *hypochondriacum*, *hæmorrhoidale*, *& in feminino sexu hystericum malum*, &c. ortum sæpe ducunt.

III.

Caussa. Caussa earum ut plurimum est *abundantia sanguinis aut seri*, *sive plethora*, hujusque caussæ omnes, ut *diæta lauta*, *vita otiosa*, evacuationes naturales sanguinis suppressæ, aut artificiales neglectæ, refrigeratio & transpiratio suppressa, itemque animi affectus vehementiores, & cumprimis quoque partis læsæ debilitas.

IV.

Prognosis. Congestionibus sæpe succedunt obstructiones, perfectæ stagnationes, dolores, inflammationes, suppurationes, abscessus, œdemata, corruptionesque plurimæ, unde pro partis varietate varia & quamplurima in quavis parte mala proveniunt, & quando inveteratæ sunt, ob tonum partium a distensione diuturna læsum, difficulter sæpe curantur, aut tamen levi de caussa revertuntur. Si regimine & medicamenris calidioribus, aut opiatis sive narcoticis, præsertim præmature, tractantur, periculosissimos sæpe morbos

bos inducunt. *Congestiones pectoris & capitis* reliquis ut plurimum *sunt periculosiores* : quia illæ facile hæmoptysin, peripneumoniam, vomicam, phthisin, inflammationem, asthma, catarrhum suffocativum, aut suffocationem; hæ autem haud raro apoplexiam & paralysin sensuumque morbos inferunt. Sic & eæ, quæ ætate incongrua contingunt, perquam mali quoque solent esse moris.

V.

Curatio generalis.

Quod ad curationem attinet, distinguendum erit *tempus paroxysmi*, sive quando ægri ipsis his morbis correpti sunt, & tempus, quo ab his morbis liberi sunt, atque de præservatione eorum cogitant, quia ob partes debilitatas facile eisdem morbis rursus corripiuntur, atque sic sæpe inde ægrotant. Igitur in *paroxysmo* horum morborum generatim conducunt ea, quæ congestum serum & sanguinem partim a loco affecto abducunt & revellunt, partim resolvunt atque in naturalem motum redigunt : qualia sunt, 1. in plethoricis & calidioribus sanguinis missio : quæ vero in frigidioribus aut serosis in paroxysmo sæpe plus nocet, quam prodest. 2. quæ alvum leniter ducunt, quemadmodum *blanda laxantia* : sicuti sunt pilulæ tartareæ, pilulæ francofurtenses, balsamicæ, Beccheri, Stahlii, aliæve similes, vel de succino Cratonis : quæ in robustioribus aliquot granis resinæ jalapæ, diagrydii, aut extr. hellebori nigri, acui possunt; aut potiunculæ vel pulveres laxantes, &c. vel horum loco quandoque clysteres emollientes substitui possunt. 3. *pulveres diaphoretici*, ex absorbentibus citratis, salibus mediis cinnabarinis, nitrosis & antimoniatis, sæpius per diem exhibiti; quibus, *ubi dolores sunt vehementiores*, aut pertinaciores, & prædicta non sufficiunt, nocturno tempore, anodyna, moderata dosi, ut laudanum opiatum, vel mp. de styrace

vel

vel de cynoglosso, itemque emulsiones anodynæ jungenda sunt.

4. *Essentiæ diaphoreticæ*, ut scordii, succini, pimpinellæ albæ, lignorum, helen. aristoloch. rot. Mixt. simpl. tinctura bezoard. matutino præsertim tempore in lecto, cum infusis aqueis calidis, expectato deinde blando sudore, ac postea servato temperato victus regimine, interponendæ; nimis volatilia vero & calidiora fugienda.

VI.

Præservatio generalis.

Extra paroxysmum præservationis gratia *Venæ sectiones* circa æquinoctia, vel sæpius adhuc in valde sanguineis institutæ & postea constanter repetitæ, itemque in nonnullis *scarificationes* certis temporibus interjectæ, maximi sunt usus, quibus vero *laxantia* lenia vel præmittantur, vel subjungantur: ut sunt vina medicata, aut infusa laxantia, aut pilulæ leniores quæcunque modo §. V. & alias jam sæpius indicatæ, vel & salia amara cathartica, aut aquæ medicatæ leniter purgantes. In paroxysmo vero, ut supra jam dictum est, sanguinis missiones, nisi in valde sanguineis & calidis, aut ubi alia peculiaris ratio eas urgeat, haud facile adhibendæ.

Victus denique ratio in his morbis *magnæ est utilitatis*, potissimum vero opus est, ut ægri hi *parce edant*, a nimia satietate sibi caveant, impigri sint ad motum, affectus animi moderentur, & sufficienti potu tenui utantur; a crasso vero ac spirituoso & præsertim nimia ejus copia sibi caveant. Vitent quoque *medicamenta calidiora* & volatilia, regimenque nimis calidum aut valde coactum; corpus tamen contra frigus probe semper muniant; & in statu temperato conservent, ne transpiratio facile lædatur; nam frigus eis ut plurimum est noxium.

Fricationes corporis, præsertim pedum, itemque *pediluvia* temperata subinde adhibita, in his

affe-

affectibus magnæ quoque sunt utilitatis. *Ita* vero, *tristitia*, *mœror*, *intemperantia* in victu ac venere, desidia, nimiæ curæ ac solicitudines, itemque studia nimia, præsertim severiora, aut diutius protracta fugiantur.

VII.

De Capitis dolore.

Cephalalgia.

Speciatim vero jam considerabimus, quid in præcipuis congestionum ac dolorum speciebus, præter methodum generalem, agendum sit, incipiendo a capite, ubi CEPHALALGIA primum occurrit, utpote quæ sæpissime a congestione sanguinis in cerebro oritur, & sæpe cum tinnitu aurium vel gravitatis sensu, quandoque cum vertigine aliisve malis conjuncta est.

VIII.

Ejus curatio.

In *curatione* ejus præ omnibus alvus, si adstricta est, conveniente evacuante, quale ex N. V. vel VI. peti potest, solvatur: postea laudati pulveres, essentiæ & infusa diaphoretica ac resolventia N. V., proposita ibidem methodo adhibeantur. Externe spiritus vini, camphoratus, crocatus fronti calide applicatus, vel temporibus & vertici largiter illitus, hosce dolores brevi subinde, maxime si interna præmissa sunt, digerit & discutit.

IX.

In aliis, præsertim qui *calidioris sunt temperamenti*, egregie sæpe prodest unguentum alabastrinum temporibus illitum. *Pediluvia* quoque temperata & frictiones pedum revellendi & resolvendi fine hic egregia sunt. Si *menses vel hæmorrhoides suppressi*, convenientibus remediis capite præcedenti indicatis, revocandi erunt, ubi *Venæ* Se-

Sectio in pede ut plurimum valde egregia. *Parca diæta & frequens corporis motus* magis hic prosunt tam præservandi quam curandi scopo, quam ingens sæpe medicamentorum farrago. *Salia volatilia*, spirituosa suaveolentia sive fragrantia, & balsama cephalica sive apoplectica vulgo dicta, *quæ naribus hic admoveri & a multis valde commendari solent*, multis adversa sunt, caputque turbando sæpe plus nocent, quam prosunt, præsertim frequentius aut immoderatius adhibita. *Idem de oleis destillatis*, præsertim succini & similibus intelligendum. *In plethoricis* aut in iis, *in quibus hæmorrhagiæ consuetæ suppressæ*, si prædicta medicamenta parum sunt, sanguis mittatur, isque in larga satis copia, ac præsertim in pede; in junioribus vero sanguinis missio rarius est necessaria, neque etiam in his nimis cito instituenda, nisi magna eam requirat necessitas. Si *cephalalgia ab hæmorrhoidibus suppressis* oriatur, præter modo dicta, *hirudines* ano applicatæ, utilissimæ sunt.

X.

De Otalgia.

Otalgia atque aurium affectus.

Otalgia, *tinnitus aurium & auditus difficilis* eandem agnoscunt caussam: (nisi forte ab externa læsione orta sint) hinc in *Otalgia*, quæ sæpe inflammationem habet comitem, interne eadem conveniunt evacuantia, diaphoretica resolventia, diluentia, quæ in cephalalgia N. VIII. laudata sunt. Externe Spiritus vini camphoratus, præsertim crocatus, calide ad aliquot guttas cum gossypio auri imponatur, & post aures etiam illinatur, qui in otalgia potentissime resolvit, atque sic metuendam suppurationem & ulcus auris sæpissime impedit. Vel Oleum *amygdalarum amara-*

ra-

rarum cum pauca camphora goſſypio vel linteo carpto eodem modo adhibitum, ſuper impoſito in uſu utriuſque *ſacculo calido* ex herbis reſolventibus, ut rad. irid. Florent. herb. ſalviæ, pulegii, ſerpilli, origani, flor. chamomillæ, ſem. carvi, fœniculi, cum camphora. In ſanguineis etiam miſſio ſanguinis ut plurimum neceſſaria eſt. Quando *vero his congeſtio aut inflammatio reſolvi nequit*, & ad ſuppurationem ſpectat, *cataplaſma leniens* & *emolliens, ex mica panis cum lacte & croco* coctum, vel *cepæ ſub cineribus aſſatæ*, aliave ſimilia calide ſępius admovenda, donec ſponte rumpatur; vel *ſi abſceſſus oculis patet*, ſcalpello aperiri queat. *Pediluvia* quoque & frictiones pedum hic etiam valde proſunt. *Præſervandi fine* eadem, quæ in cephalalgia aliave quacunque congeſtione pręſervanda N. VI. hujus capitis laudavimus, hic quoque conducunt.

X I.

Ee Tinnitu & ſuſurro aurium.

Tinnitus aurium.

In Tinnitu & ſuſurro aurium revellendi ſcopo primo alvus ducenda, deinde pulveres temperantes diaphoretici, & Eſſentię reſolventes, vulgo *anticatarrhales* dictę, ut ſuccini, lignor. roſmarini, diaphoretica, alexipharmaca, &c. aliquoties in die exhibeantur, eiſque infuſum Theę, veronicę vel betonicę cum flor. roſmarini, ſalvię aut lavendulæ & lign. ſaſſafr. interponatur: & quidem ita, ut matutino tempore & circa meridiem Eſſentiæ, circa veſperam vero & noctu pulveres laudati interne uſurpentur.

EXTERNE Eſſent. ſuccin. vel ſola vel cum caſtor. cum paucis guttis olei ſuccini vel chamomillæ remixta, ad guttas j. vel ij. tepide cum

goſſy-

gossypio mane & vesperi auri immittatur. Vel *ambra* & *moschus* vel *castoreum* ad gr. j. vel ij. in gossypio, vel etiam solum balsamum Peruvianum; vel olea carminativa, ut anisi, foeniculi, carvi aut chamomillæ, eodem modo usurpata, multis egregie prosunt: non neglectis *pediluviis* & *fricationibus pedum* ac *capitis* frequentibus. *Vapor decocti florum lavendulæ vel rosmarini* cum vino facti, auri per infundibulum admissus, multis etiam optime hic profuit. Quo pertinacior vero aut magis inveteratus est hic affectus, eo magis ac potissimum in plethoricis *V. S.* præsertim in *pede*, interpositæ *scarificationes* & repetita *purgantia* ad revellendum & utilia & necessaria sunt.

XII.

De Auditu difficili.

Auditus difficilis. In *auditu difficili* eadem fere curandi ratio optima est: speciatim vero, præter modo recensita valde hic conducit ℞. Sal vol. CC. ℈j. medull. castor. optim. gr. vi. ol. succin. gutt. ij. M. F. massa, de qua lentis aut pisi magnitudo cum gossypio mane & vesperi auri applicetur. vel

℞. Ess. succin. ʒj.
castor. ʒß.
ol. dis. chamomill. ℈ß.
succin. gutt. j. M. & cum gossypio tepide bis vel ter quotidie adhibeatur.

Si a mensium fluxu suppresso, sicuti apud mulieres aut puellas sæpe contingit, hæc mala oriantur, debitis remediis ac diæta hic restituendus & in ordine conservandus. Si ab hæmorrhoidibus suppressis, hæ revocandæ, vel hirudines ano applicandæ; vel Venæ sectiones ac scarificationes in horum locum substituendæ. Quando ab *obstructio-*

ctione meatus auditorii, ea quæ obstruunt, idoneis instrumentis sunt auferenda. [a]. In *senibus* quibus sæpe ob virium debilitatem auditus læditur, itemque in malo valde inveterato, vel connato aut hæreditario, aut ubi externa læsio, ut tympanum ruptum, morbum inducit, medicamentis ut plurimum nihil efficitur; interea tamen senibus ac debilibus roborantia, cephalica & ambrata pro capite & viribus roborandis hic sæpe conveniunt. Interdum tamen post multos annos auditum amissum sponte sine medicamentis & ex improviso nonnullis rediisse aliquoties expertus sum: adeoque non mox desperandum. *Sanguinis missiones*, *scarificationes* & *purgantia* subinde usurpata, atque ordinata ac moderata diæta, vitando abusum vini aliorumque inebriantium, cum motu frequenti, itemque *aquæ medicatæ* æstivo tempore legitime haustæ, tam *ad præcavenda*, *quam ad sananda hæ aurium vitia* quam plurimum, immo sæpe plus conferunt, quam omnia quævis alia medicamenta, ut in me ipso sæpe edoctus sum, qui ultra viginti annos per intervalla his malis conflictatus fui.

XIII.

Odontalgia.

ODONTALGIA vel post dentis erosionem, per quam acria ex alimentis vel aer in cavum dentis irruunt, ejusque membranam internam & nervum afficiunt; vel a congestione sanguinis circa dentium etiam sanorum radices & alveolos oritur. Illa vix constanter tollitur, nisi dens erosus sive

Odontalgia.

(a) Qua de re conf. Instit. chirurg. nostræ.

sive vitiosus manu chirurgica, si tuto id fieri possit, evellatur, vel acidis mineralibus erodatur. Sopitur tamen quoque sæpe vel applicata provide guttula una vel altera aquæ fortis aut spiritus vitrioli in cavum dentis erosi, vel *olei piperis*, *caryophyllorum*, aut *ligni quaiaci*, vel per se ope penicilli immissi, vel cum opio & camphora in forma pilulæ denti cavo intrusi, & subinde, si dolor non cedit, repetiti. Quandoque egregie prodest Essentia succini vel ligni quaiaci, vel nitri portiuncula denti immissa, præsertim si interna mox laudanda simul adhibeantur; vel si hæc parum proficiant, tollitur sæpe *apto ferro candente*, denti cavo admoto: & ne malum facile redeat, *cavum dentis cera*, *mastiche*, *plumbo* vel *auro*, si fieri possit, *apte repleatur*, quo ingressus peregrinorum avertatur.

XIV.

Ubi vero dens non erosus, ibi ad sanguinis congestionem, tanquam caussam primariam, resolvendam & orgasmum temperandum, *pulveres temperantes*, *diaphoretici*, *antispasmodici*, ex tartaro vitriolato, nitro & cinnabari, ex aquis diaphoreticis, singula hora vel bihorio, exhibeantur, corpus ab aere & frigore præservetur, atque infusum Theæ cum ligno sassafras vel quaiaco sæpius sorbilletur, sic intra aliquot horas his dolores sæpe superavi. Interea tamen simul *decoctum florum chamomill. cum lacte* paratum calide subinde in ore detineatur, & sacculi ex herbis resolventibus, præsertim chamomilla, cum vel sine camphora, genis imponantur. In valde plethoricis, aut ubi consuetæ sanguinis evacuationes neglectæ vel suppressæ, *sanguinis missio* egregie prodest. Præter antea laudata, *sal anglicanum* vel *catharcticum amarum* in ore detentum & sensim liquefactum congestiones has sæpe solvere & dolores hos quoque haud raro sedare solet. Nonnullos ab hoc dolore liberat, si dentes *ligni frustulo*, *fulmine tacti*, vel *e cœmiterio deprom-*

pti

pti aliquamdiu fricent, & cumprimis donec gingivæ aliquid ſanguinis fundunt, &c. Si his non cedat, id quod tamen plerumque fieri ſolet, verſus noctem lenia opiata prædictis pulveribus antiſpaſmodicis admiſceantur: mane vero, revulſionis gratia, *idoneum purgans* exhibeatur, & poſtea Eſſentia ſuccini cum Eſſentia pimpinellæ remixta, pulveribus illis interponatur. *Genæ dolenti exterius & ſpiritus vini camphoratus* cum fructu tepide applicatur, præſertim ſi deinde prædictus ſacculus ex floribus chamomillæ, vel ex farina & camphora calide superimponatur. *Uſtio antitragi auris*, ſæpius, ut varii autores teſtantur, pertinaciorem odontalgiam ſubito ſuſtulit, id quod tamen non ſemper præſtat; itemque *Veſicatorium* vel ex cantharidibus vel raſura radicis armoraciæ flexuræ cubiti in latere affecto applicatum. *Alvus in hoc morbo ſemper aperta*, quantum fieri poteſt, ſervetur, & non facile dens integer, ob varia inde metuenda mala, evellatur. *In declinatione* parum tincturæ odontalgicæ Mynſichti, Wedelii, Laccæ vel Eſſent. ligni quaiaci, ore ſubinde detentum egregie prodeſt diſſipando, gingivamque laxam roborando, ne tam facile redeat.

XV.

De Vertigine.

VERTIGO ſæpe a congeſtione ſanguinis in capite *apud plethoricos* oritur, vel apud eos, qui evacuationes ſanguinis artificiales conſuetas omiſerunt, vel in quibus conſuetæ ſanguinis evacuationes ſpontaneæ ſubſtiterunt, vel & in eis, *qui multis ſtudiis caput valde debilitarunt*, haud raro tamen *etiam a cruditatibus*, aut pravis humoribus, præſertim bilioſis, *ab ira prægreſſa* aliave de

Vertigo.

 cauſ-

caussa in ventriculo hærentibus. Si *a priori caussa*, evacuantia, laxantia, Venæ sectio in pede, pediluvia, pulveresque resolventes, temperantes, cinnabarini, nitrosi, una cum infuso herbæ Theæ vel Betonicæ, curationem ut plurimum absolvunt. Sed si *suppressiones fluxus consueti sanguinis* in caussa hi, si fieri potest, modo in capite IX. §. 4. & seq. proposito, restituendi sunt. Sin vero hoc fieri non possit, missiones sanguinis in locum eorum substituendæ. *Externe* Spiritus vini camphoratus vel solus, vel cum spiritu cornu cervi mixtus, vertici & temporibus sæpe illinatur; naribus vero aqua Reginæ Hungariæ vel Anhaltina, vel spiritus lavendulæ, aliusve similis, cum vel sine sale volatili oleoso, aut spiritu C. C. subinde admoveatur. Idem faciendum externe, *si a nimiis studiis malum ortum traxit*: ubi vero simul moderatio in studiis probe observanda, cum modica diæta & motu frequenti; *haustulus quoque vini in pastu præsertim*, aliaque roborantia modice usurpata, optime conducunt. A nimiis vero volatilibus & fragrantibus spiritibus, aut balsamis ita dictis cephalicis & apoplecticis externe adhibitis multi eruditorum magis læduntur; hinc caute hæc tentanda.

Si vertigo a cruditatibus ventriculi ortum ducat, hæ per digestiva sive salia media primum præparentur ac solvantur, & deinde vel per os vomitu, vel si quid vomitum vetat, per alvum evacuentur. Postea stomachica roborantia, cephalica, usus modicus vini generosi in pastu, pro ventriculo & cerebro roborandis, motus sive exercitatio corporis, & diæta parca atque aromatica subjungantur. *Usus aquarum Pyrmontanarum* aliarumque ejusmodi martialium hic quoque egregie benefacit.

XVI.

De Phthisi.

PHTHISIS, sive ulcus pulmonis cum tabe, *Phthisis.* tussi, rejectione materiæ purulentæ & non raro sanguinolentæ, febri hectica, spirandi difficultate; vel prægressa hemoptysi; vel a congestione & suppuratione sanguinis in pulmonibus oritur; quæ, si perfecta & inveterata, vix unquam; incipiens quidem interdum, attamen raro & difficulter curatur. Indicationes primariæ hic sunt: ulcus mundare & consolidare, congestiones resolvere & avellere, tussim & febrem moderari, & vires conservare.

Igitur *præmissis* & subinde repetitis *lenibus laxantibus*, præsertim ex tamarindis, foliis sennæ & manna paratis, vel magnesia alba aut rhabarbaro pro affluxu nimio a pectore revellendo, maxime conducunt, 1. *Infusa & decocta ex radicis & herbis pectoralibus*, temperatis expectorantibus, resolventibus atque traumaticis: ut radic. liquirit. malvæ, chinæ, cichorii, pimpinellæ, irid. Florent. helenii, herbis veronicæ, scabios. capilli veneris, hyssopi, pulmonariæ, tussilaginis, virgæ aureæ, solidaginis saracenicæ, &c. cum passulis, dactylis, jujubis & ficubus; vel spec. pectoral. dispensatorii Brandenburgici vel Augustanorum, cum herbis pectoralibus prædictis, vel species nostræ pectorales, bis aut ter in die, ut infusum Theæ; usurpata. 2. *Salina resolventia*, abstergentia, & temperantia, ut tartarus vitriolatus, & lapides cancrorum vel conchæ succo limonum vel citri saturati, &c. cum pauco nitro ex aquis pectoralibus bis in die, & potissimum vesperi assumta. 3. *Blandissima balsamica* hic subjungantur;

ut Elixir. pectorale Wedelii ad guttas xxx. vel xl., vel balsamum peruvianum, aut balsamum de Mecha, aut opobalsamum in forma eleosacchari, sed parcissima copia, ne febrem augeant; id quod etiam observandum in usu balsam. Locatelli vel Meimobii. Tutius vero 4. interponuntur *Gelatilæ* ex C. C. & ebore paratę, itemque *emulsiones temperantes* & *roborantes* ex amygdalis cum pistaceis, pineis & semine papaveris albi. 5. *Contra tussis vehementiam*, si emulsio non sufficit, *lene opiatum* circa vesperam cum lapidibus cancrorum citratis aut pulvere temperante quandoque exhibeatur, ut massa pilul. de styrace, vel de cynoglosso a gr. ij. iij. ad v. vel laudani opinati gr. j. Quidam cum STAHLIO hic valde laudant *extractum tabaci* longiori coctione paratum ad gr. iij. vel iv. mane in lecto assumtum. 6. *Pediluvia tepida* sępe revellendi caussa cum fructu adhiberi possunt. 7. Circa ęquinoctia, immo in nonnullis sępius, *larga Venæ sectio*, si vires permittunt, in pede instituatur. 8. *Usus chærefolii* in cibis sit frequens; *salita*, vero, *spirituosa*, nimis *calefacientia* & *acida*, pręsertim ex *mineralibus* parata, nocent. 9. Ubi *phthisis in sexu muliebri*, *a mensium suppressione* oritur, hi restituendi sunt, aut si in puellis junioribus nondum apparuerunt, eorum proventus, modo supra Cap. IX. §. VIII. proposito, promovendus, quorum beneficio fit, ut plures feminæ a phthisi & hectica curentur quam viri. 10. *Quando ægri tales post usum ejusmodi remediorum melius se habent*, & ambulare rursus possunt, medicamentis continuo non sunt obruendi; sed sufficit tunc aliquandiu, *bona ac parca diœta & motus frequens*, sed moderatus, ambulando, equitando, curru vehendo; quandoque tamen infusum quoddam pectorale loco Theæ cum aliquot guttulis Elixirii vel Essentiæ cujusdam pectoralis, verb. grat, ex

ex-

extracto veronicæ, in aqua pectorali soluto, mane apte adhiberi potest; vesperi vero *pulveris temperantis* ℈j. vel ʒß., cum vel sine china, præsertim quando forte calorem paullo auctiorem sentiant, donec forte nova mala, nova rursus remedia desiderent: sic prædicto regimine plus sæpe efficitur, quam continua aut ingenti medicamentorum farragine. Conducit etiam egregie alvum vel victu idoneo vel lenibus remediis semper servare laxam, nisi per se respondeat.

11. *Aquæ Emsenses & Selterenses*, præmissis laxantibus, præsertim *cum tertia vel quarta parte lactis* quotidie mane per aliquot hebdomades calide haustæ, multis in malo recenti vel saltem non adeo vehementi, egregie profuere, præsertim si ambulare adhuc possunt; aquæ martiales, ut *Pyrmontanæ*, *Egranæ*, *Swalbacenses*, *Spadanæ*, &c. phthisicis huc usque quidem a plerisque funestæ habitæ fuerunt; attamen observationes recentiores me aliosque docuerunt, quod in malo recenti aut leviori iis tuto & cum fructu etiam uti queant, si modo tepide & modice bibantur; frigidæ vero, ob frigus pectori inimicum nocent. Cura denique ita *dicta lactea*, præsertim lactis asinini, vel caprilli, vel seri lactis, itemque lactis ebutyrati quandoque valde etiam nonnullis conducit, si diu satis cum bona diæta & corpore rite præparato, continuatur. Eadem fere methodus medendi, omissis balsamicis, optima quoque est *in hectica, quæ sine ulcere pulmonis est*, vel etiam *cum ulcere renum* conjuncta.

XVII.

De Vomica, & Empyemate.

Vomica & empyema.

In VOMICA pulmonum eodem fere modo curatio

ratio quoque est instituenda; inprimis vero per infusa vel decocta expectorantia atque traumatica cætera remedia antea laudata, ulcus abstergendum, mundandum & consolidandum interpositis subinde *lenibus alvum ducentibus*, *præsertim ex manna paratis*, *vel ex magnesia alba*, ad affluxum ad pectus avertendum, Venaque in plethoricis in pede idoneo tempore secanda. Reliquum per laudata decocta pectoralia, blanda *balsamica*, & bonam victus rationem perficitur, vel & per *aquas medicatas* §. XVI. cum lacte.

EMPYEMA sine matura incisione sive paracentesi thoracis curari non potest; [de qua vid. Institut. nostr. chirurgic.] interne iisdem adhibitis, quæ in phthisi & vomica modo commendavimus.

XVIII.

Malum Hypochondriacum.

Malum hypochondriacum.

Malum hypochondriacum plerumque consistit in congestione sanguinis abundantis & spissioris in hypochondriis, sive in visceribus cum Vena portæ communicantibus: unde in eis stagnationes, distensiones, molestiæ, dolores, spasmi, flatus, obstructiones alvi, animi morositas, tristitia & ipsa sæpe melancholia, cum variis aliis miris atque inexplicabilibus subinde symptomatibus, oriuntur, ubi sanguis abundans in vasis venæ portæ & cumprimis hæmorrhoidalibus congestus, prædicta symptomata inducit, maxime si per vasa hæmorrhoidalia exitum invenire non potest.

XIX.

Cura in paroxysmo.

Quod ad *curationem* hujus morbi attinet, in *paroxysmo*, nisi alvus jam sit aperta, enemate aperiatur emolliente, vel leni purgante, præsertim salino,

no, ex ſale amaro catharctico, anglico vel bohemico, eodemque, quoties diutius, quam par eſt, obſtructa eſt, aperta ſervetur. *Deinde ad humores viſcidos reſolvendos*, & ſymptomata minuenda ſalia media digerentia ſive *digeſtiva* dicta, ut tartarus vitriolatus, tartarus tartariſatus, arcanum duplicatum, nitrum antimoniatum, vel ſal abſinthii cum cinnabari & lapidibus cancrorum acido tartari vel citri ſaturatis, vel pulvis temperans noſter, quotidie ter quaterve ex aquis idoneis exhibeantur; vel etiam liquor terræ foliatæ tartari a guttis xl. ad lx. mane cum infuſo Theæ aliove ſimili, propinetur, atque aliquamdiu cum parca diæta, potu tenui, ſufficiente, & exercitatione corporis continuetur. Quæ vero ſi non ſufficiant, ad paroxyſmum minuendum, *Eſſentia millefolii vel adianthi albi*, horumque *decoctum* ſive *infuſum* ad modum Theæ prudenter exhibeantur, ita brevi plerumque magnum ægri levamen percipiunt.

X X.

Extra paroxyſmum.

Extra vero paroxyſmum, vel in malo graviori, etiam in paroxyſmo aut eo ſaltem aliquomodo remittente, 1. Quantitas ſanguinis craſſi eſt imminuenda per Venæ ſectionem, præſertim in pede, quæ deinde circa æquinoctia, vel in valde ſanguineis, ſæpius repetenda. Vel utiliſſime etiam hic ſanguinis quantitas, natura ſæpe cum ſucceſſu monſtrante viam, imminuitur *per hirudines* ano applicatas, in primis quando æger jam antea forte hæmorrhoidibus laboravit, vel dolores circa lumbos & os ſacrum percipit. 2. *Sanguis viſcidus & ſpiſſus eſt attenuandus*: quod optime fit primo idonea *diæta*, ut cibo parciori, tenui & facilis digeſtionis, potu diluente ſufficienti, & motu frequenti, ſed moderato, *quæ optima ſunt hypochondriacorum remedia*. Quibus tamen addi poſſunt *pulveres & infuſa* ex vegetabilibus, præſertim radici-

dicibus & herbis incidentibus atque attenuantibus, ut radicibus iridis Florentinæ, cichorei, caryophyllatæ, taraxaci, pimpinell. alb. vincetoxic. apii, ari, &c. herb. fumariæ, scolopendriæ, linguæ cervinæ, hepaticæ, capilli veneris, adianthi albi, card. bened. melissæ, flor. millefolii, cum lenibus aromaticis, ut cinamomo, cassia caryophyllata, cort. culilaban, santalo citrin. schœnanth. aniso stellato, lign. sassafr. &c. Præterea cum his infusis assumi possunt tinct. tartari, tinct. antimonii tartarisata, liquor terræ foliatæ tartari, Essentia corticis aurantiorum, pimpinellæ, scordii, gentian. helen. absinth. & similibus, interpositis, præsertim vesperi, antea laudatis salibus digestivis; quibus vero subinde *lene laxans* vel ex infuso rhabarb. & foliis sennæ, vel ex pilulis gummosis *Sylvii*, tartareis *Bontii* vel *Quercetani*, vel *Beccheri*, polychrestis nostris, aut Sal Anglicanum, vel amarum catharcticum, apta dosi, quando res sic postulat, interponendum.

XXI.

Symptomatibus gravioribus sic debellatis, tandem, ad *tonum* partium denuo *roborandum*, lenia martialia, ut tinctura vitrioli martis, tinctura martis cydoniata, vel mixtura ex spiritu C. C. & tinctura tartari, vel etiam crocus martis, vel ipsa limatura martis subtilissima a gran. v. ad VIII. aut cum eleosacchar. ♁. aut cum extractis amaris mane & circa vesperam exhibita, præ omnibus autem fere *aquæ martiales medicatæ*, ut Pyrmontanæ aliæque similes, legitime usurpatæ, hic conducunt. Immo etiam hæc martialia in malo graviori sæpe jam cum successu usurpantur, & apud Germanos valde celebres sunt, nomine *curationum martialium*. (*Stahl-curenn.*)

Præservatio mali hypochondriaci.

XXII.

Præservatio optima hujus mali consistit in parca diæta, potu tenui sufficienti, aquoso, inprimis

mis etiam ſeri lactis, [a] motu frequenti, temperantia in ſtudiis, præſertim lucubrationibus, & Venæ ſectione circa æquinoctia; quæ, qui rite obſervat, non facile malo hypochondriaco rurſus afficietur. In multis etiam *uſus legitimus aquarum medicatarum*, æſtivo præſertim tempore, multo cum fructu quandoque interponi, immo ſæpe præſentibus etiam ſymptomatibus uſurpari poteſt.

XXIII.

De Malo hyſterico.

Malum hyſtericum ſive *paſſio hyſterica* idem fere eſt in mulieribus, quod in viris malum hypochondriacum; ſed illas, tanquam corpora teneriora, vehementius affligit, & ſpeciatim eis ſæpe conſtrictionis pectoris & ſuffocationis ſenſum, (unde & *ſuffocatio uterina* ſive *hyſterica* dicitur) *multos ſpaſmos*, motus convulſivos, (unde *epilepſia uterina*) *anxietates majores*, *nauſeam*, *conatum vomendi*, *vomitum* ipſum aliaque graviora ſymptomata inducit.

Paſſio hyſterica.

XVIV.

Oritur quoque præcipue, ut mihi ſaltem videtur, a congeſtione ſanguinis in abdomine, & ſpeciatim in viſceribus hujus cum vena portæ nexis, exitum per uterum vel vaſa hæmorrhoidalia non invenientis: hinc eadem ſymptomata inducit, eademque fere ac mali hypochondriaci & prognoſis & curatio eſt. *Interdum tamen quoque obſervatur menſibus rite ſe habentibus*, & tunc forte ab humoribus acribus primarum viarum,

Cauſſa.

(a) Hoc etiam ſua experientia confirmat cel. Frid. *Hoff. mann.* Diſſert. de ſeri lactis virtute aliiſque multis in ſcriptis.

viarum, spasmos illos excitantibus, ortum trahere videtur.

XXV.

Curatio in paroxysmo.

In paroxysmo, præsertim ubi sensus strangulationis vel suffocationis, vel motus convulsivi epileptici, vel animi deliquia adsunt, medicamenta fœtida & volatilia, ut spiritus C. C. liquor. C. C. succinat. Essent. castorei, vel ipsum Castoreum, pennæ perdicum, vel frustum corii aut cornu accensum, ad eas excitandas naribus admoveantur, & guttæ aliquot prædictorum spirituum fœtentium vel per se, vel cum liquido quodam aqueo ori infundantur: ubi & vellicationes pilorum, nasi, aurium, atque frictiones pedum ac manuum cum pannis asperis, vel excutiis e setis porcinis confectis, utiliter adhibentur, donec ad se redeant.

XXVI.

Extra paroxysmum.

Extra paroxysmum eodem fere modo ut in malo hypochondriaco, §. XIX. & XX. procedendum; ita tamen ut Essentiis vel pulveribus salinis & cinnabarinis semper aliquid castorei addatur, nisi ægra id forte, ut subinde fit, aversetur. Deinde opera danda, ut mensium fluxus, si adhuc sunt in congrua ætate, restituatur. Sed si non amplius sint in ea ætate, qua menses restitui queant, aut si malum vehementius, Venæ sectio in pede instituatur, & postea Venæ sectiones æquinoctiales, & subinde adhibitas purgationes lenes, præsertim pilulis lenibus uterinis balsamicis, vel sale amaro cathartico præservandi fine non prætermittant, observata simul legitima victus ratione.

XXVII.

Cautela.

Emetica his exhibere, aut purgantia fortiora, summe periculosum esse sæpius observatum est. *Calidiora* quoque medicamenta, Elixiria uterina, olea distillata ejusmodi, itemque salia volatilia oleo-

oleosa valde etiam hic plerumque sunt noxia. *Absorbentia* sive *terrea* ac cretacea medicamenta, nullam quoque his in malis utilitatem afferunt: quia acidum hic vel non peccat, vel saltem caussa præcipua non existit; sic & *martialia* a quibusdam adeo decantata, forte ob vim stypticam & difficilem digestionem etiam hic sæpe vel nihil efficiunt vel omnino nocent, præsertim si non quam cautissime usurpentur; interea tamen quibusdam egregie prosunt, adeoque caute tentanda. Verum *aquæ minerales*, *martiales*, præsertim si prius Venæ sectio in pede præmittitur, atque modice & non nimis frigide bibuntur, ac motus sufficiens subjungitur, optimos sæpe effectus præstant; *debilioribus* vero, præsertim si *frigidæ* ac nimia copia, aut neglecto motu, hauriantur, sæpe nocent; sed hæ debiliores quoque optimo cum successu aquis medicatis temperatioribus, quæ salia media blanda, sine martialibus & vitriolicis particulis, continent, ut sunt Emsenses aut Selterenses, præsertim calide haustæ, uti possunt, quia egregie sanguinem diluunt, attenuant, resolvunt & fluidum reddunt. Ratione diætæ idem ipsis quoque observandum, quod in malo hypochondriaco proposuimus. Denique sciendum hoc malum in quibusdam tam pertinax esse, ut omnium remediorum vim fere eludat, & vix nisi tempore & patientia vinci queat.

XXVIII.

Obstructiones Hepatis & Lienis.

Obstructiones hepatis & lienis.

Obstructiones sive infarctus hepatis & lienis eandem caussam ac præcedentes duo morbi agnoscunt, ideoque hæc mala eodem etiam fere modo curanda, interponendo simul sæpe modicam

mer-

mercurii dulcis portionem, vel & *saponis veneti* usum copiosum. In mulieribus præcipue ad menses; in viris vero ad hæmorrhoides obstructas respiciendum, ut earum fluxus, si fieri possit, restituatur, vel si nondum adfuerit, excitetur. Sed si hoc fieri non possit, & symptomata urgeant, Sanguis Venæ sectione, hirudinibus ano applicatis, aliisque evacuationibus artificialibus evacuetur. Externe *emplastrum diasaponis*, vel de gummi ammoniaco, de cicuta, diaphoret. Myns. vel diachylon cum mercurio roboratum, calide lateri ægro sive dolenti applicandum, & quandoque oleo capparum, vel unguento dialtheæ calide fricandum. *Venæ sectio in pede, potus sufficiens temperatus, motus* corporis frequens, & cumprimis *equitatio*, ac diæta moderata ac tenuis, itemque *aquæ medicatæ* ac balnea temperata, præcipua horum morborum, si curationem adhuc admittunt, sunt remedia.

XXIX.

Scirrhus Hepatis & Lienis.

Scirrhus hepatis & lienis.

Scirrhus hepatis & lienis inveteratus nullam admittit medelam, hinc præstat eum intactum relinquere. Recens vero, præmisso laxante idoneo & Venæ sectione in pede, eodem regimine ac victus ratione, iisdemque remediis §. XXVIII. indicatis, subinde adhuc curatur, resolventibus nimirum radicibus, herbis, sub forma infusi, salibus, digestivis, gummatibus, &c. interne & externe adhibitis, quibus & mercurius dulcis moderata dosi resolvendi fine utiliter vel admiscetur, vel interponitur, vel & sapo venetus. Sæpius etiam *aquæ medicatæ*, si rite usurpantur, hic magnam quoque adhuc utilitatem afferunt, quia poten-

ten-

tenter sanguinem spissum resolvunt & obstructiones aperiunt.

XXX.

De Atrophia.

Atrophia vi vocis quidem *quamcunque corporis tabem* significat: attamen hodie speciatim & proprie sumi solet *pro ea tabis specie, quæ ab obstructione glandularum in mesenterio oritur*, atque ut plurimum a congestione sive ab infarctu glandularum ejusdem præcipue in infantibus sive pueris, provenit, ab humoribus viscidis ibi congestis ac quiescentibus; hinc eorum venter plerumque multum tumere & inflatus esse solet.

Atrophia.

In *curatione* igitur requiruntur 1. Pro cruditatibus primarum viarum evacuandis, laxantia moderata, eaque in progressu curæ subinde repetita: quibus semper parum mercurii dulcis admisceatur. Infantibus junioribus pulvis jalapæ cum tartaro vitriolato vel mercurius dulcis, vel syrupus de cichor. cum rhabarbaro hunc in finem apte exhibetur; cui, si hic nimis debilis, pulveris jalapæ aliquot grana addantur. Adultioribus etiam Sal Anglicanum vel amarum catharcticum Germanicum vel Bohemicum; vel pilulæ, eæque præsertim mercuriales, cum fructu dari possunt.

2. Attenuantia, digerentia sive resolventia eadem, quæ in malo hypochondriaco §. XIX. & XX. vel modo §. XXIX. laudata sunt, infusa, nimirum, pulveres & essentiæ: ubi etiam cum primis *specificum* sive *pulvis antatrophus* Scretæ, [a] aliusve similis egregius est. ut

℞. rad.

(a) Descriptio hujus pulveris vid. in *Lentilii* Miscell. Med. pract. part. III, p. 59, *Kœnig*, Select. Remed. pag. 67.

℞. rad. irid. flor. ℥ß.
ari
tart. vitriolat.
fulig. splend.
lap. 69. ppt. a. ʒij.
sacchar. alb. ℥iß. M.

de quo aliquoties in die dosis idonea exhibeatur. Si infantes adhuc sugunt, nutricibus quoque talia remedia simul sæpe exhibenda, bonaque diæta ab ipsis servanda.

Externe, quia abdomen eorum plerumque valde tumet & durum est, conducit emplastrum diasaponis, vel de ammoniaco toti abdomini imponere, illudque subinde oleo laurino calido probe fricare sive inungere. *Balnea* quoque aquæ dulcis tepida, ex aqua pluviatili aut fluviatili, vel simplicia, vel cum herbis aromaticis parata, multa cum corporis & artuum fricatione, dum in balneo sedent, sæpe usurpata, itemque frequens motus in curru puerili aliave idonea machina, his ægris egregie conducunt.

XXXI.

Si atrophia hæc, ut sæpe fit, simul *a vermibus* oriatur, hi anthelminticis amaris, & speciatim semine santonici sive cinæ cum melle exhibito, aut vino Hispanico infuso, vel myrrha, vel radic. filicis, summitatibus absinthii, floribus tanaceti cerevisiæ injectis, vel mercurialibus, speciatim *æthiope minerali*, vel, qui hoc præstat, *mercurio dulci*, & laxantibus sensim destruendi atque expellendi.

XXXII.

De Rhachitide.

Rhachitis.

Rhachitis [quæ atrophia est cum spinæ & articulorum deformitate] cum ex eadem caussa, cui sæpe aliquid venerei admixtum est, oriri videatur,

tur (*a*) iisdem etiam remediis attenuantibus, resolventibus & aperientibus, speciatim vero infusis vegetabilium laudatorum, tinct. antimonii tartarisat. tinct. vitrioli martis Ludovici, pulvere antatropho Scretæ, vel pulvere ex salibus digestivis, rad. ari & iridis Florent. sicut §. XXX. commendavi, vel & ex illis & semine anisi, fœniculi, cinanomo & croco martis sulphurato parato, interpositis subinde lenibus laxantibus mercurialibus, curanda: quibus *externe* spiritus aut linimenta nervina, pro spina dorsi inungenda, ex spiritu rosmarini, serpilli, matricali, aqua Anhaltina & similibus adjungantur, non omissis, ubi opus est, *idoneis machinis* pro spina dorsi & cruribus curvis emendandis. In *diæta*, crassa, cruda, farinosa, legumina, & præ omnibus nimia repletio vitentur, curruque puerili, vel alia commoda ratione sæpius moveantur, non neglectis *balneis* frequentibus tepidis & fricationibus congruis, in atrophia antea laudatis: quam methodum etiam recens scriptor medicus [*b*] peculiari scripto *de Atrophia infantum* valde laudat: præsertim si frictiones in balneo semper fiant manu humida, farina triticea prius imbuta, pro sordibus & obstructionibus foraminulorum cutis abstergendis atque aperiendis.

De

(*a*) *Hunc morbum tam novum non esse*, ut vulgo creditur, alias in schediasmate docui, quo ostendi, *infantes olim pro a diabolo suppositis habitos*, revera nihil aliud, quam *infantes rhachiticos* fuisse, Anno 1725.
(*b*) *Chudenius*, scilicet celebris Medicus, olim in Marchia veteri, nunc in Ducatu Luneburgico.

XXXIII.

De Calculo.

Calculus.

CALCULUS & *renum* & *veſicæ* utplurimum quoque ortum ſuum trahere videntur ex congeſtione & ſtagnatione ſanguinis craſſioris in renibus; unde tandem calculus, primo renum, deinde & veſicæ emergit, atque graviſſima ſymptomata, ut dolores, nauſeam, vomitum, obſtructionem urinę, convulſiones, inflammationes, &c. producit. Veſicæ tamen calculus etiam ſæpe, præſertim in pueris, oritur in veſica, ſalvis renibus, quando particulæ terreſtres & viſcidæ ſive glutinoſæ ibidem hærent atque concreſcunt.

XXXIV.

Curatio in paroxyſmo.

In *Curatione* primum ſemper reſpiciendum utrum paroxyſmus adſit, an a paroxyſmo æger liber ſit, atque propterea curatio varianda. In *paroxyſmo calculi*, ſive renalis ſive veſicæ, ante omnia alvus per clyſteres ex decocto florum chamomillæ vel veronicæ cum lacte & melle vel ſaccharo paratos ſolvatur, iique per aliquot dies, ſi malum non remiſit, licet alvus non ſit obſtructa, ſpaſmos leniendi cauſſa, quotidie repetantur; ita dolores plerumque egregie demulcentur. Nonnulli, præſertim in calculo renum, magnum levamen ſentiunt, ſi mox in principio paroxyſmi fol. ſennæ ℥ß. vel cum aquæ vel cum cereviſiæ tenuis ℔ß. leniter & per momentum decoquunt addito pauco ſaccha[illegible] vel mannæ, mane per unum alterumve diem ebibu[illegible] Alias mox poſt clyſterem vel etiam poſt operationem purgationis finitam, exhibeantur *pulveres temperantes* aut *antiſpaſmodici*, ex tartaro vitriolato, nitro depurato, lapidibus cancrorum, acido citri ſaturatis, & cinnabari nativa, vel antimonii vel etiam ipſa

vul-

vulgari, parati; de quibus singulo bihorio ℈j. vel in robustioribus ʒß. donec calculus expulsus, vel dolores remittant, ex aqua vel decocto convenienti, ægro porrigatur. His *diluentia* & *lubricantia* calida, ut *infusum* Theæ, virgæ aureæ, hederæ terrestris, Coffee, Rad. cichorii, liquiritiæ, malvæ, altheæ, pareiræ bravæ aut seminis lini interponantur, [a] ut & *emulsiones dilutæ* ex amygdalis dulcibus & semine papaveris albi; quandoque lubricantia atque emollientia, ut olei amygdalarum dulcium vel olei papaveris albi vel olei lini subinde cochlear. j. ij. vel tria in robustioribus exhibeantur; item *decoctum nephriticum Foresti*, aut aliud ex vegetabilibus pectoralibus & lubricantibus paratum, quale nostrum est decoctum pectorale, egregie prosunt: de quibus quandoque haustum vel cyathum unum alterumve assumant. In doloribus vehementissimis *anodyna* parva dosi, ut præter sem. papaveris albi in emulsionibus laud. opiat. aut mp. de cynoglosso laudatis pulveribus adjungantur. Vel *liquor terræ foliatæ tartari* cum quinta parte *laud. liquid. Sydenhami* mixtus, & ad gutt. L. vel LX. subinde datus. Vel si *extract. flor. papav. rh.* vel sem. papaver. albi ʒj. in liquore terræ foliatæ tartari ℥ß. vel ℥j. solvatur, & eadem ratione per intervalla exhibeatur, egregie his dolores leniuntur, & tamen calculi simul blande promoventur. Hoc papaveris extractum in frequentissimo usu loco opii est supra jam sæpius laudato D. *Wagnero*, Medico Lubeccensi famigeratissimo, qui illud *opium Europæum* vocare, & egregios effectus in quamplurimis morbis eo præ-

 sta-

(a) *Infusum seminis lini* cum pauco saccharo ac lacte mirabiles præstare effectus in doloribus leniendis, asseverat quoque *Sydenham*. Cap. de Calc. & *Middleton*. lib. de Lithotom. pag. 5.

ſtare ſolet. *Externe*, *balnea aquæ dulcis*, aliave emollientia, ut *oleum lumbricorum* terreſtrium, vel *ſcorpionum*; aut ſacculi ex emollientibus herbis ac ſeminibus confecti, vel cepæ aſſatæ, regioni dolenti calide ſæpius applicentur.

XXXV.

Calculorum exiguorum curatio.

Si calculi exigui, tunc, his aliquamdiu præmiſſis, *lenia pellentia* ſubjungenda vel conjungenda: ut præter modo laudatum liquorem terræ foliatæ tartari, tinct. tartari, vel tart. vitriol. vel ſal ammon. ad ℈j vel ʒß. ſubinde data, vel fructus alKeKengi, cynosbati, baccæ juniperi, nuclei perſicorum vel amygdalæ amaræ, VI. vel VIII. quotidie ſemel, bis aut ter comeſti, vel in emulſione dati; (*a*) aut ſemen lithoſpermi ſive milii ſolis & violarum, vel in pulvere vel in emulſione, una cum balneis tepidis emollientibus & regimine temperato, exhibeantur. In *calculis vero magnis* a pellentibus abſtinendum, & ſolum lenientia adhibenda. Denique *remittente paroxyſmo*, quia ventriculus in eo utplurimum debilitatur, ſtomachica temperata rurſus ſunt uſurpanda.

XXXVI.

Extra paroxyſmum.

Extra paroxyſmum ſanguinis quantitas imminuatur per Venæ ſectiones tempore æquinoctii, aut in ſanguineis ſæpius inſtitutas, quæ valde hic egregiæ; & ſi forte *hæmorrhoides ſuppreſſæ*, hæ reſtituantur, aut hirudines ano applicentur; ſin vero in mulieribus menſes obſtructi, hi propriis ſuis remediis ſunt curandi. Quovis porro trimeſtri ſpatio aut pro rerum varietate ſæpius, infuſum laxans ex foliis ſennæ, rhabarb. manna ac tartaro ſolubili porrigatur.

Quo-

(*a*) Ut ℞. nucl. perſic. N. XVIII. amygdal. dulc. N. VI. aquæ fragar. ℔j. F. Emulſio, add. ſacch. perlat. q. ſ. ad grat. ſapor. D. ſæpius hauſtulus, quæ etiam egregie *in urina ſuppreſſa* prodeſt.

Quotidie pro ſanguine viſcido diluendo & attenuando bis utatur *potu Theæ*, *Coffee*, *Veronicæ*, *hederæ terreſtris*, *virgæ aureæ*, vel *conſolidæ ſaracenicæ*, cum quo ſubinde mane lig. terræ foliat. tartari gutt. L. aſſumantur. *Potus* reliquus ſit cereviſia tenuis bene defæcata; vel *aqua* pauco vino mixta; aut decoctum hordei cum liquirit. paſſulis & aniſo vel fœniculo; cui moderatus vini tenuis uſus, ſi habetur, & æger ei aſſuetus eſt, interponatur. *Vitet* denique nimiam repletionem, & alimenta flatulenta, tenacia, cruda, viſcida, farinoſa, nimis calefacientia, iram, veneremque nimiam. Singulis hebdomadibus ſemel bis pro ſanguine incidendo & temperando, circa veſperam utatur pulvere temperante, in curatione jam indicato, qui egregie præſervat. Ita *& uſus aquarum medicatarum* legitimus vere vel æſtate in calculis minoribus expellendis perquam eſt egregius. *Medicamenta* vero *calculum* præſertim majorem *frangentia* nondum certe cognita ſunt, quamvis in Anglia nuper multum rumoris remedium mulieris cujuſdam, cui *Stevens* nomen, pro calculo curando & frangendo concitaverit; [a] hinc ubi calculus major in veſica hæret, medicamentis vix & *non niſi ſectione*; in renibus vero nulla forte ratione tolli poteſt, niſi natura in dorſo in renum regione ſponte ſuppurationem aut abſceſſum moveat, per quem educi queat, qua de re vid. Inſtitut. noſtræ chirurgicæ.

(a) Conferri tamen meretur exemplum calculi majoris in veſica fracti, quod in Act. Anglican. deſcripſi, & quo vim frangendi calculum in veſica non impoſſibilem eſſe cognovi; licet ille magis ſponte aut vi naturæ, quam medicamentis fuerit comminutus.

XXXVII.

De Hæmorrhoidibus cœcis.

Hæmorrhoides cœcæ.

Hæmorrhoides cœcæ sunt congestiones & stagnationes sanguinis abundantis, in vasis laxis intestini recti, hæmorrhoidalibus dictis, ubi sanguis abundans congestus varia eaque gravia sæpe symptomata, cum primis vero dolores modo minores modo majores inducit. Duplici modo se exhibent: nam vel sub *figura tuberculi* aut *vesiculæ*, sanguine atro repletæ, varicum instar, circa anum se manifestant, & sæpe non adeo vehementer dolent, immo quandoque fere indolentes sunt, interdum tamen satis insigniter dolent, & quoniam ad varicum naturam accedunt, *hæmorrhoides varicosæ* dici possunt; *vel durum inflammatorium tumorem*; ceu furunculum valde dolentem, profundius plerumque in ano sive in ipso intestino recto hærentem, constituunt, qui ægros misere sæpius & quandoque ad animi usque deliquium excruciat, atque facile in suppurationem & fistulam ani abit; hinc *hæmorrhoides inflammatoriæ* cœcæ & *dolentes* vocantur, a prioribus multum diversæ; cum illæ in suppurationem aut fistulam vix unquam abeant.

XXXVIII.

Curatio varicosarum.

In *prioribus* sive *varicosis* vesicula sive tuberculum vel digeritur vel sponte se aperit aut rumpitur, ac plus minusve sanguinis effundit, fiuntque sic ex hæmorrhoidibus cœcis fluentes; & vulnusculum vel sponte rursus glutinatur, vel curatio nil nisi spiritum vini balsamica eis superimposita requirit. Vel si non sponte rumpatur tuberculum, neque digeratur, sed ægro incommoda, præsertim in fecibus deponendis creet, scalpello vel hirudinibus

san-

ſanguis in eis ſtagnans educendus; aut ſi in cri-ſtatam vel verrucoſam, ut quandoque contingit, naturam mutentur, vel per ligaturam vel per idonea rodentia remedia, vel etiam per ſcalpellum aut forficem auferendę, & per balſamica deinceps curandę ſunt. Vid. Inſtitut. chirurg. P. II. Cap. 67.

XXXIX.

Curatio hæmorrhoidum inflammat.

In hęmorrhoidibus inflammatis, primis quatuor diebus reſolutio omni modo eſt tentanda: id quod fit 1. Venę ſectione in pede, vel etiam in brachio, eaque larga, præſertim, ubi manifeſta adeſt plethora aut calor ac dolor magnus. 2. Potiuncula laxante ex tamarindis, foliis ſennę, cremore tartari & manna; vel clyſtere emolliente; purgantia vero reſinoſa & aloetica aliave calidiora ſunt vitanda. 3. *Pulveribus temperantibus*, reſolventibus, nitroſis, cinnabarinis ſępius datis, ut in aliis inflammationibus. 4. *Potu diluente*, aquoſo, copioſo, & emulſionibus, in aliis inflammationibus uſitatis & laudatis: ubi etiam *infuſum tenue millefolii* prę ceteris hoc in caſu anodynum & reſolvens ſpecificum habetur præſtantiſſimum.

Externe ſpiritus vini, cum vel ſine camphora, calide cum linteis complicatis adhibitus, aut aqua calcis vivę cum ſpiritu vini camphorato eodem modo uſurpata egregie reſolvunt ac leniunt. Ita quoque hic conducit celebre unguentum de linaria, vel oleum amygdalarum dulcium vel lini, vel verbaſci, vel ovorum ſępius illitum, vel unguentum nutritum ex Oleo ſolani vel roſarum cum aceto lithargyriſato paratum. *Globulus* quoque vel glans *ex butyro non ſalito*, tanquam ſuppoſitorium ano immiſſus, egregie etiam hic duras partes emollit & dolores lenit. VALENTINUS his in doloribus fumum ſive ſuffitum *murium ita dictorum marinorum* ano exceptum

 val-

valde commendat, [a] qui etiam sæpe non est contemnendus.

X L.

Si in suppurationem abeunt.

Si vero resolutio obtineri nequeat, vel tardius advocati simus, *suppuratio cataplasmatibus emollientibus* lacte paratis est promovenda; quæ simulac aliquo modo facta, scalpello est aperienda, deinde locus læsus, ut alius abscessus, mundificandus & consolidandus, cavendumque, quantum fieri potest, ne nimis tarde aperiatur, ne pus profundius partes vicinas erodendo in fistulam ani mali moris degeneret, quæ tristissima sæpe symptomata, & mortem quandoque ipsam inducit: qua de re vero uberius legi potest Chirurgia nostra, ubi de fistula, & abscessibus ani agitur. Part. II. Cap. 168. 169.

X L I.

Præservatio.

Præservatio sanguinis missionibus, præsertim circa æquinoctia, scarificationibus, aut hirudinum ad anum applicatione, usu prudenti pulverum, aliorumque remediorum temperantium, ambulatione frequenti & convenienti, victusque ratione optime obtinetur, vitando abusum vini, aliarumque rerum calidiorum, itemque veneris & equitationis fortioris.

X L I I.

De Arthritide, Podagra & affinibus.

Arthritis, Podagra, Chiragra.

Arthritis, Podagra, Chiragra & Ischiaticum malum, morbi valde affines, a sanguinis quoque abundantia, ejusque in certis locis congestionibus potissimum provenire solent, quando copiosius, quam

(a) In Polychrest. Exoticis.

quam par est, in locis dolentibus accumulatur. Nam videmus homines victu copioso & lauto utentes, & non satis sese exercentes, insimul baccho & quandoque etiam venere abutentes, eosque quibus hæmorrhoides vel suppressæ, vel ubi rite succedere nolunt, præcipue hisce malis affligi. Natura enim abundantes & noxios humores per extrema & cutis spiracula expellere, seque ab onere hoc liberare velle videtur.

XLIII.

Præservatio horum morborum.

Adeoque *præservandi fine*, cui potissimum in his morbis studendum, simplicissima & pauca remedia, primo victus moderatus, parcus, temperans ac diluens, frequensque exercitatio, ambulatio, vectio atque equitatio, sunt necessaria. Deinceps subinde & præsertim circa æquinoctia sanguis est per Venas subtrahendus: id quod etiam in valde sanguineis interjecto tempore vel eadem ratione, vel, si lubet, per scarificationes & cucurbitulas variis in corporis partibus adhibitas, utiliter fieri potest, præmisso præsertim medicamento idoneo alvum blande ducente. Abstineant præterea ab abusu vini, Veneris & ira, potuque utantur tenui, vel aquoso vel ex cerevisia tenui, & in æstate utantur per duas vel tres hebdomades *aquis medicatis*.

XLIV.

Curatio arthritidis speciatim.

Ad curandos vero arthriticos morbos & speciatim ARTHRITIDEM, facit quam maxime victus tenuis, potus aquę, inprimis calidę, ut Theę, vel decocti radic. polypodii, chinę, sarsaparillę, liquiritię, aliarum radicum aut herbarum aperientium; Essent. aristolochię, pulveres deinde temperantes, antispasmodici, quies in lecto, corpore bene tecto, transpirationis vel blandi sudoris expectatio, & speciatim partibus dolentibus probe contra frigus munitis: vitando externe omnia frigida, pinguia, unguenta, emplastra,

præsertim glutinosa. E contrario partes dolentes tantum pulvinaribus involvantur, aut sacculis herbis resolventibus, vel farina fabarum, tritici, lupini, orobi, aliave simili repletis, calide circumdentur; cetera enim pleraque, quantopere etiam pro specificis a thrasonibus & empyricis laudentur, plus plerumque nocent quam prosunt, noxiamque materiam repellunt.

XLV.

In accessione podagræ quid faciendum.

Atque hæc cadem prorsus etiam in PODAGRA curanda sunt observanda & facienda; ea adhuc adhibita cautela, ut quando ingruentem novum impetum sive paroxysmum sentiant ægri, quod ut sæpius observavi, cibi fastidium & insolita artuum lassitudo potissimum indicare solent, mox sordes sive cruditates e primis viis idoneo *emetico*, vel si quid vomitum vetat, *purgante* ejiciantur, subjuncto altero die mane & post meridiem sudorifero blando: ut essentia quadam diaphoretica & inprimis Essentia aristolochiæ, cum largo aquæ vel decocti calidi potu, ac speciatim decocti radic. chinæ, atque abstinentia a cibis, minimum solidis, aut difficulter digerendis; vesperi vero pulveris temperantis vel antispasmodici ℈ß. ex aqua diaphoretica semel vel bis utantur; ita enim haud raro morbus instans, sive paroxysmus in prima, ut ajunt, herba suffocatur, prævertitur, atque omnino exstirpatur, vel saltem valde minuitur.

XLVI.

In paroxysmo.

In *paroxysmo* vero rursus omnium optime conveniunt 1. *abstinentia* aliquot dierum, vel saltem victus admodum tenuis & parcus; 2. *potus aqueus*, largus, ac præsertim calidus, cumprimis decoctum radic. chinæ sæpe jam laudatum, ac simul 3. præsertim matutino tempore, Essentia *aristolochiæ* vel longæ vel rotundæ, vel clematidis, pro malo per diaphoresin aut blandum sudorem

rem expellendo; interpositis 4. subinde, præsertim si febricula urget, *pulveribus* illis *diaphoreticis* ac *temperantibus*, pro febre non prorsus supprimenda, sed moderanda, observato semper & cumprimis matutino tempore, in lecto, regimine blando sudorifero; vitatis 5. omnibus, *quæ materiam noxiam repellere possunt*, ut frigore, & remediis quibuscunque externis, solis pulvinaribus & sacculis laudatis exceptis, quæ diaphoresin non impediunt, sed promovent & conservant.

XLVII.

Podagra tamen, quod probe observandum, non semper a sanguinis abundantia, ut multi male docent, oritur, sed haud raro quoque in emaciatis debilibus & haud plethoricis, verum quorum sanguis acribus ac biliosis salibus scatet, observatur, qui forte sæpius vel vino aliisve potibus spirituosis se obruerunt, vel cibis salsis aut acribus nimis delectati, vel iræ nimis dediti fuerunt, vel nimia venere vires exhauserunt, vel etiam hæreditate a parentibus acrem ejusmodi ac vitiosum sanguinem acquisiverunt; ubi *alia longe ratione & præservatio & curatio est instituenda*: & *quidem non per sanguinis missiones*, aliave evacuantia fortiora aut frequentiora, quæ humores minuunt, & quæ ad præcedentem podagræ speciem avertendam facere solent, verum *per blande demulcentia*, acrimoniam humorum temperantia, corpus macilentum ac debile blande nutrientia & vires restituentia: inter quæ, præter alimenta blanda, principem sibi locum vindicat *conveniens lactis usus*, sive *cura*, ut vocatur, *lactea*, eique usui præ ceteris & *Hippocrates* lib. de articulat. & CELSUS lib. IV. Cap. 24. & GALENUS L. Alim. 7. meth. 6. & PLINIUS lib. 28. & Fr. HOFFMANNUS, diss. de *lactis asinini usu* & *diss.* de *Podagra præservanda*, aliique *lac asininum* commendant, quod ter in die a libra una ad libras

Podagræ ba acri vel penuria orta curatio.

bras duas assumunt, quamvis & a *vaccino* egregios effectus in hoc malo notaverim.

XLVIII.

De Ischiatico malo.

Curatio mali ischiatici.

Ischiaticum malum, quia a congestione sanguinis abundantis & viscidi in vasis circa anum ortum trahit, eodem prorsus modo, ut §. XLVI. docuimus, optime curatur, & cum hoc in malo natura sanguinis circa intestinum rectum congesti exitum per vasa hæmorrhoidalia moliatur, præservandi gratia, aut ejus fluxus idoneis medicamentis, præsertim si alias & sæpius forte jam fluxerint hæmorrhoides, est instaurandus; vel hirudines ano applicandæ; vel si id fieri non possit, vel ob certas rationes Medico vel ægro hunc fluxum excitare haud opportunum videatur, sanguis abundans, vel venæ sectione vel cucurbitulis sæpe detrahi debet, ceteraque omnia ea sunt facienda, quæ ad quoscunque morbos, a plethora sive abundantia sanguinis oriundos, præcavendos sæpe jam proposuimus. conf. potissimum Cap. I. §. VIII. ad XII.

CAPUT XI.

De Cachexia & cachecticis affectibus.

I.

Quid affectus cachectici & qui.

CACHEXIA sive cachectici affectus *sanguinis pravam qualitatem*, eamque *maxime pituitosam* sive serosam ac viscidam, una sæpe cum nimia copia indicant, eorumque præcipui sunt cache-

chexia ipsa, κατ' ἐξοχὴν sive proprie ita dicta, *œdema*, *chlorosis virginum*, *hydrops*, *leucophlegmatia*, *anasarca*, *ascites*, *& hydropes particulares*, *capitis*, *pectoris*, *pericardii*, *scroti*, *ovarii*, *&c.* gradu & loco diversi, & se invicem vel comitantes, vel subsequentes: quibus vero cachecticis morbis jure adhuc addi possunt *icterus*, *scabies*, *scorbutus*, *morbi venerei & fluor albus* in mulieribus; quia pravæ sanguinis qualitati ortum debent.

II.

Subjecta.

Obnoxii sunt his morbis cachecticis prioris ordinis propriæ ita dictis, maxime phlegmatici & sanguinei, præsertim viri quibus hæmorrhoides, & mulieres quibus menses vel suppressi, vel nimis fluxerunt; senes item præ juvenibus, itemque in quibus febres intermittentes vel neglectæ vel male curatæ, aut incongrue cohibitæ aut nimis tarde curatæ sunt; aut etiam qui malam victus rationem in intermittentibus servarunt, ut *& quibus scabies incongruis remediis*, præsertim sulphureis, aut mercurialibus externis, corpore nondum satis purgato, curata, & sic quasi repulsa fuit.

III.

Caussa.

Caussa proxima cachexiæ sunt humores phlegmatici, pituitosi, viscidi, abundantes, partiumque solidarum relaxatio ac debilitas, quam multæ aliæ, tanquam *causæ antecedentes & remotæ*, prægredi possunt: ut refrigeratio nimia, quies nimia, prava & crassa diæta, aut nimis refrigerans; *potus nimius* quicunque vel aquosorum vel spirituosorum, inprimis spiritus vini, adeoque & *crapula frequens*; *hæmorrhagiæ* itidem quæcunque nimiæ, obstructiones in hepate, pulmonibus, liene, utero, aut alio viscere, hæmorrhoides & menses suppressi, phthisis, asthma, & alia.

IV.

Prognosis.

Quo pejor caussa, eo periculosior atque difficilior est curatio, & hinc sæpe affectus sunt valde

con-

contumaces aut prorſus inſanabiles. Qui tamen a cauſſis externis, refrigeratione aut refrigerantium abuſu, itemque a febribus intermittentibus, & potu in eis nimio ortum duxerunt, viſceribus adhuc integris, itemque quando ægri adhuc ſunt juvenes, facilius quam ceteri, curationem admittunt. *Quo majori in gradu* ſunt hæc mala & quo magis inveterata, eo difficilius curantur. Ægri *quo ſeniores*, eo morbi hi curatu difficiliores. Si poſt pedum œdema reliquum etiam corpus & præcipue interiora quoque afficiuntur, malum eſt, & ex *cachexia hydropes*, *aſthma*, aliaque mala oriuntur. Ubi vero *viſcera* adſunt *corrupta*, hoc eſt, vel ſcirrho vel ulcere obſeſſa, eaque jam inveterata, plerumque nulla, vel ſaltem difficilis & rara, supereſt curatio.

V.

Curatio cachexiæ. In *curatione* cachexiæ generatim *pituitoſa ſive viſcida ſanguinis & humorum qualitas attenuanda eſt & corrigenda*, parteſque ſolidæ laxæ ſeu debiles roborandæ. Illud fit 1. per *ſalia alcalica fixa & media*, vulgo *digeſtiva* dicta, ut ſunt ſal abſinthii, card. benedicti, &c. tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, tartarus tartariſatus, terra foliata tartari, nitrum antimoniatum, &c. in forma pulveris; vel arcanum tartari, aut tinctura aperitiva Mœbii, vel liquor terræ foliatæ tartari, in forma liquida, bis, terve in die apta doſi exhibita.

2. Per certa quædam corpora *gummoſa*, ut gummi ammoniacum, galbanum, hederæ, itemque myrrhata, aloetica, & ſuccinata, maxime in forma pilularum: ut ſunt *pilulæ balſamicæ* Beccherianæ, Stahlianæ aliæque ſimiles, noctu preſertim per aliquod tempus datę.

3. Per *herbas ac radices amaras & aromaticas*, ut herb. abſinthii, card. benedicti, centaurii minoris, trifolii fibrini, fumarię, roſmarini, ſalvię, capilli veneris, itemque per herbas antiſcorbuticas dictas, ut ſunt cochlearia, naſturtia omnia,

car-

cardamine, acriviola sive cardamindum, lepidium sive piperitis, draco herba sive Draconia, sedum vermiculare acre, armoracia sive raphanus marinus, ut & radices attenuantes, ut pimpinellæ albæ, helenii, vincetoxici, gentianæ, cichorii, bardanæ, aristolochiæ, rhabarbari, ari, quinque aperientes, sub forma infusorum, decoctorum, aut vini medicati.

4. Per *ligna ita dicta antivenerea* sive exsiccantia ut lignum quaiaci, sassafras, juniperi, santalum citrinum, juncta uni alterive e radicibus modo laudatis, sub infusi vel decocti forma.

5. *Aromatica*, ut cinamomum, cardamomum, calamus aromaticus, caryophilli, schœnanthum, piper, zingiber, zedoaria, galanga, macis, bacc. juniper. sem. 4. carminativa, dauci cretici, corticis citr. & aurantiorum, cascarillæ, chinæ, in infusis pulveribus, trageis, item pulvis stomachal. Birkm. & cachectic. Quercetani, Tragea aromat. Augustanorum, species diacinamomi, diagalangæ, &c.

6. *Tincturæ atque Essentiæ attenuantes & resolventes*, ut tinctura tartari, tinctura antimonii tartarisata, Elixirium proprietatis, Essentia lignorum, ligni sassafras, succini, scordii, fumariæ, trifoli fibrini, pimpinellæ albæ, helenii, alexipharmaca., absinthii, cardamomi, corticis aurantiorum, rhabarbari.

7. Omnia *extracta amara, roborantia & aromatica*, ut absinth. card. benedict. cascarill. millefolii, gentianæ, cent. min. trifol. fibrin. galangæ, calam. aromatici; vel in forma electuarii, vel pilularum, præsertim cum aloe, myrrha aliisque gummatibus mixta; vel etiam in aquis idoneis stomachicis vel vino hispanico soluta, admodum Elix. visceralis celeber. *Hoffmanni*.

V I.

Evacuātiū usus.

Postquam sic horum aliquamdiu continuato usu pituitosi humores attenuati sive correcti, superva-

canea

canea abundans & resoluta eorum pars *evacuanda*; vel per infusa aut vina laxantia, vel per pilulas varias sæpe jam & adhuc §. V. modo laudatas. Quæ vero in robustioribus resin. jalapæ vel scammonii vel diagrydii, elaterii, trochisc. alhand. aut gummi guttæ aliquot granis pro ægrorum diversitate acui possunt, & subinde corrigentibus medicamentis interponi. Huic etiam scopo egregie haud raro satisfaciunt *emetica*, ex observatione præstantissimi *Sydenhami*, Werlhofii, nostra aliorumque, præsertim in iis, qui facile vomunt: ubi inprimis *aqua benedicta Rulandi* ab ℥i℈. ℥ßii. ad ℥iij. humores abundantes, tam sursum quam deorsum, optime expellit, maxime si alternis diebus, vel etiam pro virium ratione longioribus intervallis repetitur: cum primis si observamus malum a prioribus dosibus minui.

VII.

His [§. V. & VI.] aliquamdiu usurpatis, si æger inde melius rursus se habet, ultimo *tonus partium* debilitatus *denuo roborandus* est, & quidem interne per blanda martialia, aromatica & amara, ut tincturam vitrioli martis Zwelfferi, tincturam martis cydoniatam, limaturam martis cum elæosaccharo vel extractis amari, [a] crocum martis aperitivum cum salibus herbarum; vel per Mixturam tonicam, ex spiritu C. C. cum tinctura tartari remixto, vel ex Essentia absinthii composita cum Essentia chinę aut cascarillæ, vel & vina medicata amara & roborantia, quibus itidem cort. peruv. admiscendus, aliaque similia. Ita & *usus aquarum mineralium*, præsertim martialium aut thermarum legitimus ac circumspectus, ubi viscera adhuc integra sunt, & æger se movere valet, sæpe perquam egregius est; *alias vero ubi viscera corrupta*, aut æger jam nimis debi-

(a) Confer. Cap. X. §. XXI.

debilis, potius omittenda, ne ægrum, quem servare non possumus, occidisse videantur.

VIII.

Externe fricationes pedum sæpe instituantur, iique, si indecore intumescunt, fasciis, expellentibus dictis, idoneo modo involvantur, vel aptis machinis ex corio vel linteo ad modum tibialium constructis, de quibus vid. Institut. nostræ chirurgicæ, Tab. 36. Fig. 11. coerceantur.

Remedia externa & diæta.

Diæta sit parca, facilis digestionis & feniter calefaciens: vitentur cruda, crassa, frigida, fructus horæi, acida, & refrigeratio. Conducunt vero calor moderatus, aromata, potus vini generosi in pastu vel meri, vel medicati, & motus frequens corporis.

IX.

Cachexia a febribus.

Si *cachexia a febribus intermittentibus inveteratis, vel male tractatis oriatur*, primo ad humores noxios evacuandos lenia laxantia, ut pilulæ tartareæ, extract. panchym. Crollii, pilulæ nostræ polychrestę, Beccherianæ, aliæve similes dandæ, ac deinde medicamenta antifebrilia, salina & amara, quo & tandem cortic. aurantiorum, cortex peruvianus & cascarillæ pertinent, sæpius usurpata, maxime conducunt, & præsertim etiam vina medicata, quæ præter alia amara, modo laudati cortices ingrediantur.

X.

Ab hæmorrhoidibus aut mensibus suppressis.

Si ab hæmorrhoidibus suppressis, tunc præmissis attenuantibus & evacuantibus §. V. vel VI. speciatim hęmmorrhoides pellentibus supra Cap. VI. §. IX. & XVI. indicatis, curatio est instituenda, & si hęmorrhoides ab his non revocentur, & tamen eas revocare velimus, *hirudines ano applicandæ*, vel venulę tumentes scalpello aperiendę, aut si hoc nolimus, earum loco Venę sectio in pede est instituenda, quę deinde pręservationis gratia circa ęquinoctia repetenda, subjunctis postea modo §. VII. laudatis remediis, idoneo victu & motu frequenti:

Cache-

Cachexia a mensibus suppressis vel inordinatis quoque requirit, ut fluxus eorum restituatur atque in ordinem redigatur: quod qua ratione fieri debeat, dictum est Cap. IX. N. VIII. & sequentibus: quibus postea modo dicta roborantia sive tonica cum eodem regimine subjungenda.

X I.

Si ab hæmorrhagiis nimiis.

Si ab hæmorrhagiis nimiis pręgressis cachexia oriatur, temperata blanda analeptica, emulsiones, gelatinę, & juscula, maxime vero moderata dięta adhibenda, ne copiosioribus alimentis chylus crudus indigestusque nimia copia generetur: quapropter & blanda stomachica ac roborantia, pręsertim amara, itemque mixtura tonica sunt suadenda, vitando calidiora aromatica & spirituosa, ne novus orgasmus aut ebullitio in sanguine excitetur, quę alias novam facile hęmorrhagiam concitaret. Vinum rubrum bonę notę aqua temperaratum subinde modica copia roborandi fine concedi quoque potest.

X I I.

Si a scabie repulsa.

Si *a scabie repulsa*, purgantia mercurialia & diaphoretica, sępe jam laudata, alternatim adhibenda, speciatim vero inter diaphoretica Essentia helenii & fumarię, itemque decocta lignorum, sive infusa eorum pugillaria calida, cum leni sudoris, matutino pręsertim tempore, regimine, reliquis palmam pręripiunt. His denique Mixtura tonica aliave roborantia subjungenda.

X I I I.

De Chlorosi.

Chlorosis.

In cachexia virginum sive CHLOROSI eodem fere modo procedendum, ut §. V. ad VIII. in cachexia generatim diximus: attenuantibus scilicet,

cet, evacuantibus, roborantibus, bonaque diæta, & motu corporis. Speciatim vero si a *mensibus suppressis* oriatur, post idonea attenuantia & evacuantia, danda sunt tempore instantium mensium menses moventia Cap. IX. §. VIII. & sequent., adhibenda sæpe pediluvia, immo & V. S. in pede versus tempus menstruum, præsertim in plethoricis. Quandoque, cumprimis si viscera adhuc sunt sana, potus legitimus *aquarum mineralium*, præsertim martialium, vel etiam *thermarum* usus, immo & *curatio per limaturam martis* subtilissime tritam, cum amaris vel aromaticis instituta Cap. X. §. XXI. valde conducit; sin vero hæc non sufficiant, aut ægræ ea adhibere nequeant, matrimonium in hoc morbo remedium est ut plurimum certissimum & probatissimum.

XIV.

De Oedemate.

Speciatim vero in OEDEMATE curatio interna per attenuantia, amara & resolventia, ut in cachexia §. V. ad VIII. incipi debet, & deinde laxantia sæpius interponi; vel etiam pro re nata mox laxantia & attenuantia conjungi possunt, vel sub forma infusi aut vini medicati laxantis, vel pilularum balsamicarum Beccheri aut similium, pedesque *fasciis* simul involvendi, vel peculiaribus tibialibus coercendi, eæque matutino semper tempore denuo firmandæ, si ægri eas sine incommodo & præsertim sine spirandi difficultate ferre possunt, atque a frigore probe defendendi. *Aquarum martialium*, vel & *thermarum* legitimus usus hic quoque perquam est egregius.

Oedema.

Sed si *post febrem intermittentem oriatur œdema*, roborantia amara & aromatica, interpositis subin-

de laxantibus continuanda, pedes sæpe fricandi, corpusque motu frequenti probe exercendum. Quod si autem febris simul adhuc adsit, præter dicta ipso cortice peruviano, præmissis tamen præmittendis, & febris & œdema, immo & hydrops febri superveniens, sunt curanda. [a]

Oedema a fluxibus suppressis.

Si *ab hæmorrhoidibus vel mensibus suppressis*, hi debitis remediis, Cap. IX. §. VIII. ad XVI. propositis, sunt restituendi, & si malum nondum inveteratum, Venæ sectio in pede apud plethoricos locum quoque habere potest; Sin vero jam inveteratum, aut ægri valde jam debiles, Venæ sectio nocet, immo quandoque sphacelum in pede, ut ipse vidi, & mortem inducit.

Monitum de externis remediis.

Cavendum, *ne œdema facile solis externis*, præsertim frigidis aut adstringentibus, aut emplastris tractetur; quia his humores vitiosi ad nobiliores & internas partes facile repelluntur, atque asthma, hydrops, inflammationes internæ, polypi cordis, catarrhus suffocativus, apoplexia & mors sæpe inducuntur. Medicamenta vero externa maxime idonea in Institutionibus chirurgicis nostris indicata sunt Part. I. Lib. IV. Cap. XVII. p. 347.

XV.

De Hydrope.

Hydrops anasarca & ascites.

In HYDROPE, sive *Leucophlegmatia*, aut *Anasarca* sit, sive *Ascites*, curatio iisdem fere remediis est instituenda, quæ in curatione cachexiæ generali §. V. ad VIII. hujus capitis indicata sunt: nam & hic humores pituitosi & abundantes partim

(a) Conf. filii mei νῦν ἐν ἁγίοις Diss. de quartana & hydrope cort. peruv. curatis, Anno 1740. Helmstadii impressa.

tim corrigendi, partim evacuandi sunt, partesque debilitatæ tandem rursus roborandæ. *Evacuatio* tamen abundantium humorum, urgente malo, sæpe præmittenda est correctioni, aut conjungenda, aut saltem per intervalla interponenda.

Maxime vero hic notandum, quod ex *Sydenhamii* observatione evacuatio sæpe, præsertim si ægri haud difficulter vomunt, egregie per *emetica* obtineatur, & imprimis per *aquam benedictam Rulandi*, apta, attamen satis larga dosi ab ℥ij. scilicet ad ℥iij. alternis diebus aliquamdiu, vel & pro virium ratione tertio quovis die mane exhibitam: interpositis deinde semper amaris, roborantibus, tonicis, ac diureticis laudatis: ita enim quotidie fere aut post singulum usum aquæ illius benedictæ tumores & ventris & pedum minui sæpe observantur. Ergo ubi hunc modum ægro prodesse conspicimus, [nam non semper succedit] continuandus erit.

Curatur subinde emeticis.

XVI.

Sed si hic curandi modus minus arrideat, aut æger nimis difficulter vomat, aut eo uti nolit, vel etiam adhibitus nihil proficiat, pro diversa *dispositione ægri vel ad sudorem vel diuresin facilem, vel ad alvum laxam*, evacuatio nunc melius per sudorem, nunc per diuretica, nunc per purgantia instituitur: atque hic inprimis valet illud dictum HIPPOCRATIS, *quo natura vergit, ducenda*. Maxime vero in *anasarca* sudorifera vel sola, vel roborantibus combinata, egregie sæpe prosunt, præsertim ex decocto ligni guaiaci, vel sassafras sine vel cum radice bistortæ & cinamomo, vel cortice aurantiorum vel baccis juniperi, [quæ simul diuretica sunt] aliisve gratis aromatibus parata, cum regimine sudorifero: quorum virtus multum augetur, si simul semper cum hoc decocto Essentiæ lignorum, pimpinellæ vel alexipharmacæ apta dosi assumatur.

Alii modi.

Quandoque sudoriferis.

XVII.

Curatio per diuretica.

Si *urina* adhuc bene & facile procedit, curatio per *diuretica* institui potest, ac *diuretica vino rhenano*, in pauperibus autem cerevisiæ tenui infusa; ut radix vincetox. levistici, asparagi, petroselini, rusci, ononidis, baccæ juniperi, alkekengi, &c. optime prosunt, si sæpius in die ℥ij. vel ℥iij. bibantur; vel *lixivia*, prȩsertim illud quod SYDENHAMUS in hydrope commendat, quoque conducunt: [*a*] itemque *salia media diuretica* subinde exhibita, vel liquor terrȩ foliatȩ tartari, Tinctura antimonii acris, vel aperitiva Mœbii, ut & succ. raphani vulgaris vel marini, qui armoracia dicitur, vel cum saccharo vel vino remixtus, sȩpeque assumtus.

Electuaria quoque ex conservis & extractis amaris ad modum *Sydenhamii* parata, corrigendo humores vitiosos, urinam movendo atque partes laxas roborando sȩpe sunt egregia.

Si *æstus aut sitis vehemens ægros affligit*, salibus illis diureticis mediis nitrum jungi & subinde prȩsertim vesperi exhiberi debet.

XVIII.

Curatio per purgantia.

Quando *ægri alvum habent laxam, aut alias facile purgantur*, medicamenta alvum ducentia eaque paullo fortiora, ut elaterium, vel gummi guttȩ, aliave resinosa purgantia, quo cumprimis etiam pertinent *pilulæ hydropicæ Bontii* a ℈ß. ad ℈j. exhibitȩ, (*b*) sufficienti copia sȩpius danda, cumprimis si illa commode ferunt & levamen inde sentiunt, interpositis tamen & subjunctis antea lau-

---

(*a*) Quod ita se habet. ℞. Ciner. genist. ℔. j. infunde vini Rhenani. ℔ iv. frigide, stent per noctem; postea liquoris filtrati ℥ iij. mane & vesperi hora quarta vel quinta bibantur. (*b*) Vide earum præparationem in *Junchenii* lexico-Chym.

laudatis amaris, roborantibus, diureticis, martialibus. Nonnulli hic etiam eundem in finem infusum *radicis bryoniæ* valde commendant. Alii succum radicis *iridis palustris luteæ*, (a) alii vero pulverem *gratiolæ* ad ℥iß vel ℥ij. mane ex vino. *Lenibus* vero *purgantibus* plerumque nihil boni his in morbis effici solet. Conf. *Sydenham.* de Hydrope, qui aut fortiter aut nunquam hic purgandum esse statuit.

XIX.

Curatio hydropis a febre.

Si *hydrops a febre intermittente ortus est*, vel febris intermittens simul adhuc continuat, tunc utramque, gravissimum quamvis malum, divini *corticis peruviani legitimo usu* sæpe simul tolli potest, non neglecto tamen & aliorum roborantium idoneorum recto usu. Qua de re vid. filii dissert. de quartana & Hydrope per corticem peruvianum curatis, An. 1740. edita.

XX.

Diæta Hydropicorum.

Diæta servanda bona, *motus* corporis, quantum fieri potest, præsertim quando se movere adhuc possunt, frequenter instituatur; alimenta aromatibus sint condita, *vinum generosum*, cumprimis rhenanum, modice usurpetur, præsertim herb. absinth. bacc. junip. & cortic. aurant. immo & cortice peruviano ac cascarillæ impraegnatum; ubi vero in pauperibus loco vini, *cerevisia diuretica* bonæ notæ sumi potest. Cerevisia vero recens & feculenta omnisque potus refrigerans & nimius itemque spiritus vini vitetur. Si vero his non cedit, in *ascite* mature ad *paracentesin*, est confugiendum, de qua vid. Chirurgia nostra, non neglectis tamen interea & post eam remediis idoneis & apta victus ratione, ut modo præcepimus.

(a) Commodam ejus præparationem & usum cel. *VVerlhofius* observ. de febrib. p. 60. docuit.

XXI.

Hydropes particulares.

Hydropes particulares, ut hydrocephalus, hydrops pectoris, hydrocele, &c. interne eodem modo tractandi ac cachexia vel hydrops universalis. Reliqua vero, & præsertim externa, si interna illa parum proficiunt, ex Chirurgiæ nostris institut. peti possunt.

XXII.

De Tympanite.

Tympanitis.

In TYMPANITE, quia humores pituitosi, relaxatio toni viscerum & flatus in caussa sunt, qui intestina flaccida & ventrem adeo distendunt, roborantia sive tonica & carminativa, resolventibus, amaris & salinis in hydrope laudatis miscenda vel interponenda, ut Essent. cortic. aurant. flor. chamomill. Essent. & spiritus carminat. &c. item limatura martis cum extractis amaris, ad modum Sydenhamii pro tono partium roborando, vel in forma pilularum vel Electuarii valde hic conducit. Singulo triduo vel quatriduo laxans vel e pilulis lenioribus, utpote balsamicis aliisve similibus, vel pulvere e jalapa & mercurio dulci, vel sale amaro catharctico exhibeatur: hisque per duas tresve hebdomades aut diutius prout necessitas exiget, continuetur; postea vero prælaudata tonica sive roborantia, servato eodem regimine ac diæta ut in cachexia & hydrope, subjungantur. Abdomini, olea destillata & balsama carminativa calide sæpe illini debent; vel emplastrum de cumino aut de baccis lauri, vel diasaponis imponi potest. *Si alvus obstructa* negotium facit, vel indicato purgante vel clystere carminativo, quoties opus est, solvatur.

XXIII.

De Ictero.

Icterus.

ICTERUS eſt cachexiæ ſpecies, in qua bilioſæ particulæ copioſius quam par eſt, per ſanguinem totumque corpus, ac ſpeciatim faciem & oculos diffunduntur, vel ob viarum biliariarum in hepate obſtructionem, vel hepatis ſpaſmodicam conſtrictionem, unde tranſitus bilis ex vena portæ in ductus biliarios impeditur, eaque hinc per venam cavam ex hepate ad cor abire cogitur, unde per totum corpus diffunditur, cutemque, oculos & urinam potiſſimum colore flavo tingit.

XXIV.

Ejus curatio.

In *curatione* bilis & ſanguis tenax ac viſcidus iiſdem remediis, ut in cachexia, §. V. ad VIII. dictum eſt attenuandus ac reſolvendus, maxime ſalibus digeſtivis, Eſſentiis amaris, & infuſis radicum & herbarum attenuantium aquoſis, ad modum Theæ uſurpatis, quibus ipſis etiam conſtrictio hepatis moderatur, & icterus plerumque optime tollitur. Speciatim vero præter modo indicata, hic egregie proſunt radic. rhei, curcumæ, chelidon. majoris, dulcamaræ, (*a*) pimpinellæ albæ; herb. marrubb. alb. hepaticæ nobilis, linguæ cervinæ, capilli veneris, cardui benedicti, *Anima* ſeu *Eſſentia rhabarbari*, aqua poratæ cochleatim uſurpata, & denique *millepedes* vel in pulvere, vel electuario, vel ſuccus eorum expreſſus, cum regimine diaphoretico, ita enim particulæ ſanguinis & bilis viſcidæ ac ſtagnantes reſolvuntur, atque per ductus biliarios & cutim

(*a*) Hæc radix valde commendata eſt a *Pekkero* in Exercit. pract.

ſenſim expelluntur. Idem etiam obtineri poteſt legitimo *uſu aquarum medicatarum*, quæ hic quoque valde egregiæ. *Sapo* tandem bene præparatus & purus, ac præſertim venetus aut hiſpanicus a ℥ß. ad ℥j. bis terve in die exhibitus, non omiſſis infuſis aqueis laudatis, tam in ictero, quam aliis cachexiis atque obſtructionibus, ob vim ejus attenuantem, reſolventem ac diureticam, valde hic prodeſt. Ita etiam *cortex peruvianus* cum ſalibus neutris ſive mediis, tanquam inſigne ſpecificum in hoc morbo a quibuſdam valde laudatur. Vid. *Camerarii* de hoc argumento peculiaris diſſertatio.

XXV.

Si alvus hoc in morbo, ut plerumque fit, non rite ſuccedit, *dum feces albæ, duræ & ſiccæ*, ut in canibus plerumque eſſe ſolet, rhabarbarum vel in pulvere vel in Eſſentia aquoſa, vel in decocto ſive potiuncula, ſine vel cum foliis ſennæ, datum optime prodeſt: id quod etiam reliquis remediis, præſertim ſi morbus ab ira ortus eſt, ſæpius interponendum.

Quando icterum *æſtus & ſitis febrilis comitatur*, ſalibus digeſtivis, nitrum & antimonium diaphoreticum, addenda, potuſque ſufficiens aqueus temperatus commendandus.

Vomitoria, *purgantia* fortiora, *ſudorque*, tam per medicamenta calidiora, quam per regimen coactus, plerumque nocent; lenis vero ſudor ſeu transpiratio paullo auctior, mane, præſertim in lecto, aqueis præſertim calidis producta confert.

Diæta tenuis ac parca, quæ in aliis cachexiis convenit, cum *potu ſufficienti tenui*, itemque *motus corporis* frequens hic valde ſunt neceſſaria; *ira* vero ac *triſtitia* ut & quies nimia, ſunt fugienda.

XXVI.

De Scabie.

SCABIEM quoque, (quæ cachexiæ species est cum acrimonia) interne eadem fere remedia sanant, quæ contra cachexiam in universum §. V. ad VIII. proposita sunt: inprimis vero Essentiæ, pulveres & decocta vel infusa diaphoretica, ac speciatim Essentia fumariæ, helenii, scordii, alexipharmaca, succini, lignorum, ligni sassafras, Tinctura antimonii tartarisata, lapides cancrorum, antimonium diaphoreticum, antimonium crudum, & flores sulphuris parca dosi remixti, decocta radicum & lignorum, speciatim radicis lapathi acuti, cum regimine diaphoretico, non sudatorio, præmissis atque interpositis purgantibus ad materiam vitiosam evacuandam, quæ semper *mercurius dulcis* ingredi debet, egregie hic conducunt: hisque aliquamdiu, observata simul bona diæta, continuatis, levior scabies, sine externis etiam adhibitis remediis, sæpe cedit.

Scabiei cura.

XXVII.

Quod si vero hoc non fiat, *sed scabies* pertinacior sit, atque prædicta remedia per dies circiter quatuordecim adhibita fuerint, *externe* vel unguento ex sulphure & axungia porcina, vel quod fere melius adhuc est, unguento mercuriali partes affectæ, imprimis articuli, quotidie semel vel bis calide inungi, & mane rursus vel sapone, vel furfuribus ex amygdalis, præsertim amaris, vel decocto avenæ, vel aqua calcis vivæ, vel lixivio antimonii diaphoretici, aut lixivio sulphuris aqua calcis vivæ parato, aut decocto radicis lapathi acuti, vel enulæ, vel herba saponariæ aut scabiosæ, admixto pauco nitro antimoniato, tepide ablui

Pertinacioris.

lui possunt, continuatis interea prædictis purificantibus medicamentis internis, donec malum omnino cedat.

XXVIII.

Ferina curatio.

In *scabie maligna*, inveterata *sive ferina* interne etiam, præter dicta, medicamenta mercurialia, alterandi fine, ut mercurius dulcis, parca dosi, mane & vesperi, vel solus vel cum sulphure antimonii remixtus, cum fructu dantur; vel si ægri sint habitus *scorbutici*, succi recentes herbarum antiscorbuticarum, ut cochleariæ, nasturtii, acetosellæ, numulariæ, &c. cum jusculis carnium vel sero lactis mane dati & aliquandiu continuati, valde hic sæpe prosunt; quibus Essentia fumariæ cum spiritu cochleariæ parata, ante meridiem & circa vesperum optime jungitur.

XXIX.

Curatio scabiei venereæ.

In *venerea scabie* frequens & moderatus usus mercurii dulcis mane scilicet & vesperi, cum vel sine sulphure antimonii, purgationes mercuriales sæpe repetitæ, decocta lignorum ac radicum laudata, cum regimine diaphoretico paullo fortiori, præsertim mane in lecto, prædictæ essentiæ & unguentum aliquod mercuriale plerumque sufficiunt. Si vero malum gravius, aliaque adhuc morbi venerei symptomata adsint, curatio ut in ipsa lue venerea adhibenda.

XXX.

Vitanda in scabie.

In *omni scabie vitandum* est frigus, cibi salsi, aromatici, acres, caro suilla, aliaque sale vel fumo indurata, & nimia repletio, caveantque ægri, ne malum, partes prurientes sæpius aut vehementius scalpendo, exacerbent.

XXXI.

Retropulsa tractatio.

Quando *a scabie intempestive retropulsa symptomata oriuntur*, ut capitis dolores, difficilis respiratio, angustiæ præcordiorum, febres, epilepsia, asthma, &c. frigus vitandum; calor moderatus exter-

nus

rius & remedia diaphoretica cum decoctis lignorum in lecto sunt adhibenda: ut essentia quædam diaphoretica, & pulvis ex lapidibus cancrorum, antimonio diaphoretico, arcan. duplicat. cum parca copia mercurii dulcis & floribus sulphuris. Quod si vero ægrum *calor* simul *febrilis* scabie repulsa invasit, loco sulphuris pulveribus prædictis parum nitri admiscendum. *Nunquam igitur curatio affectuum scabiosorum externis*, præsertim mercurialibus aut sulphuratis incipienda, quia scabiem repellunt, & varia periculosa symptomata, immo ipsam mortem sæpe, præsertim in infantibus & debilioribus producunt.

Sanguineis & succulentis præsertim, scarificationibus alias jam assuetis, *scarificationes* quoque in scabie valde prosunt, quæ malum jam ad cutem propulsum melius educunt, quam Venæ sectio.

XXXII.

De Scorbuto.

Scorbutus quid.

SCORBUTUS est cachexiæ species, in qua sanguis spissus, quasi coagulatus sive grumosus & ad motum ineptus videtur, atque singularem corruptionem, & quasi putredinem, cum acrimonia, *modo alcalica* sive calida, *modo acida* sive frigida, *modo salsa*, concipit: unde dolores, maculæ rubræ aut lividæ in artubus, ulcera mali moris, fœtida, cruentationes & erosiones gingivarum ac dentium, os fœtidum, debilitas & lassitudo totius corporis, anxietates circa præcordia, aliaque symptomata proveniunt.

XXXIII.

Ejus divisio & caussa.

Dividi, mea quidem sententia, optime potest in *alcalicum* sive calidum; *acidum* sive frigidum, & *salsum*, ubi ægris sapor salsus semper in ore adest.

adest. *Caussa scorbuti calidi* sive *alcalini* est nimia copia salium alcalinorum in sanguine, eoque calidioris temperamenti homines corripiuntur, itemque illi, qui in calidiores, remotiores regiones iter per mare faciunt: ubi salia sanguinis per calorem nimium in alcalica transmutantur, quæ deinde effectus scorbuti producunt. E contrario *Scorbutus frigidus* sive *acidus* in frigidioribus potissimum regionibus dominatur, & non solum harum incolas, ac præsertim qui circa maritima loca habitant, invadit, verum etiam qui navibus longinqua itinera per mare in boreales regiones faciunt; ubi tamen præcipue illos affligit, qui otio indulgent & corpus non satis motu aut laboribus exercent: quibus caussis cibi crassiores & potus assumti in ipsis quasi acescunt, atque sic acrimoniam acidam, una cum viscido, in sanguine producunt. *Scorbuti salsi* caussa videntur quammaxime cibi salsi, & cumprimis frequens ac nimius usus salis, itemque carnium & piscium sale marino conditorum, qui sensim efficiunt, ut sal salsum sive muriaticum in corpore ac humoribus prædominium adipiscatur.

XXXIV.

Diagnosis & prognosis.

Præter signa generalia in §. 32. indicata, *alcalicus* ex calore p. n. rubore faciei, oris & labrorum; frigidus sive *acidus* ex sapore, sudore & ructibus acidis, labris & oris parte interna pallida, alba vel cœrulescente, pallore & frigore corporis cognoscuntur. In *salso* vero scorbuto sapor salsus fere semper in ore adest. Quo leviora vero vel graviora symptomata adsunt, eo facilius vel difficilius curatur.

XXXV.

Curatio generalis.

In *curatione*, generatim viscidum & acre corrigendum, atque impurum per sudorem & urinam expellendum. Quem in finem generatim prosunt decocta & infusa aquosa, diaphoretica, in scabie laudata, & inprimis decoctum radicis cichorii, lapathi,

thi, bardanæ, scorzoneræ, sassaparillæ, chinæ & ligni sassafras, si modo corpus contra frigus probe muniatur, in perpetua transpiratione conservetur, ac frequenti motu exerceatur. Cibus vero parcus ac potus tenuis, aquosus sive temperatus sufficienti quantitate assumatur, præsertim in scorbuto calido & salso. *Aquarum tandem* vel *medicatarum* vel & *simplicium purissimarum usus* legitimus, per plures dies aut hebdomades continuatus in quocunque scorbuto *præstantissimus* est: quia optime diluunt viscidum atque omnem acrimoniam egregie corrigunt, temperant atque eluunt, ita tamen, ut in sanguineis, calidioribus & robustis, prægressa Venæ sectione, magis acidularum, Pyrmontensium nimirum, Sualbacensium, Egranarum, Spadanarum, &c. in frigidioribus vero ac debilioribus aquarum temperatiorum, ut Selsenensium; vel Thermarum, ut Emsensium, vel Wisbadensium, Carolinarum, Aquisgranensium, usus, & quidem in his calidus, in illis frigidiusculus fere præferendus videatur.

Curationes per aquas.

XXXVI.

Speciatim vero in iis, qui calidioris sunt temperamenti, sive *scorbuto calido laborant*, utpote in quibus acrimonia alcalica peccat; præter remedia temperantia & diluentia generalia, conducunt quoque & alia moderata *medicamenta acidula*, ut acetosa, acetosella, succus citri, aurantiorum, pomorum sinensium, cerasa, fraga, rubi, ribesia aliique fructus horæi, maturi, grate acidi. Præterea *tincturæ acidulæ*, ut rosarum, florum bellidis, aquilegiæ, papaveris rhead. itemque condimenta & embammata acidula, ac denique nitrum & nitrum antimoniatum, cum pulveribus temperantibus, succo citri aut limonum, vel aceto saturatis subinde data; vitando omnis generis calefacientia & spirituosa, atque imprimis antiscorbutica calidiora, ut cochleariam, nasturtium, raphanum rusti-

Curatio specialis scorbuti calidi.

sticanum sive armoraciam, sinapi, aromata, & inde parata. Prodest his etiam egregie *potus seri lactis*, lactis ebutyrati, præsertim verno tempore, mane quotidie ad libram unam vel alteram hausti; vel & *aquæ medicatæ* aliæve puræ frigidæ, legitime usurpatæ.

XXXVII.

Scorbuti frigidi.

In *frigidioribus* vero, sive *qui frigido scorbuto* laborant, qui septentrionalibus valde familiaris est, populis, & in quo *acidum* ac *viscidum* præcipue peccare videntur, stricte sic dicta *antiscorbutica acriora*, sive *alcalica*, ut cochlearia, nasturtium, lepidium, beccabunga, chelidonium minus, sedum acre vermiculare, raphani quicunque & præsertim rusticanus dictus, sinapi, cepæ & allium in substantia, jusculis medicatis & in cibo conveniunt. Ex præparatis vero imprimis hic conducit vel spiritus cochleariæ, vel Essentia fumariæ cum spiritu cochleariæ parata, aliquoties in die usurpata, itemque amara quæcunque & præparata ex eis, vel in forma infusi, aquosi vel vinosi, essentiæ vel extracti: ut fumaria, trifolium fibrinum, carduus benedictus, chærefolium, radic. cichorii, lapathi acuti, chinæ, sassaparillæ, vel etiam in forma decocti, interpositis subinde lenibus laxantibus. Præterea etiam ex *prædictis herbis antiscorbuticis, acribus, succus recens expressus*, ad cochlearia duo vel tria conducit, vel si cum jusculo carnis tenuioris prius coquantur jiscula medicata fiunt efficacissima, si quotidie per aliquod tempus, subjuncto motu, matutino tempore, usurpantur. Speciatim vero & *cochlearia* & *nasturtium* vel in succo, ut modo dictum est, vel tenuiter tantum dissecta, cum vel sine pauco saccharo, utilissime sæpe ab his comedi possunt: quibus omnibus vero aliquamdiu cum debito regimine & diæta continuandum. Essentiæ lignorum, ligni sassafras & tinctura antimonii tartarisata hic quoque, ut in ple-

pleriſque ſanguinis impuritatibus, valde egregiæ ſunt.

XXXVIII.

Scorbuti ſalſi.

In ea denique *ſcorbuti ſpecie*, quæ *ſalſa* dici ſolet, *ubi ægri continuo ſalſum ſaporem in ore percipiunt*, præter aquas medicatas modo laudatas, aut ſimplices alias puriſſimas, rite præparatæ *aquæ calcis vivæ* legitimus uſus internus ac diuturnus, a libra una ad duas eam quotidie mane, immo & circa veſperam bibendo, pro ſummo ſpecifico merito habetur, vitando ſimul abuſum ſalis, carneſque & piſces ſalitos.

XXXIX.

Stomacaces.

Contra ſtomacacen ſive gingivarum eroſionem ac cruentationem, una cum laudatis internis medicamentis, externe utiliter adhibetur Tinctura gummi laccæ, qua gingivæ mane & veſperi leniter fricantur; vel Eſſentia myrrhæ aut ſuccini; vel mel roſarum ſpiritu ſalis vel ſucco citri leniter acidulatum, vel *ſal culinare* leviter contritum, quo dentes eadem ratione bis vel ter in hebdomade blande fricantur, quod ultimum etiam dentium ſordes ac putredinem egregie expurgat. Ita & *myrrha* ſæpius manducata & aliquandiu in ore detenta, immo & ſi dentes ea fricantur, contra hæc oris vitia perquam utilis eſt; vel electuario ex myrrha, ſanguine draconis, radice biſtortæ, nuce moſchata & pauco alumine crudo vel uſto, cum melle roſato parato, gingivæ ſubinde graviter detergantur. *Salvia* etiam ejuſque infuſum aqua vel vino, præſertim rubro utiliter pro abſtergendis ſæpe gingivis putridis cum fructu adhibentur. Si *myrrha* & *terra japonica*, vel *roſmarinum* & *muſcus pruni ſylveſtris* in vino rubro decoquuntur, eiſque gingivæ ſæpius eluuntur, egregie quoque eas mundant ac gingivas firmant.

X L.

Macularum scorbuticarum.

Ad maculas scorbuticas abigendas, interne laudata diaphoretica, infusa nimirum calida radicum, herbarum & lignorum, Essentia alexipharmaca, lignorum, M. S. pulveres diaphoretici cum evitatione frigoris, lenique subinde sudore mane in lecto excitato, adhibenda, & si forte post horum usum aliquandiu continuatum non evanescant, externe aqua calcis vivæ, calide quotidie pauco spiritu vini camphorato acuata, ablui possunt; vel etiam unguento ex mag. marcasitæ, mercurio præcipitato albo & ungento rosato, vel etiam ex duobus ultimis solis paratum his maculis vesperi inungi.

X L I.

Diæta scorbuticorum.

In *Diæta*, scorbutici calidi, omnia calefacientia, acria, salsa, aromatica, & spirituosa; *frigidi contra*, acida refrigerantia, utrique vero crassa & quæ difficulter concoquuntur, nimiamque alimentorum copiam vitare debent: & quoniam *sæpe plethora concurrit*, præsertim in calido, Venæ sectio vere & autumno & præservandi & curandi scopo utiliter adhibetur. *Frigidi etiam vitent*, quantum fieri potest, *aerem frigidum* & humidum, quærantque contra calidum & siccum, atque aromatibus & antiscorbuticis in cibis, ut zingibere, sinapi, cinamomo, cardamomo, caryophyllis, mace, nuce moschata, pipere, armoracia, nasturtio, cochlearia, aliisque moderate calidis modice utantur; *calidiores* vero contrarium observent.

X L I I.

Scorbutus & L. V. non confundenda.

Denique *vitanda est scorbuti & luis venereæ confusio*: hæc enim, licet varia signa ac symptomata cum scorbuto habeat communia, tamen antiscorbuticis plerisque, præsertim acrioribus, non curatur, sed potius exacerbatur; ille vero, & cumprimis alcalicus sive calidus, plerumque per mercurialia, præsertim fortiora, itemque per purgantia ac sudorifera valentiora redditur deterior. Ubi

ve-

vero complicata sunt lues venerea & scorbutus, ut sæpe fieri solet, illa suis medicamentis prius aggredienda atque expurganda, & postea quoque scorbutus, nisi jam simul ut sæpe fit, illius remediis sublatus sit. Tandem adhuc indicare volui, quod *bona diæta* §. 41. indicata, *motus frequens corporis*, & *potus sufficiens temperatus*, præsertim aquosus, præcipua sint scorbuticorum tam ad præservandum quam curandum remedia atque asyla.

XLIII.

De Morbis Venereis.

Morbi venerei & I. Gonorrhœa.

MORBI VENEREI præcipui sunt *Gonorrhœa*, & ita dicta *Lues venerea* cum suis symptomatibus, ad quas cæteri omnes referri possunt. GONORRHOEA vero est vel *benigna* vel *maligna* sive *virulenta*. *Benigna* dicitur fluxio seminalis materiæ ex urethra, quæ sine dolore & inflammatione; sed potius a laxitate, debilitate, sive *atonia glandulæ prostatæ*, *vesicularum seminalium*, *aut ductulorum* in urethra MORGAGNI; vel ab exulceratione post gonorrhœam virulentam relicta provenit; oriturque vel sine contagio impuro venereo, a nimio coitu, nimiis pollutionibus, aut aliis nimiis seminis profusionibus quibuscunque; vel post gonorrhœam virulentam vel frequentiorem, vel diuturniorem, non satis curatam, veneno licet venereo destructo aut sublato. *Virulenta* contra, sive *maligna* inflammationem, dolorem & exulcerationem in urethra, a contagio venereo sive coitu cum impura sive lue venerea affecta contractam, pro caussa habet, dolores hinc acerbos creat, cum ardore vehementi in urethra, præsertim quando ægri urinam emittunt, atque materia excreta purulenta, virescens &

quandoque ſanguinolenta exiſtit. Superveniunt ſæpe *inflammatio & tumor præputii*, *tumores teſticulorum dolorifici*, *bubones* in inguinibus, [*poulains* Gallis] ulcera in præputio, aut glande penis, *chancres* vulgo dicta, *priapiſmus*, *phimoſis*, *paraphimoſis* aliaque mala, immo haud raro *ipſa lues venerea*, præſertim ſi vel negligitur, vel non rite curatur. Atque ex his *diagnoſin & differentias utriuſque gonorrhœæ*, una cum parte prognoſeos patere exiſtimo, & hoc ſolum hic adhuc addimus, quod *gonorrhœa benigna inveterata utplurimum difficilius quam maligna & recens curationem admittat*, ob partes læſas nimium quantum relaxatas ac debilitatas, adeoque & ab hac curationem noſtram auſpicabimur, atque de benigna deinceps acturi ſumus.

XLIV.

Curatio virulentæ.

In *curatione igitur virulentæ* ad expurgandum virus venereum incipiendum a *potu frequenti* ptiſanæ tenuioris, temperantis, ſirupo dialtheæ parum edulcoratæ, atque idoneis *purgantibus*, iiſque aliquoties repetitis, vel ex pulv. jalappæ idonea copia, vel extract. panchym. Croll. vel ex pulpa Caſſiæ, [quibus ſemper mercurius dulcis, tanquam præſtantiſſimum gonorrhœæ antidotum, apta portione, admiſcendus] conſtantibus. Deinde ulterius pro corrigenda ac deſtruenda materia virulenta bis in die vel ſæpius *decoctum* ex radicibus antivenereis, ſed abſque regimine ſudorifero, aſſumant, ac ſimul cum hoc præſertim in frigidioribus, Eſſentiæ & Tincturæ, quæ in ſcabie & ſcorbuto laudatæ ſunt, propinentur. Inprimis vero hic valent Tinctura antimonii tartariſata, Eſſentia lignorum, pimpinellæ albæ & Succini. *In calidioribus* vero ac *ſanguineis* pro dolore, priapiſmo moleſtiſſimo, & ardore mitigando *ſanguis mittendus*, & pulvis temperans ex lapidibus cancrorum citratis, conchis aceto præparatis, nitro & camphora

ra compositus sæpius exhibendus, eisque interposito subinde, quovis, verbi gratia, triduo, conveniente purgante, per duas circiter hebdomadas vel diutius, pro symptomatum gravitate continuandum, donec fluxus seminalis vel purulentus, dolor aliaque symptomata valde remittant, vel omnino cessent.

XLV.

Quid subacto veneno venereo agendũ.

Quod si vero, ardore & dolore cessante, fluxus tamen materiæ albæ blandæ adhuc continuet, id quod virus subactum & destructum indicat, tunc *specifica fluxum hunc sistentia*, præsertim os *sepiæ* sæpius parca dosi exhibeatur, & vel cum Essentia balsamica vel balsamo copaivæ aliquandiu continuetur, donec omnino cesset. Servanda vero simul diæta tenuis, vitanda venus, vinum, spiritus vini, motus vehementior & omnis excessus. Pro *ordinario potu* inservit vel ptisana, vel simplex decoctum hordei aut avenæ, præsertim sirupo dialtheæ modice edulcatum.

XLVI.

Quid in malo contumaci.

Quod si malum contumacius, cuivis dosi pulveris ossis sepiæ, sacchari saturni, gr. i. ij. vel in robustioribus tria admisceantur; aut *pilulæ Blancardi* contra gonorrhœam, ex gumm. elemi, mastichis ā ʒij. & terra catechu ℈j. constantes, a ℈ß. ad ℈j. vesperi quotidie vel alternis diebus cum fructu usurpantur, immo & prædicto pulveri adiungantur. *Injectiones in urethram* principio lenientes, ex lacte vel decocto hordei aut avenæ cum melle rosarum; circa finem vero adstringentes & roborantes, ex aqua plantaginis & calcis vivæ cum saccharo saturni, vel lapide medicamentoso Crollii, aut pauco spiritu vini camphorato remixta cum fructu adhibentur.

XLVII.

Tumores præputii, & testium.

Bubones & ulcera venerea, præputii & testium tumores, aliaque hujus morbi symptomata, interne co-

eodem, ut gonorrhœa recens, modo, tractanda; externa vero curatio ex Chirurgia nostra prolixius peti potest: interea tamen præcipua hic trademus. Igitur si *inflammatio vel tumor præputii*, quæ sæpe vel *phimosin* vel *paraphimosin* constituere solent, adest levior, egregie discutitur, si spiritus vini vel simplex vel maxime camphoratus, tepide sæpius illinitur, cavendo, ne partes forte erosæ eo tangantur, eoque ipso dolores vehementiores moveantur; aut fomentum cum splenio sæpius applicetur ex aqua calcis vivæ, pauco spiritu vini camphorato roborata, addita cerussæ præparatæ, vel lithargyrii portione. *Sin vero jam vehementior*, aut prædicta parum sunt, unguentum album camphoratum, admixto pauco mercurio vivo, aut præcipitato albo, sæpius illinatur, & subinde decocto calido ex emollientibus & resolventibus cum lacte parato aliquamdiu foveatur, vel eidem tepidæ penis per aliquod tempus immittatur, donec tumor dispareat.

XLVIII.

Ulcera penis.

In glandis aut præputii erosione sive ulcere [*chancre*] aqua calcis vivæ pauco mercurio dulci vel præcipitato albo roborata, subinde abstergatur, & deinde oleum ovorum & philosophorum, partibus æqualibus mixtum, applicetur, quod *oleum philosophorum etiam fungosas horum ulcerum excrescentias*, consolidationem impedientes, quia lenissimum septicum est, tollit. Ita & unguentum ex mercurio vivo, terebinthina, quantum sufficit, subacto, & unguento rosato paratum, aliave unguenta ex mercurio confecta egregie hic conducunt.

XLIX.

Bubones.

Si ex gonorrhœa nimis cito per adstringentia suppressa, *bubones* aut *testiculorum tumores* orti, illa purgationibus sæpe repetitis ope mercurii dulcis, decoct. lignorum, & Essentia succini, alexipharm. vel pimpinell. alb. revocanda, & postea, ut § XLIV.

pro-

propoſitum eſt, curanda. *Externe* vero bubones ſæpe fricandi unguento mercuriali gryſeo, atque Emplaſtr. diachyl. cum mercurio vivo roboratum ſupperaddendum. *Si vero jam in abſceſſum vergunt*, emplaſtro diachylo cum gummis, vel de meliloto ſuppurandi, atque ut in Chirurgia docuimus, aperiendi ac perſanandi.

L.

Teſticulorum tumores.

Teſticulis vero tumidis vel aqua calcis vivæ cum ſpiritu vini camphorato & ceruſſa, ſplenii beneficio calide imponenda, vel cataplaſma ex mica panis cum lacte & croco cocta paratum; vel decoctum oryzæ ſpiſſum cum lacte, aliudve ſimile ſupra dandum; & ſi tumor valde rurſus imminutus eſt, reliquum emplaſtro de ranis cum mercurio vel diaphoretico *Mynſ.* vel de cumino, optime reſolvitur; uſurpatis ſimul internis modo §. præcedenti laudatis.

L I.

Gonorrhœa benignæ curatio.

In GONORRHOEA BENIGNA, quæ difficilius plerumque, ut dictum eſt, ſanatur, quam maligna, ad difflandum ſerum ſuperfluum parteſque laxas roborandas, conducunt frequens motus corporis, decocta lignorum cum radice tormentillæ vel biſtortæ ac pimpinellæ albæ parata, & Eſſentia lignorum, pimpinellæ albæ, ſuccini, alexipharmaca, aliquoties in die hauſta, interpoſitis ſubinde laxantibus mercurialibus & ſpeciatim pilulis noſtris polychreſtis, aliiſve ſimilibus. Quibus poſt aliquod tempus, ſi prædicta non ſufficiant, fortiora roborantia & moderate adſtringentia adjungenda ac ſubjungenda: ut pulvis ex oſſe ſepiæ & croco martis, vel pilulæ Blancardi contra gonorrhœam ſupra §. XLIV. laudatæ, itemque Tincturæ martiales aut Mixtura tonica, ex Tinctura tartari cum ſpiritu C. C. remixta; vel & infuſum vinoſum ex roborantibus, ut radic. biſtortæ, tormentillæ, pimpinellæ cum cortic. aurantiorum,

ac præſertim etiam caſcarillæ confectum. *Externe* injectio roborans ex aqua calcis vivæ cum pauco ſacchari ſaturni in urethram, vel ex aqua calcis vivæ, vel plantaginis cum pauco ſpiritu vini camphorato ſupra jam laudata, valde etiam hic conducit. *Diæta* ſimul ſit parca, ſiccans & roborans; bibant ſubinde vinum *Pontac* dictum, vel aliud ſimile modice adſtringens; vel etiam illud cum aqua mixtum divitibus pro potu ordinario concedi aut ſuaderi apte poteſt. Denique etiam opus eſt, ut ægri illo tempore a venere abſtineant, donec curati ſint, atque etiam poſtea frequentiorem venerem diu evitent.

LII.

De Lue venerea.

Lues venerea.

LUES VENEREA eſt cachexiæ ſpecies, in qua ſerum ſanguinis ſingularem craſſitudinem & acrimoniam, ut plurimum, a contagio per impurum congreſſum ſuſcepit: unde ſtagnationes, dolores capitis & artuum præſertim noctu ingraveſcentes, artuum laſſitudines, maculæ rubræ & cruſtæ ſive & ſcabies in variis partibus, præſertim in facie, fronte & capite, tumores, eroſiones & ulcera partium mollium æque ac durarum, inprimis in partibus genitalibus, labris, palato, faucibus, & naribus, eveniunt, ita tamen, ut horum ſymptomatum modo minor, modo major copia adſit. *Sæpius ſequitur gonorrhœam*, vel in mulieribus *poſt fluorem album virulentum*, intempeſtive ſuppreſſum aut neglectum; vel quod frequentius, *bubones* aut *ulcera venerea* [*chancres*] in partibus genitalibus neglecta aut male tractata; unde fermentum ſive virus venereum totam maſſam ſanguineam ipſaſque partes ſolidas inficit ac lædit.

LIII.

LIII.

Dividi apte poteſt hæc Lues *in leviorem & vehementiorem*. LEVIOREM vocamus gradum, ſi malum tantummodo in humoribus adhuc exiſtit, & laſſitudine, torpore, doloribus capitis & artuum, nocte ingraveſcentibus, tetro faciei colore, maculis lividis, ſcabie capitis aut frontis, vel etiam bubonibus, aut levioribus ulculculis in partibus genitalibus vel faucibus, &c. ſe manifeſtat. *Sin vero partes ſolidas*, ut fauces, uvam, palatum, naſum, penem & præcipue oſſa palati, naſi aut cranii jam invaſit, & quidem jam vehementius, ita ut vel uva exeſa, vel ſeptum naſi aut palatum eroſum, vel omnino jam perforatum, tumoreſque hinc inde ſive nodi venerei, & graviores aliæ exulcerationes oriuntur, *gradus hujus morbi eſt vehementior*, periculoſior, curatuque longe difficilior: immo quo plura & pejora adſunt ſymptomata & læſiones, quo diutius jam duravit, quo corpus magis extenuatum ac conſumtum, & quo magis jam vires deſtructæ, eo difficilius curatur, aut quandoque, præſertim ob virium defectum, prorſus eſt inſanabile. Qui a juventute ſive a matre, ſive a nutrice impura jam infecti ſunt, omnium difficillime, aut prorſus non curantur.

Ejus diviſio.

LIV.

In *curatione* igitur Luis venereæ virus venereum eſt expellendum, deſtruendum, & cachexia illa peculiaris corrigenda: id quod in leviori, vel ſaltem non adeo vehementi gradu, *ſine ſalivatione* & ſolum attenuantibus, ſudoriferis, maxime decoctis lignorum, ut ligni ſaſſafras, guajaci, juniperi, radicis ſarſaparillæ, chinæ, bardanæ, pimpinellæ albæ, ut & herba ſaponariæ, mane & circa veſperam, vel ſæpius larga ſatis copia datis, præmiſſis & interpoſitis ſæpe purgantibus mercurialibus, haud raro obtineri poteſt; cum qui-

Curatio gradus levioris.

quibus tamen decoctis Tincturæ antimonii tartarisatæ, Essentiæ lignorum vel pimpinellæ, &c. majoris efficaciæ caussa apta dosis semper exhibeatur, adjuncto regimine diaphoretico aut blande sudorifero, mane vel in lectulo, vel quod nonnullis magis placet, in stuphis aut arculis sudatoriis. Certius tamen & melius succedet curatio, si simul singulis vel alternis diebus parva dosis mercurii dulcis vel panaceæ mercurialis exhibetur; vel & quotidie unguento mercuriali tarsi ac malleoli pedum itemque flexuræ cubiti probe fricantur, iisque prudenter continuatur, (vitando salivationem) donec symptomata sublata sint. *Frigidioribus*, phlegmaticis & succulentis temperamentis pro decoctis illis magis ligna; *calidioribus* vero & macilentioribus, radices & herbas laudatas, tanquam temperatiores, præscribere soleo, & pro potu ordinario decoctum secundarium harum radicum, vel & ptisanam.

L V.

Gradus gravioris.

In graviori aut inveterato malo maxime ubi partes genitales, fauces, palatum, nasus, frons, immo ossa jam erosa, tumores duri & dolores osteocopi fixiores, &c. adsunt, *sudorifera hæc cura sæpe non sufficit*, sed vel fortior usus mercurialium, verum absque *salivatione*, attamen ad instantem usque salivationem, vel ipsa *salivatio mercurialis* requiritur, quæ medicamentis vel internis vel externis solis, vel ambobus combinatis, eaque vel leniori vel fortiori modo, excitari potest. *Utrique præmittenda* una aut altera *lenis purgatio* mercurialis, ususque aliquot dierum decocti lignorum ac radicum primarii & secundarii, modo laudatorum, largus, itemque diæta moderata tenuis, atque in plethoricis quoque sanguinis missio.

L V I.

Quomodo salivatio instituenda.

Sique deinde *internis salivationem excitare lubet*, mercurii dulcis [qui inter *mercurialia securissimus* mihi

mihi videtur, Jgran. V. VI. VIII. vel X. pro ſubjectorum diverſitate, bis, terve in die, ſub boli, pilularum, vel pulveris forma ægris exhibeantur, donec tumor faucium & gingivarum, anima fœtida, exſpuitio crebrior, aliqualis eroſio linguæ, labrorum, genarum, & gingivarum, dentiumque vacillatio, tanquam lenis ſalivationis ſigna appareant; quæ ſi incidunt, ab uſu mercurii deſiſtendum, & interea decocto & priſana apta continuandum, donec fluxus ſalivæ ſufficiens ſenſim ſequatur; & ſi poſtea quotidie libræ duo vel libræ tres circiter intra horas XXIV. exſpuantur, ſufficit: atque ſic per hebdomades tres, quatuor, quinque vel ſex, donec ſymptomata, maxime dolores, tumores & ulcera valde ſint imminuta, aut prorſus evanuerint, continuetur, exhibendo ſubinde, ſi minui ſalivatio videtur, circa veſperam, aliquot grana mercurii dulcis vel panaceæ mercurialis: atque hoc modo ſalivatio per ſat longum tempus continuanda: nam brevi tempore in graviori malo curatio plerumque abſolvi recte nequit, ſed malum ſi non ſatis diu continuatur facile poſt hanc curationem recrudeſcit.

LVII.

In nonnullis laudata *mercurialia ſalivationem haud producunt*, ſed parum ſunt, præſertim in robuſtioribus; quibus in caſibus, ſi aliquamdiu fruſtra adhibita fuerunt, ſingulæ doſi mercurii dulcis aut panaceæ, *turpethi mineralis* gran. ij. vel iij. admiſceo, ſic plerumque brevi inde ſuccedit; ſed his deinde in caſibus iiſdem remediis etiam ſalivatio, ſi minui incipit, eſt continuanda, quamdiu malum eam exigit.

LVIII.

Quid poſt ſalivationem agẽdum.

Poſtquam ſic ſymptomata maxima ex parte vel in totum evanuerunt, decocta ſudorifera aliquamdiu cum regimine diaphoretico ſunt continuanda, ad malum radicitus exſtirpandum, interponendo ſimul

mul subinde vesperi pauca grana mercurii dulcis, ad lene salivationis vestigium adhuc aliquamdiu conservandum, donec omnia mala sublata sint.

L I X.

Quomodo per externa excitetur.

Si vero externis salivationem instituere placet medicamentis, unguentum mercuriale, ex mercurio crudo & axungia porcina paratum, inungitur primo quotidie bis aut ter calide tarsis pedum, malleolis & suris, singula vice fabæ aut phaseoli magnitudine, & quidem melius ab ægro ipso quam ab alio, ad ignem vel fornacem, linteo postea involvendis, & si post alterum tertiumve diem nulla adhuc salivationis signa adsunt, etiam flexuris cubiti, immo & parotidibus sub auribus, æger mercurium inungat, partes unguento illo probe ac calide fricando, *donec salivatio sequatur sufficiens*; ubi ab inunctione abstinendum, quamdiu saliva satis fluit: quæ vero fricatio cum unguento mercuriali, quoties salivatio minuitur, vesperi iteranda, involutis semper partibus inunctis per lintea & fascias, atque sic circumspecte continuandum, ut antea dictum, donec malum sublatum est.

L X.

Quomodo utraque ratione.

Quando internis & externis remediis simul salivationem producere volumus, quotidie semel vel bis parva dosis mercurii dulcis exhibetur, & simul semel vel bis fricatio pedum & crurum vel & cubitorum, si lubet, instituitur, eisque continuatur, donec salivatio sequatur. Nonnulli etiam spinam dorsi unguento mercuriali fricant; verum quia hoc facile varia damna producere potest, & antea §. 59. descripta satis efficax est, ab hoc abstinendum esse censeo.

L X I.

Quid durante salivatione faciendū.

Interea dum hæc fiunt, atque durante etiam salivatione, os sæpe aqua calida aut *gargarismate* emolliente eluatur, *potus* assumatur sufficiens, aquo-

aquosus, diluens, ut mane & a meridie decoctum aliquod radicum & lignorum huic morbo contrariorum, reliquo diei tempore vel decoctum hujus secundarium, vel ptisana aut decoctum hordei cum passulis, vel cum liquiritia & semine anisi aut fœniculi paratum, immo & cerevisia tenuis bonæ notæ, quandoque, si eam anxie desiderant, concedi potest, itemque Thea & Coffe: sed si æger forte, ut sæpe contingit, temporis tractu fiat debilis, interponi subinde potest mixtura ex aquis cordialibus, vel emulsio similis, itemque gelatinæ roborantes, sique æger a lacte non abhorret, decoctis prædictis semper aliquid lactis calidi admisceri, immo lac cum pane triticeo calide pro cœna, immo & pro prandio cum fructu dari apte potest, præsertim macilentis & debilibus.

LXII.

Diæta.

Diæta sit parca & tenuis, ex solis fere jusculis, ac, si plus appetant, cibis mollioribus sive facilis digestionis constans; vitentur vero aromata, salsa, acida, cruda & crassiora, caro suilla, lardum, legumina, olera duriora, repletio nimia, ac frigus, corpusque semper in aere temperato ac leni diaphoresi conservetur, quamdiu salivatio durat, corpusque & mens sint tranquilla.

LXIII.

Cautela.

1. *Si salivatio oriatur nimia*, & fauces nimis quantum intumescunt, ita ut periculum suffocationis inde immineat, mox vel clysma forte, vel purgans aliquod paulo vehementius, sed sine mercurio, ad affluxum ad fauces nimium revellendum, exhibeatur, idque, si opus, repetatur, donec rursus detumuerint.

2. *Quando una salivatio morbum non omnino sustulit*, aut ob ægri impatientiam vel debilitatem satis diu continuata non est, post aliquod tempus, vel etiam redeuntibus venereis symptomatibus,

tibus, repeti potest; præsertim si æger robustus, & salivatio prior facile successit.

LXIV.

De usu salivationis in aliis morbis.

Denique notandum *salivationem non solum contra morbos venereos prodesse*, verum etiam in multis aliis morbis pertinacibus & gravibus, ut amaurosi, cataracta, ulceribus rebellibus, scabie pertinaci, tumoribus, &c. sanandis adhiberi posse.

LXV.

Symptomata morbi venerei.

Scirrhi, Tophi sive nodi venerei sub usu laudatorum medicamentorum antivenereorum & cumprimis salivationis, plerumque digeruntur ac dissipantur, præsertim si nondum inveterati, & si sub ea simul empl. vigon. cum duplo vel triplo mercurii, vel diachylum cum mercurio superimponitur, & unguento mercuriali tractantur. Sin vero dissipatio, uti quandoque contingit, obtineri non possit, *tophi scalpello aperiendi, mercurio præcipitato rubro, unguentis admixto, mundandi*, ac postea, ut ulcus, consolidandi. *Scirrhi* vero quando resolvi nequeunt, si tuto id fieri potest, & ægri ab iis liberi esse volunt, excindendi.

Ulcera venerea externa curatione generali sæpe simul sanantur, sine peculiari sæpe ad ea attentione. Interea tamen melius agimus, si ea simul mundantur mercurio præcipitato rubro, unguento basilico vel *digestivo* modice intermixto, vel aqua phagedenica, & dein vel unguento mercuriali, vel essentia lignor. vel succini, myrrhæ aliave simili sanantur.

Ulcera faucium venerea, præter curationem internam, sæpius abstergenda decocto lignorum, Essentia succini & myrrha imprægnato; vel decocto herbæ cujusdam vulnerariæ, melle rosarum & spiritu vitrioli imprægnato, vel etiam hoc melle & spiritu subinde solo. Si vero *malum ossa palati arrosit* oleum caryophyllorum, cum oleo ovorum temperatum, sæpe adhibendum.

Ulcera nasi venerea requirunt, ut turundæ, aqua calcis vivæ, mercurio dulci impregnatæ, sæpius imbuantur, & in nares immittantur; vel ut unguento mercuriali subinde quoque illinantur, curatione simul interna laudata rite adhibita, utpote sub qua ut plurimum glutinari solent.

Verrucæ & excrescentiæ venereæ circa partes genitales spiritu vitrioli vel salis, vel pulvere herb. sabinæ, cum mercurio præcipitato rubro vel lapide infernali, si prædicta curatio accedat interna, auferuntur, sine hac vero perfecte vix curantur.

LXVI.

De Fluore albo.

Fluor albus ejusque divisio.

FLUOR ALBUS *mulierum* quoque cachexiæ species est, & quasi *coryza uteri*, sive *gonorrhœa mulierum*, atque hinc quoque in *benignum* & *malignum* sive venereum, aut virulentum dividi solet.

In *benigno*, serosa magis aut mucosa & plus minus rodens est materia effluens; sed sine aliis indiciis luis venereæ; *in maligno* vero sive *venereo*, purulenta, viridescens, flavescens, versicolor, magis fœtida, & magis erodens effluit, aliisque luis venereæ sæpius comitatur symptomatibus, temporeque mensium fluere non intermittit; quæ vero in benigno tunc intermittere solet.

LXVII.

Curatio interna benigni.

Ratione curationis *fluor albus benignus*, præsertim qui jam diu duravit, ob partes nimium quantum relaxatas curatu difficillimus est, attamen ad eum tollendum in plethoricis revulsionis gratiæ Venæ sectio instituatur in brachio; quæ vero in pituitosis nocet, adeoque intermittenda. In utroque autem casu *ad seri supervacui*, quod hic peccat, *evacuationem* & *revulsionem curatio*

ido-

idoneis purgantibus, admixtis ſerum corrigentibus, vaſaque ſimul roborantibus, eſt inchoanda, *inprimis vero vino quodam medicato*, quotidie apta copia per aliquod tempus, ex herbis & radicibus uterinis balſamicis & aromaticis parato, ut herba meliſſæ, roſmarini, marrubii, abrotani, radic. ariſtolochiæ, cichorii, caryophyllatæ, helenii, pimpinellæ albæ, leviſtici, rhabarbari, hellebori nigri, & foliis ſennæ parato; vel pilulis balſamicis Beccherianis, aliiſve ſimilibus, per plures dies apta doſi uſurpatis. Poſtea autem pro cachexia viſcida & lympha corrigenda, tonoque partium relaxatarum rurſus roborando, diuturnus uſus Eſſentiæ ſuccini, cui parum Eſſentiæ myrrhæ additum ſit, præſtantiſſimus eſt, ſi quotidie bis vel ter aſſumatur ex infuſo aqueo herbæ meliſſæ, vel roſmarini, vel millefolii, &c. vel his & ſimilibus combinatis. His utrumque ob ſcopum interponantur adhuc ſæpius pilulæ balſamicæ Beccherianæ, aut aliæ ſimiles. Denique quando multum hic fluxus imminutus eſt, & prædictis omnino tolli nequeat, id quod tamen haud raro contingit, interne loco præcedentium, paullo *fortiora roborantia* & quidem martialia præſtantiora ac probatiora, ut Tinctura vitrioli martis Zwœlff. Tinctura martis aperitiva Ludovici, Tinctura martis cydoniata, aut crocus martis aperitivus loco priorum uſurpanda.

LXVIII.

Curatio externa. *Externe* vero ex herbis nervinis, uterinis & ſubadſtringentibus balnea ſive *inſeſſus*, immo in malo rebelliori, *injectiones* quoque cum vino rubro ex ſimilibus paratæ, in vaginam uteri aliquoties in die fieri poſſunt: ut ex roremarino, hormino, matricaria, mentha, meliſſa, pulegio, ſalvia, millefolio, cum radicibus biſtortæ, tormentillæ & pauco alumine; vel & ex aqua calcis vivæ; ita & *aquæ medicatæ martiales, vel thermæ* externe & interne per ſatis longum tempus & rite

uſur-

usurpatæ, hoc in malo cum fructu ut plurimum si venerea labes abest, adhibentur.

LXIX.

Diæta. *Diæta*, sicut in cachexia generatim dictum est, & hic probe observetur: in primis vero vitentur lac, acida, fructus horæi, farinacea, pinguia & omnia quæ pituitam generare possunt, itemque potus nimius Theæ, Coffee, cerevisiæ, ut & venus nimia, &c. alias omnia medicamenta in pertinaci aut rebelli hoc malo frustranea sunt.

LXX.

Fluoris albi maligni curatio. FLUOR ALBUS MALIGNUS sive *venereus*, ut gonorrhœa virulenta in viris, quia eandem caussam agnoscit, curandus; aut si ipsam luem veneream comitetur, ut hæc quoque tractandus: ubi vero simul *injectio ex aqua calcis vivæ* cum mercur. dulci in vaginam uteri aliquoties in die immissa, egregie hic mundat, roborat & sanat. Si tamen, destructo veneno venereo, ob partes affectas sive patientes a morbo valde relaxatas ac debilitatas, fluxus aliquis, sicut post gonorrhœam virulentam sæpe quoque fieri solet, remaneat, quia hic tunc, ut benignus considerandus, etiam eadem, quo modo hunc curare præcepimus, ratione, N. LXVII. est sanandus.

CAPUT XII.

De Obstructionibus.

I.

Quid obstructio. SI transitus rerum fluidarum aliarumque quarumcunque in corpore humano contentarum, quæ moveri, fluere, propelli aut expelli debent, quocunque modo in vasis, canalibus, ductibus, intestinis, vesica aliisque viis ac partibus corporis hu-

humani impeditur, *Obstructio* appellatur, unde, ut omnis generis morbi proveniant, necesse est; sicuti ex fluxibus sanguinis, præsertim mensium aut hæmorrhoidum suppressis, obstructis, aliisque supra jam Cap. IX. p. 138. expositis, intelligi potest. *Nunc vero alias adhuc obstructiones*, quæ in corpore humano contingunt *considerabimus*: ubi sciendum est, liberum in corpore motum sive transitum, ut quis sanus sit, desiderare sanguinem aliosque humores utiles & excrementitios, itemque spiritus, bilem, genituram, salivam, lac, aerem, flatus, fœces, urinam, fœtum & secundinas in partu, &c. Hoc vero ut rite fiat, partes, quæ transitum concedere, & res, quæ transire debent, recte sint constitutæ, necesse est, atque ut caussa sive vis propellens & expellens sit satis valida. Quando igitur liber itus aut reditus rerum propellendarum impeditur, obstructio aut saltem motus vel transitus remora & varia inde pendentia symptomata proveniunt: caussaque erit vel in movente, vel in viis, vel in re transmittenda, vel in variis his simul.

II.

Earum caussæ, I. angustatio vasorum.

Vasa & viæ, dum ad transitum ineptæ fiunt, vel *angustantur*, *collabuntur*, *obstruuntur*, *comprimuntur vel concrescunt*, & sic, quod transmittere debent, transmittere non possunt.

Angustantur autem a rebus variis: nimirum vel a *tartarea* vel *gypsea substantia*, intus parietibus vasorum adnata, verbi caussa, viæ bilis in hepate; vel a glutinosa aut viscida materia, sive a *pituita*, intus obducuntur certæ partes, ut nares, bronchia & aspera arteria, sicut in coryza, tussi, dyspnoea & asthmate; vel *a spasmis* prædictæ partes respirationi inservientes contrahuntur, unde eadem mala; vel *angustantur a tumoribus & inflammationibus*, ut fauces a tonsillis intumescentibus; itemque subinde in *urethra a cavernosa*

ejus

ejus substantia turgescente, [a] qua urinæ libera excretio sæpe impeditur; vel a *rebus p. n. excrescentibus*, sive tuberculis & carunculis; ut a *polypo narium*, *caruncula urethræ*, *vaginæ* uteri, *intestini recti*, &c.

III.

Vel collabuntur vasa a sanguinis aut *humorum defectu*, post hæmorrhagias largas, fluxus alvi longos, inediam diuturnam, &c. unde tabes vel atrophia; vel a *spirituum defectu* nervi concidunt, in deliquiis animi, affectibus soporosis, comate, caro, lethargo, apoplexia, paralysi, marasmo senili, &c.

2. Colapsus.

IV.

Obstruuntur vero *vasa* sanguifera sæpissime a rebus transmittendis; ut a *sanguine viscido tenaci*, aliave materia spissa, ut in tumoribus varii generis, in *glandulis induratis* quibuscunque, earumque *scirrhis* & *scrophulis*; vel canales & meatus a *corporibus solidis*, ut ductus biliarii a calculis; vel terrea sive gypsea substantia; *meatus auditorius*, a cerumine duro, a pisis vel calculis illapsis aut intrusis; *ureteres* & *urethra*, itidem *a calculis* vel sanguine crasso, in vel post mictum cruentum; *nares* a polypo; *bronchia*, *aspera arteria*, ab illapsis rebus solidis quibuscunque; *œsophagus*, a deglutitis ossibus, spinis piscium, vel nucleis, v. gr. prunorum ibidem subsistentibus; vel *corporibus excrescentibus* aliisque rebus; *sinus cerebri & vasa majora cordis*, immo ipsum *cor* a *polyposis* concretionibus; *mammæ* a sanguine vel lacte nimis spisso; *testiculi* a liquido genitali vitioso; *alvus* plerumque a fecibus durioribus, quandoque etiam a calculo, (b) *nucleis cerasorum* copiose cum cerasis comestis: in quibus

3. Obstructio.

(a) Vid. Instit. chirurg. nostr. Cap. 138. p. 886. (b) Novi exemplum, ubi nobili in vicinia magnus calculus, anum pertinaciter obstruens, ope ferramentorum feliciter extractus est.

bus omnibus, quo major est obstructio, eo major inde oritur noxa. Huc etiam pertinet *fœtus nimis magnus* vel monstrosus, uterum tempore partus ita occludens, ut expelli nequeat; id quod etiam de *secundis nimis magnis* post partum, intelligendum.

V.

4. *Compressio vel coalitus.*

Comprimuntur vasa a ligaturis fortioribus, ut in fracturis, luxationibus, vulneribus, ut humores ea transire nequeant, atque inde tumores, inflammationes, gangræna, scirrhi, &c. oriuntur; vel *ab humoribus extra vasa sua* p. n. *effusis*, ut in cerebro & thorace: unde apoplexiæ, dispnœa, suffocatio, syncope, &c. & sæpe mors proveniunt. Quandoque *certæ partes* magna ex parte vel omnino p. n. *coalescunt*, aut in utero materno jam sunt coalitæ; ut *partes genitales* & obscœnæ in ita dictis *atretis*, de quibus in Instit. chirurg., ita ut id, quod transmittere debent, transmittere nequeant, *vel etiam a læsionibus externis* quædam partes subinde vel integræ, vel ex parte *concrescunt*: ut oculi & nares a variolis, vel ambustione; vel vagina uteri post partum difficilem, facta inde gravi quadam laceratione, vel *vulnere aut ulcere harum partium male curatis*; id quod & *in ano* quandoque ab ejusmodi læsione factum esse recordamur.

VI.

4. *A spirituum defectu.*

In partium moventium aut spirituum culpa residere quoque potest caussa variarum obstructionum, si *fibræ partium nimis sunt flaccidæ*, & *sanguis aut spiritus vel deficiunt*, vel narcoticis rebus oppressi; sicut observatur *in morbis soporosis*, comate, caro, apoplexia, paralysi, ischuria senili, virium languore quocunque, in senibus aliisque debilibus, & inprimis quoque *in parturientibns* in partu longo ac difficili; quo etiam pertinet *fumus carbonum* in cubilibus locisve clausis quibuscunque.

VII.

VII.

In *curatione* igitur obstructionum generatim *illud, quod hæret, sive stat & quietum est, in motum est concitandum*, & caussa sive *remora vias angustans* vel *obstruens*, aut motus impediens, investiganda ac tollenda; id quod pro caussarum diversitate diverso modo fieri debet. Si enim *vasa collapsa*, distendenda; *si constricta* aut *compressa*, relaxanda; si *obstructa*, aperienda; si p. n. *concreta*, incidenda, &c.

Curatio obstructionum generalis.

VIII.

De Dyspnœa & Asthmate pituitoso.

In spirandi difficultate sive *dyspnœa* vel *asthmate* ab humoribus viscidis, quod *asthma pituitosum* vocant, & ex rejecta multa pituita dignoscitur, *infusa* aut decocta cum aqua *ex resolventibus herbis & radicibus pectoralibus* composita, ut ex herba veronicæ, hyssopi, radic. fœniculi, ari, enulæ, semine anisi, fœniculi, &c. mane & circa vesperam assumta, egregie conducunt; itemque *infusa* ex iisdem radicibus & herbis cum vino parata, & vel in vel circa pastum usurpata, ut & Essent. helenii, pimpinellæ, succini, Elixir. pectorale Wedelii, spirit. salis ammoniaci anisat. balsam. sulphuris anisat. cum prædictis infusis data; ita & species diaireos, vel *pulvis pectoralis dictus*, ex lapid. cancrorum cum sperm. ceti & sacchar. cand. compositus, adjectis aliquot guttulis olei anisi, egregie resolvit, si sæpius a ℈j. ad ʒß. exhibetur. Aut *gummi ammoniacum*, vel in pilulis, vel in potiuncula, aqua hyssopi vel veronicæ ac vino rhenano solutum & sæpius ad ℈j. vel ʒß. exhibitum, vel in celebri *potiuncula asthmatica*

Dyspnœa & asthma.

Bruneri datum. (*a*) Quandoque *Looch ad asthma* usitatum bene prodest; quibus vero omnibus subinde *purgantia* idonea sunt interponenda, vel quandoque etiam *emeticum* ad humores noxios per superiora ejiciendos; immo & *vesicatoria* in suris aut cruribus adhibita in hoc malo sæpe sunt valentissima, itemque *pediluvia*, atque si fieri potest, *frequens motus* corporis simul instituatur. Multis etiam *aquarum medicatarum usus* his in malis egregie prodest, præsertim si calide vel saltem tepide bibantur. Nonnulli *pulverem radicis squillæ* hic valde commendant & mira inde prædicunt, qui etiam sæpe egregius est. Vid. de hac cumprimis sæpius jam laudati WAGNERI observ. clinicæ. Quod si forte paullo *vehementior paroxysmus asthmaticus* ægrum aggrediatur, quavis hora etiam *oxymellis squillitici* ℥ß. vel cochlear. j. cum fructu exhibetur, donec ℥iß. vel ℥ij. nisi citius remittat, assumtæ sint. *Præservandi* gratia valde conducunt, fonticuli in pedibus, purgantia idonea per intervalla exhibita, sanguinis missiones in plethoricis, & aquæ medicatæ cum motu & exercitatione frequenti.

I X.

De Asthmate sanguineo, flatulento, spasmodico & scirrhoso.

Asthma sanguineum & flatulentum.

Si asthma est sanguineum, quod *a nimia sanguinis* ac præsertim *spissi copia*, in vasis pulmonum hæ-

---

(*a*) Quæ ita se habet: ℞. gumm. ammoniaci purissimi ʒiß. ʒij. solv. in aqua hyssopi ℥iv. & vin. rhenan. ℥ij. M. dentur sæpius cochlearia tria, donec respirandi difficultas remittat.

hærente, oriri videtur, *missio sanguinis* utilissima ac summe necessaria est, præmissis & subjunctis laudatis modo §. VIII. infusis aut decoctis pectoralibus, guttis, pulveribus, potiunculis & ceteris. *Quando a flatibus*, ventriculum & intestina valde distendentibus, atque diaphragma & pulmones ita prementibus, ut libere ac recte respirationem perficere nequeant, quod *Asthma flatulentum* appellare solent, servata primo moderata victus ratione, flatus discutientia sive *carminativa*, ut aqua carminativa officinar. aqua anisi vel carvi vel cortic. aurant. spirituosa, ad cochlear. j. ij. vel iij. Essent. carminativa Wedelii, Cortic. aurant. spiritus nitri dulcis, vel carminativus aut anticolicus de tribus, a gutt. 30. ad 50. per intervalla exhibita, egregie prosunt. Ita & *pulvis flaved. cort. aurant.* a ℈ß. ad ℈j. cum vini ℥j. vel ℥ij. calefactus aut leviter coctus, addito pauxillo sacchari ad gratiam, vel iidem cortices vino vel cerevisia infusi valentissime etiam flatus expellunt, & viscera simul roborant; immo & *clysteres* ex carminantibus adhibiti magnum quoque sæpius, præsertim si alvus obstructa, his ægris levamen afferunt.

X.

Asthma spasmodicum.

Si *asthma* a *bronchiis spasmo constrictis*, sive angustatis, quod *asthma spasmodicum* appellatur, provenit, antispasmodica, temperanria, cinnabarina, nitrosa ac succinnata, & inprimis etiam liquor. C.C. succinatus, pulvis antispasmodicus, pulvis Marchionis, cum spec. cephal. Michaelis, immo & cum his pediluvia, & visicatoria pedibus sunt adhibenda.

Asthma scirrhosum.

Si *a scirrhis* in pulmonibus, quod *asthma scirrhosum* dici potest, resolventia, ac diluentia, §. XII. laudata, itemque aquæ medicatæ, immo & *mercurialia* lenia, diu usurpata egregie prosunt, atque in sanguineis venæ sectio quoque subinde est adhibenda.

De Ictero.

De *Ictero*, quia sæpius ab obstructione vaso-

rum sive ductuum biliarium ortum trahit, hic quoque jam agi posset, verum quia jam Cap. XI. de cachexia. §. 23. de eo actum est, nolumus idem hic repetere.

X I.

Fauces angustæ.

Si viæ angustantur ab inflammationibus aut tumoribus, ut fauces, in *tonsillarum & pharyngis inflammatione*, inflammationes hæ, sicut supra Cap. VII. §. XX. & XXI. docuimus, sunt resolvendæ. Si a *corporibus excrescentibus, tumoribus duris*, aut *scirrhis*, quae medicamentis in Institut. chirurg. nostris, locis debitis, indicatis, tolli aut resolvi nequeunt, manu chirurgica, si tuto id fieri licet, auferendi.

X I I.

De Alvo Obstructa.

Alvi obstructio, flatus & colica.

In *alvi obstructione* sive segnitie, *flatulentia & colica*, a virium defectu, conducunt roborantia, ut vinum generosum, aquæ, spiritus & essentiæ roborantes, carminativæ & blande aromaticæ, spiritus nitri dulcis, spiritus carminativ. de tribus, sive *anticolicus*, & *clysmata* aut *suppositoria*. In hac alvi *segnitie* præter dicta, spiritus etiam torpidos & *fibras languidas* intestinorum excitant *purgantia* leniora; ut aqua amara catharctica Seidlicensis, Carlsbadensis, Wisbadensis aliave similis; vel *sal* quoddam *amarum catharcticum*, ut bohemicum vel anglicanum, aut mirabile Glauberi, aqua calida vel simplici vel minerali quadam solutum & haustum; vel *potiuncula quædam laxans* ex tamarindis, foliis sennæ & manna, ut *Managettæ*, vel *Sydenhamii* aliave similis, itemque Electuar. de tamarindis, cum fol. sennæ paratum, justa quantitate datum.

Si

Si alvus a fecibus durioribus obstructa, victu humectante ac lubricante ex prunis, cerasis aut pomis coctis, cum vel sine passulis aliisque similibus, potu copiosiori, præsertim etiam Coffeæ, cum vel sine pauxillo lactis admixto, *lotionibus alvi* sive clysmatibus, emollientibus, itemque modo laudatis blande alvum moventibus aquosis aut salinis.

Si *nuclei cerasorum* copiosius comesti alvum pertinaciter obstruunt, ut quandoque observatum est; vel *calculus* major in intestinis natus, ut aliquando contingere supra §. IV. jam indicavi, uncinulis in chirurg. nostr. Tab. 27. fig. 10. aut Tab. 33. fig. 17. itemque forcipibus calculariis Tab. 28. aliisve idoneis instrumentis ejiciendi.

XIII.

De Ileo.

In ILEO, (quod pertinacissima est alvi obstructio cum vomitu vehementi, nausea, atque acerbissimis ventris doloribus] quod vel a fecibus induratis, vel ab inflammatione intestinorum, vel quod frequentissimum est, ab hernia umbilici aut inguinum aut scroti *incarcerata*, ut vocant, producitur, pro caussæ varietate etiam curatio est varianda. Adeoque si *a fecibus induratis* oriatur, lenia laxantia exhibenda, & præsertim *sal catharcticum Anglican.* vel Bohem. cum aqua selserensi aliave medicata datum; vel *decoctum ex foliis sennæ*, tamarindis & manna, paratum ac partitis vicibus exhibitum, egregie sæpius prodest, præsertim, quando sequenti ratione præparatur & usurpatur.

Iliaca passio.

℞. Tamarindor. ℥j. fol. sennæ elect. ʒvj. crem. tartari, ʒj. ebull. in s. q. aquæ simplicis per momen-

mentum horæ, Colaturæ ℥vj. add. mannæ calab. vel sirup. rosar. solutivi ℥j. de quo æger primo capiat ʒiij. & postea, si alvus inde post bihorium non movetur, quovis bihorio rursus ℥j. donec alvus solvatur. Sed simul *clysteres* emollientes ac paullo acriores, ex lacte & sapone veneto parati, injiciantur, aut præmittantur; aut si hi parum, *fumus Nicotianæ* peculiari fistula, quæ *clyster tabacalis* appellari solet, in anum impulsus, valde hic sępe conducit.

Quando ab *inflammatione intestinorum* iliaca passio oritur, id quod ex febre & ardore in intestinis cognoscitur, interne potus tenuis, aqueus; pulveresque ac mixturæ temperantes & antispasmodici nitrosi & camphorati, sicut in aliis inflammationibus, sunt exhibendi. *Externe* eadem sunt facienda, quæ in inflammatione intestinorum commendavimus, & cumprimis, *spiritus vini camphoratus* cum linteis complicatis, vel *vesica* aqua vel lacte calido, in quo flores chamomillæ cocti, repleta, ventri imponenda; non neglecta in sanguineis matura Venæ sectione. Quando vero *ab hernia incarcerata* ileus oriatur, *sanguinis missio* quoque utilissima est, & deinceps intestina prolapsa, ubicunque hoc vitium sit, una cum loco prolapsus, spasmodice constricto, externis medicamentis emollientibus, præsertim unguentis & cataplasmatibus, vel vesica lacte aut aqua calida repleta, itemque clysteribus similibus, sunt emollienda atque intestina deinde, manibus, si fieri potest, blande reponenda; aut si his reponi nequeant, *fumus nicotianæ* fortioris, prædicta fistula, largiter per anum immittendus, donec æger ad desidendum stimulum sentiat, quo ipso intestina intus ita stimulantur, ut se contrahant & angustiora fiant, atque sic in ventrem sępe retrahantur. Sed si & hoc parum esset, *ad ferrum confugiendum*, & post maturam incisionem tegumentorum com-

mu-

munium & loci prolapsus, qui est vel annulus musculorum abdominis, vel arcus arteriæ cruralis, nimis constricti, vel in hernia umbilicali, ipse umbilicus, antequam intestina sphacelo corripiantur, sunt restituenda; de qua uberius vid. Chirurgia nostra cap. de bubonocele & hernia scroti incarcerata; quo facto prædicta symptomata plerumque mox cessare solent; quo tamen in statu blandum laxans ad intestina a saburra collecta liberanda commode subjungitur.

XIV.

De Dysuria & Ischuria,

SIVE

Urina ex parte aut omnino suppressa.

Causa.

Dysuria & *Ischuria* sunt morbi affines eique valde molesti ac dolorifici, atque a caussis quamplurimis oriri potest; hinc quoties quis hoc malum prima vice sentit, in veram caussam Medicus quam curiosissime inquirere, eaque perspecta, remedia cuivis speciei propria adhibere rite debet. Si vero jam sæpius ea laboravit, caussa plerumque jam magis cognita esse solet. Oriuntur vero sæpissime vel a *calculo*, vel *ab inflammatione renum*, vel *cervicis vesicæ*, in sanguineis, itemque in iis, quibus *hæmorrhoides* aut *menses* vel suppressi, vel qui moliminibus hæmorrhoidum urgentur; vel *ab urethræ spongiosa sive cavernosa substantia*, a sanguine abundante ibidem congesto, *nimis distenta & quasi inflata*, ita ut urinam vel difficulter, vel omnino non transmittat. In aliis urina *a spasmo cervicis vesicæ*, vel ab *acri urina*, vel a *sanguine* ob quamcunque caussam ibidem *congesto*, concitato

to retinetur; in aliis vero ob *vesicæ* ipsius *resolutionem* sive paralysin, quando urinam expellere nequit, supprimitur; vel *a caruncula*, quam vocant *urethræ*; vel a tumore, *abscessu* aut ulcere, in *glandula prostata*; vel ab eadem hac *prostata justo majore* atque indurata, sicut & MORGAGNUS, [a] & ego quoque jam aliquoties observavimus. Ita & a *mictu cruento* urina haud raro vel supprimitur, vel difficulter saltem & non nisi magno nixu ac dolore expellitur, quando scilicet *sanguis concretus urinæ iter occludit*.

XV.

Signa diversarum specierũ.

Ut vero hæ caussæ atque inde natæ *diversæ species* horum malorum suis signis probe a se invicem distinguantur summa ope Medicum niti decet. Quando enim *ab inflammatione renum*, dolor potissimum & ardor in eorum regione cum febre urgent; *si a calculo renum*, dolori renum vomitus accedere solet; quæ duo indicia jam a *Baglivio* pro signis pathognomonicis calculi renum haud male habiti sunt; sin vero *a calculo vesicæ*, dolor vehemens est in vesica, & per urethram ad extremam usque glandem se extendit; mucus aut pus cum urina pallida excernitur, digitoque in anum immissio sæpe sentitur; certissimum vero signum catheter in vesicam immissus & in corpus lapideum impingens præbet. Quoties a *calculo* in *urethra* hæ noxæ oriuntur, hic vel tactu per digitos, vel specillum aut catheterem quoque detegitur. Si *ab inflammatione cervicis* vesicæ, tumor & dolor in perinæo percipiuntur, quando locus hic tangitur; & adhuc melius eam cognoscimus, si digito in anum immisso eoque versus vesicam sursum reflexo, tumor ibidem a Medico, ab ægro autem dolor ardens & premens percipiuntur, at-

---

(a) In Advers. Anat. III. p. 83.

atque catheter in urethram immissus circa collum vesicæ impedimentum deprehendit , ut ulterius progredi nequeat . His signis in graviori malo sæpe accedit tenesmus, ani constrictio, anxietas præcordiorum, frigus extremorum , vomitus & pulsus febrilis . Quod *urethræ cavernosa substantia sanguine nimis sit inflata*, inde intelligimus, quando urina suppressa, fistulam argenteam in urethram vix vel non nisi difficillime immittere possumus, præsertim si ægrum multo sanguine abundare cognoscimus. *Quod spasmus in collo vesicæ* adsit, ex eo dijudicamus, quando prædictæ causæ desunt , attamen spasmodica constrictio circa collum vesicæ ab ægro percipitur, & catheter commode ad cervicem vesicæ usque, sed non ulterius, ad vesicam scilicet, dimitti potest , nullo præsente calculo vel in urethra vel in vesica . Si *urina acris* hunc spasmum inducit, dijudicamus hoc ex urina valde fœtente, præsertim si ægri vel senes sunt , vel scorbutici, & in urina multæ particulæ salinæ, & quasi gypseæ se manifestant . An autem *caruncula* in vesicæ collo urinæ iter obstruat, præsertim cum multi ex recentioribus eam prorsus negent, sicut prolixius hac de re in Chirurg. nostris Institut. Part. II. Cap. 138. p. 885. disputavi, quam difficillime certo scire possumus . *Abscessum* vero *in glandula prostata* loco carunculæ sæpius urinæ fluxum impedire ex *Benevoli* observationibus (*a*) eodem in libro asseveravimus . Quod vero *scirrhus glandulæ prostatæ* sit caussa urinæ suppressæ , durus , at vel indolens tumor in perinæo , vel saltem non multum doleus indicat .

XVI.

(*a*) In libell. *de caruncula urethra*.

XVI.

Curatio dysuriæ & ischuriæ a calculis.

Si canales uriniferi obstruuntur a corporibus solidis, ut *pelvis renum*, *ureteres*, *vesicæ cervix*, aut *urethra a calculo*, eoque nuper orto, aut recens saltem e renibus in ureteres aut vesicam delapso, ita ut urina vel difficulter exeat vel omnino suppressa sit, *isque adhuc parvus*, propellitur & expellitur sæpe diureticis variis, supra pag. 176. & seqq. ubi de calculo egimus, indicatis; quibus hic adhuc addam *decoctum rad. eryngii*, itemque *pulverem præstantissimum* ex pulv. antispasmod. ℈j. & lap. cancror. ppt. ʒß. compositum; vel & ejus loco *sal cathart. Anglic.* aut *Bohemic.* ad ʒj., vel cum eryngii radicis decocto, vel cum aquæ selserensis haustu sæpius assumtum. Sed si dysuriæ aut ischuriæ caussa *calculus major est vel in vesica vel urethra* hærens, quam ut per hanc expelli, aut medicamentis solvi possit, *pellentia*, præsertim *fortiora* hic *summe noxia*, adeoque vitanda, isque potius heroica sectione excidendus est, sicut in Institut. Chirurgic. Part. II. Cap. 139. & seqq. prolixe satis docuimus. Quod si vero æger sit vel nimis debilis, vel nimis senex, ut difficilem & periculi plenam hanc curationem per scalpellum sustinere commode nequeat, aut etiam illam ob quamcunque rationem admittere nolit, *palliativa* tantum sic dicta *cura* tunc locum habet; quæ consistit primo in eo, ut quoties calculus major urinæ iter occludat, hic *cathetere repellatur*, ut urina exire queat; deinde ut *dolores ægris leniamus*: id quod fit *interne*, *antispasmodicis* modo laudatis, & simul medicamentis lenientibus, lubricantibus, oleosis & blandis anodynis; *externe* vero clysteribus laudatis, unguentis, linimentis ac balneis emollientibus ac lenientibus, de quibus supra jam pag. 177. proposuimus. His in doloribus vehementioribus addi possunt *injectiones lenientes* in vesicam ex ol. olivarum, lini, papav. albi vel amygdal. dulc. vel & ex decocto sem.

lini,

lini, aut rad. malvæ in lacte, addito pauxillo butyri recentis.

XVII.

Curatio si ab inflammatione aut plethora.

Si urinæ difficulter fluentis aut omnino suppressæ caussa est *inflammatio renum vel vesicæ*, *diuretica*, præsertim *calidiora*, summe quoque *sunt perniciosa*; immo vel ipsæ etiam *aquæ minerales* egregie alias diureticæ, haud satis tuto tunc adhibentur. Verum potius hoc in malo danda sæpe sunt *remedia refrigerantia*, *nitrosa*, *salia media*, lapid. cancr. vel conchæ acido citri vel tartari saturatæ, addito singulæ dosi *camphoræ* gr. j. vel altero, quæ efficacissima hic sunt cum diluentibus aqueis refrigerantibus, ut *decocto vel infuso* radic. petroselini, eryngii, herbæ theæ, hederæ terrestris, fragar. aliarumque similium, vel & *aquis destillatis* petroselini, fragariæ, alkekengi, exhibita; itemque *Emulsiones* ex sem. 4. frig. cum lap. cancror. antimon. diaph. & nitro vel ex semine violariæ [quæ & alvum & urinam simul utiliter movet]: quibus adjungendæ *fomentationes*, & præcipuæ *vesica lacte* vel aqua calida repleta, aut *cataplasmata* emollientia & resolventia, renum vel vesicæ, immo & perinæi regioni, si inflammatio in hoc loco, itemque *balnea* ipsa; præ omnibus vero *sanguinis missio* hic est instituenda, quæ cæteris fere omnibus palmam hic præripit, præsertim in ægris plethoricis & calidioribus: quæ & *omnibus eis in casibus* est adhibenda, *ubi sanguis abundat*, & cumprimis etiam *in hæmorrhoidibus* aut *mensibus obstructis*, hæc mala inducentibus, quando nimirum sanguis hic retentus circa vesicam congeritur, & urinæ excretionem sæpe molestissimam & crebro redeuntem concitat, quæ in senibus raro prorsus tolli possunt. Interea tamen studendum, ut suppressæ hæ sanguinis evacuationes suis remediis, ex Cap. IX. restituantur; vel si hoc fieri nequeat, sanguinis missiones earum loco sæpius iterandæ substituantur, & aperien-

rientia ac resolventia simul adhibeantur, ut pulveres ex lap. cancror. citr. arcan. duplic. tartaro vitriolato & nitro, ut & liq. terr. foliat. tartari vel *aquæ medicatæ*, interpositis subinde salibus amaris catharcticis, vel & *pilulis balsamicis Becheri* aliisque similibus, præsertim in sexu fœminino.

XVIII.

Ab urethra nimis tumente.

Ita etiam si urina ob *urethræ substantiam spongiosam*, a sanguine in ea largius congesto, *nimis tumentem* & quasi inflatam, reddi nequeat, *Venæ sectio* quoque larga primarium rursus hic est remedium; quia sanguinem hunc inde revocat & educit, immissis deinde per aliquod tempus *candelis* aptis *cereis*, aut *stylis plumbeis*, cerei tenujoris amplitudinem habentibus, ad urethram nimis angustatam rursus diducendam & ampliandam. Quando urina hoc in casu valde urget *catheteres* etiam, qualis ille est, qui in Institut. chirurg. nostr. Tab. XXVII. fig. 7. sistitur, tunc adhiberi apte possunt; ordinarii vero & consueti illi, qui eadem tabula fig. 3. 4. & 5. exhibentur, & circa extremum utrinque foraminibus oblongis præditi sunt; quia hæc inflata urethræ substantia in hæc foramina se ingerit, atque motu ejus inde male afficitur, aut omnino laceratur, noxii hoc in casu deprehenduntur.

XIX.

A spasmo.

Quando *spasmus cervicis vesicæ* difficultatis reddendi urinam caussa est; pulveres temperantes & antispasmodici, ex aquis vel infusis diureticis, supra §. 17. commendatis, interpositis *emulsionibus* aut *oleis lenientibus*, v. gr. amygdal. dulc. olivarum, rec. papav. albi vel lini, ut & externe *cataplasmatibus*, *unguentis*, *clysteribus* atque *balneis* emollientibus ac demulcentibus, ibidem laudatis, immo & lenia *opiata*, si vis mali ea exigat, hic maxime prosunt.

Ab urina acri.

Si spasmus *ab acri urina proveniat*, serum acre scorbuticum partim blandis purgantibus, partim idoneis

neis diaphoreticis est evacuandum atque divertendum; reliquum vero corrigendum 1. *absorbentibus* sive *terreis*; ut lapid. cancror. matre perlar. creta præpar. antimon. diaphor. succino præparato; 2. *decoctis* lenientibus rad. chinæ, sarsaparillæ, malvæ, altheæ; 3. *emulsionibus* & *oleis demulcentibus* modo laudatis, quo & *sirup. dialtheæ* referri recte potest; 4. in doloribus vehementioribus, ipsis moderatis *opiatis*: non omissis unguentis, cataplasmatibus, clysteribus & balneis prædictis lenientibus.

X X.

Si a paralysi.

Sed si hoc vitium *a paralysi* aut resolutione ipsius corporis vesicæ ortum trahit, sicut *in senibus* præsertim id haud raro incidit, (quæ species leviores immo subinde nullos movet dolores), primo *fricationes* & *fomentationes* ventris ac perinæi remediis roborantibus, nervinis, spirituosis diligenter sunt adhibendæ, *cataplasmata* quoque ex cepis aliisve roborantibus ac stimulantibus vesicæ superimponenda; *clysteres* ex herbis ejusdem naturæ ac nervinis in intestinum rectum injiciendi, non neglectis remediis antiparalyticis ac roborantibus internis, ipsoque vino generoso rhenano aut mosellano. Interea tamen, *quando urina forte nimis urget*, ne vesica nimium inde distendatur atque resolvatur, mature hæc *fistula idonea argentea*, quam *catheterem* vulgo vocant, prudenter per urethram in vesicam immissa, educenda, hocque negotium, si urina postea ex arbitrio reddit nequit, bis vel ter in die, prout res id exigit, iterandum, continuatis laudatis internis atque externis, donec successu temporis vesica eam rursus virtutem recuperet, ut sponte urinam pro lubitu rursus expellere valeat; id quod sæpe post aliquot demum hebdomades contingere memini, ita ut hi ægri posthac hoc modo perfecte fuerint restituti.

X X I.

A mictu cruento.

Quod si *in mictu cruento* sanguinis pars in vesica, ut

ut quandoque fit, concrescat, atque cervicem ejus, aut viam urinæ obstruat, sanguis hic spissus & concretus est resolvendus & expellendus; id quod faciunt 1. *infusa calida herbarum* digerentium ac simul urinam pellentium cum aqua, ad modum Theæ parata, & cum primis herbæ hederæ terrestris, arnicæ, chærefolii aut veronicæ, &c. 2. *Tinctura tartari* vel liq. terræ fol. tartari, cum infusis his apta dosi assumta. 3. *pulveres digerentes*, ex lap. cancror. succ. citri aut limonum saturatis, sperm. ceti, tartaro vitriolato, nitro & cinnabari parati, atque ex aqua chærefolii aut petroselini subinde dati. 4. *cepæ assatæ* regioni pubis & perinæi calide superimponantur, vel *cataplasma* ex farina tritici in lacte cocta, addito butyro & pauxillo croci, aliudve ex rad. lilior. alb. herb. malvę, altheę & flor. chamomillę paratum, ad spasmum colli vesicę relaxandum; vel etiam *vesica lacte calido*, in quo flores chamomillę aut meliloti cocti fuerunt. 5. *clysteres emollientes* & *resolventes*, ex floribus chamomillę in lactę coctis, addito oleo vel butyro recenti. 6. Si forte hęc omnia parum essent, & urina nimis ęgrum torqueret, *cathetere* hic sanguis in vesicę collo hęrens repellendus vel perrumpendus, & per eum urina ejicienda.

XXII.

Ab ulcere vesicæ aut urethræ.

Ulcus in vesica etiam haud raro suppressę urinę caussa est; id quod *ex urina purulenta ac fœtida*, doloreque vesicę sępe vehementissimo, haud aliter, ac si calculo vesicę ęgri laborent, cognoscitur. *Hoc ulcus in senibus*, sicut *Hippocrates* jam notavit, vix unquam; in junioribus vero non nisi *difficillime curatur*, pręsertim si inveteratum, & vesica jam nimis inde exesa atque corrupta est. Interea tamen, vitatis primo omnibus acribus & stimulantibus, *infusa radicum & herbarum* vulnerariarum, absorbentia §. 19. oleosa & mucilaginosa, blanda balsamica, cumprimis *balsamum de Mec-*

cha

cha in elæosaccharo, & moderatus *usus mercurii*, præsertim ubi venerea subest caussa, sæpe quamplurimum hic præstant. Imo & post hæc *aquæ minerales*, tam simplices, quam cum lacte tepide ac per plures hebdomades potæ, itemque ipsæ *thermæ*, ut Emsenses, Carolinæ aliæve similes hæc ulcera quandoque una cum dysuria adhuc persanant. Quibus omnibus vero & *injectiones* ex decocto herbarum traumaticarum, ut agrimoniæ, hyperici, plantaginis aut millefolii, mille rosarum temperato præparatæ & per fistulam æneam vel argenteam in vesicam immissæ, subinde interponantur, vel horum loco *lac cum sirupo dialthea* aut butyro recenti, vel & oleum hyperici injici possunt. Si *dysuria* ab *ulcere urethræ in gonorrhœa*, hoc ita curandum, ut in gonorrhoea docuimus.

XXIII.

Si in gravidis aut puerperis urina suppressa.

Si *urina in gravidis*, ultimis præsertim mensibus, *difficulter succedat*, *vitanda diuretica*, quia foetum præmature expellere facile possent; verum quia hoc vitium tunc plerumque a collo vesicæ, ob uterum valde turgidum, compresso, oriri solet, remedium ipsis sæpe est, sola ventris gravidi utraque vel alterutra manu in altum elevatio, vel si hæc parum est, *catheteris* provida in vesicam immissio, atque per hunc urinæ facta emissio. Ita si *puerperæ in partu*, præsertim diuturno ac difficili, urinam mittere non possunt, atque vesica distenta partum adhuc difficiliorem reddat, catheter quoque hic & ad urinam & ad partum promovendum, summe necessarium & optimum est auxilium.

XXIV.

A prostata tumida.

Denique si a *glandula prostata nimis tumida* atque indurata, vel ab ipso *scirrho hujus glandulæ* urinæ liber exitus prohibeatur, ea, quæ ad ejusmodi tumores & scirrhos digerendos infra §. 29. & seqq. tam interne, quam externe commendavimus, quam solertissime adhibenda sunt.

Quod si vero malum his non cedat, & urina prorsus atque ita supprimatur, ut & catheteri via ad vesicam omnino præcludatur, cum in hoc ultimo, tum in aliis præcedentibus ejusmodi casibus, vesica ferro tereti, triangulari cuspide donato, & tubulo argenteo incluso, quod *Troicar* Gallis vocatur, (*a*) vel ab inferiori, quæ curatio *punctura perinæi* appellatur, vel a superiori parte, quam *vesicæ puncturam* Chirurgi nominant, prudenter perforanda, factaque perforatione, ferrum e tubulo educendum, sed hic in vulnere & vesica relinquenda, urinaque per hunc dimittenda, & ne excidat, funiculo circa ventrem firmandus, os deinde hujus fistulæ sive tubuli turunda vel subere claudendum, & per hunc postea pro lubitu & quoties opus est, urina emittenda, donec caussa ischuriæ sit sublata. Periculosum quidem & molestum est auxilium, sed cum unicum sæpe sit, non omnino contemnendum. Uberius hoc de auxilii genere evolvi possunt Institut. Chrirurg. nostr. Cap. 144. Part. II. p. 1005. Ita & si *a caruncula*, vel ab *abscessu*, aut *ulcere*, vel *tumore* in urethra lotium supprimatur, remedia e chirurgiæ Cap. 138. Part. II. petenda sunt.

XXV.

Dysuria & ischuria senum.

In Dysuria & Ischuria senum, morbis hic vix unquam omnino tollendis, sed tantum leniendis, præter *analeptica*, prosunt liq. terræ foliatæ tartari, aut tinctura tartari, vel sola vel cum spiritu nitri dulci remixta; item *emulsiones* ex semine violarum cum aqua chærefol. petroselini, fragariæ, saxifragiæ, admixta pauca aqua cinamomi cum vino paratæ, vel emulsiones ex nucleis persicorum factæ, & sępius haustę. *Externe allium* vel *cepæ* sub cineribus assatę, & chęrefol. in forma ca-

ta-

(*a*) Quod videri potest in Institut. Chirurgic. nostr. Tabul. XXIV. figur. 1. & Tab. 32. fig. 3.

taplasmatis, aut ol. scorpionum, juniper. succini in forma linimenti pubis & perinęi regioni, excitandi & stimulandi fine, applicanda. In *ischuria senum plethoricorum* & laute viventium, vel hęmorrhoidibus suppressis laborantium, prętet dicta *missio sanguinis*, sicut in aliis plethoricis, sępe urinam egregie solvit; dum sanguinem in collo vesicę congestum revellit. Sed si hęc non sufficiant, & symptomata urgeant, *cathetere* vel ipsa *punctura vesicæ*, si nimirum urina in vesica hęret, educenda; *sin vero caussa* urinę suppressę *in renibus*, hę operationes chirurgicę non sunt adhibendę, quia eis urina e renibus educi nequit. Sed pręter laudata interna, *regio renum sæpe oleo scorpionum*, *juniperi & succini* illini & cataplasma emolliens deinde imponi possunt: ubi & *clysteres* emollientes ac balnea egregiam sępe opem pręstare solent. *In malo autem inveterato*, vix ulla superest curatio. Vid. Hipp. aphor. 31. Sect. VI.

X X V I.

De Morbis sive Obstructionibus vasorum a viscido generatim.

Obstructiones ab humoribus viscidis.

Si obstructiones vasorum ab humoribus lentis, viscidis, spissis, grumosis, coagulatis, ut in *tumoribus glandularum*, *scrophulis*, *dyspnœa & asthmate a vasis pulmonum obstructis*, *polypo cordis*, &c. illi sunt attenuandi, resolvendi & fluxiles reddendi: id quod iis maxime remediis fit, quæ *supra in cachexia curanda* Cap. XI. laudavimus; pręcipue vero infusis, decoctis, & essentiis herbarum, lignorum & radicum, diaphoreticis; omnis generis medicamentis amaris; salibus alcalicis, mediis, digerentibus sive *digestivis* vulgo dictis; & maxime quoque *aquis medicatis*, non omissis purgan-

gantibus & sanguinis missione. Preterea etiam notandum, quod *in morbis a viscido, obstructionibus variis vasorum & nervorum atque cachecticis affectibus*, ab humoribus tenacissimis, oriundis, *mercurialia* quoque prudenter adhibita, absque, vel & quandoque cum excitata *salivatione*, sepe egregie conducant; immo sepius summe sint utilia ac necessaria: ut in *cephalæa* & *hemicrania* pertinaci, *amaurosi* ab obstructione nervorum opticorum, in *cataractæ* initio, vel saltem non inveterata; *epilepsia*, affectibus *catarrhalibus diuturnioribus*, aut sepe recurrentibus, presertim *ophtalmiis* ejusmodi, *affectibus paralyticis*, *scorbuto viscido & frigido contumaci*, *lue venerea*, *scabie inveterata*, *quartana rebelli*, *ulceribus cacoethicis*, *cariosis*, *spina ventosa*, *plica polonica*, *obesitate nimia*, & *fluore albo pertinaci* aliisque in affectibus rebellibus; qua de re prolixius videri potest STAHLII dissertat. *de salivatione mercuriali aliis præter luem veneream morbis rebellibus exstirpandis pari*, & dissert. nostr. de *Amaurosi* salivatione curata.

XXVII.

De Glandulis induratis, Scirrho & Cancro.

Glandularum tumores, scirrhi & cancri.

Speciatim vero ad obstructiones ab humoribus viscidis etiam merito referuntur *glandularum tumores*, *scirrhi* & tandem *carcinomata* sive *cancrosi* affectus, qui omnes ab obstructione vasorum & presertim in glandulis, ab humoribus crassis, viscidis, tanquam caussa propinqua, suam originem ducunt; quibus vero in *cancrosis affectibus peculiaris & quasi venenata acrimonia rodens*, cujus natura hactenus perspici & curari nondum potuit,

ac-

accedit, qua dolores rodentes sæpe vehementissimi & partium læsarum ac vicinarum erosiones sive ulcera concitantur.

XXVIII.

Diagnosis & prognosis.

Cognoscuntur hæc mala ex tumoribus duris, plerumque mobilibus & initio indolentibus; quo in statu *glandulæ induratæ* dicuntur; sed quando hæ non brevi digeruntur, aut suppurantur, sed potius negliguntur & magis adhuc indurescunt, *glandulæ scirrhosæ* sive *scirrhi* appellantur, & si hi, præsertim in mammis, rodere ac dolere incipiunt, *carcinomata* sive *cancri incipientes* vel *occulti*, sed si jam diu durarunt, *cancri occulti inveterati*; si vero cutis & vicina tandem inde eroduntur atque exulcerantur, *carcinomata* & *cancri aperti* sive *exulcerati* dici solent; quorum priores tumores medicamentis raro ac difficulter digeruntur & curantur; posteriores vero vix unquam & rarissime. Immo secundum præceptum *Hippocratis* [*a*] *melius est cancros occultos intactos relinquere*, quia medicamentis commoti plerumque deteriores fiunt, & ægros citius interficiunt.

Glandulæ colli induratæ, quia *in pueris* a voracitate & prava victus ratione oriuntur, hac emendata atque correctis humoribus corruptis, motu fortiori, ipsa ætate ac tempore, naturæ vi, plerumque rursus digeruntur. Interea tamen hoc sæpe non fit, verum e contrario glandulæ hæ induratæ haud raro successu temporis augentur vel multiplicantur, præsertim circa collum atque auctæ *Scrophularum* [Gallis *Ecrouelles*], immo si adhuc majores fiunt, *strumarum nomen* adipiscuntur, licet hæ haud raro glandulæ induratæ non sint, sed *tumores potius tunicati* sive *saccati*, varios humores pravos continentes, qui mirum sæpe in mo-

(*a*) Aphor, 38, sect. VI.

modum excrescunt, atque varia gravia mala ęgris inducunt.

Denique hic adhuc observandum, quod *plerique homines solis externis remediis duros hosce tumores* digerere *ac curare* velint; verum cum hęc sola vix internam humorum vitiosam intemperiem corrigere valeant, hac ratione curati in pejorem plerumque statum abeunt; adeoque ab *internis potius remediis* auxilium & petendum & sperandum esse existimo.

XXIX.

Curatio glandularum durarum. 1. decoctis.

Remedia vero, quę glandulis induratis emolliendis ac dissolvendis maxime opportuna esse censemus, sunt:

1. *Infusa & decocta* ex radicibus, lignis & herbis resolventibus parata, bis terve in die usurpata: ut ex rad. sarsaparillę cum ligno guajaco; vel ex radic. sarsaparillę, chinę & ligno sassafras; vel ex radic. *scrophulariæ* aut *vincetoxici*, quę in Ephem. Nat. Cur. Dec. I. An. 1. Obs. 57. valde laudantur. Ita *decoct. ligni guajaci* cum radic. liquirit. vel infusum aut decoctum *herbæ rosmarini* cum saccharo, ad glandulas colli tumescentes digerendas recte commendantur a D. *Kuchlero*, Medico Lipsiensi, [a] quod cumprimis etiam valet in puellis mox adultis, quibus menstrua adhuc deficiunt; cum quibus vero omnibus subinde apta dosis tinct. antimon. vel essent. lignorum aut succini data negotium hoc tanto melius expedit.

XXX.

2. Pulveribus digerentibus.

Pręter hęc quoque 2. *pulveres* sanguinem hunc viscidum attenuantes, exhibendi: inter quos celebris est *pulvis ad strumas August.* cui vero cinna-

(a) In dissertat. *de glandulis colli puerorum tumefactis*, Lipsiæ in 4.

nabaris vel mercurii dulcis gr. j. vel alterum in quovis præbio apte addi poteſt. Ita & *antimonii crudi pulvis* huic pulveri ad ſtrumas commode ſubſtituitur, præſertim ſi ipſi in quavis doſi gr. j. vel alterum mercurii dulcis adjungitur, qui egregie glandulas puerorum in collo & minores ac recentiores *ſcrophulas diſſolvere ſolet*. *Pulvis millepedum* a ℈ß. ad ℈j. cum gr. j. vel altero mercurii dulcis *probatiſſimi quoque eſt uſus*, cum in *externarum glandularum tumoribus*, tum & in viſcerum tumoribus duris, præſertim ſi quovis triduo vel quatriduo interjecto idoneum purgans mercuriale interponitur. Ita & *pulvis radic. ari cum* mercurio dulci datus, valentiſſimus eſt in *tumoribus* induratis *internis* & *externis* diſſolvendis, a quibuſdam etiam *æthiops mineralis* valde commendatur, quamvis a *Boerhavio* in chemia ſua tanquam corpus iners rejiciatur: quæ vero remedia omnia diu ſunt continuanda, præſertim in malis jam inveteratis, vitata moleſta ſalivatione; alias brevi tempore parum vel nihil efficere ſolent.

XXXI.

Victus ratio.

Conveniens ſimul his in malis *victus ratio eſt* obſervanda, vitando omnia *alimenta auſtera*, *cruda*, *craſſa*, *flatulenta*, difficulter digerenda, olera hyberna, legumina ac ſimilia; itemque voracitatem ac nimiam etiam alimentorum teneriorum aut leviorum copiam; *aerem* frigidum & inſalubrem, *mœrorem*, *triſtitiam*, *nimium otium*, &c. ſed contra corpus ſæpe exerceant.

XXXII.

Remedia externa.

EXTERNE pro ſcopo glandulas & ſcirrhos recentes diſſolvente hic conducit fotus *ſpiritus vini calidi* ſimplicis, cum ſpleniis ſæpe ſuper impoſitus; vel *ſpiritus vini camphoratus & crocatus*, aliquoties in die renovatus. Ita & *emplaſtra reſolventia*, ut ſunt empl. de ranis Vig. cum mercurio, de meliloto, diaphoret. Mynſ. diachylum,

 alia.

aliaque in Institut. chirurg. nostr. p. 337. commendata, calide his tumoribus imponi & prædictus fotus, si lubet, vel & *sacculi digerentes* calide superaddi apte possunt, *vel ex herbis* & floribus fragrantibus, vel *ex cineribus calidis*, vel ex sale & arena compositi: hinc & *Deidier* in mammis scirrhosis valde commendat *arenam maris calidam* (*a*); cui vero forte arena vulgaris cum sale æquipollet. *Vapores acidi* a quibusdam etiam vehementer laudantur, *de quibus quoque uberius Institut. chirurg. nostr. videri possunt*.

XXXIII.

In quibusdam ad glandulas & tumores scirrhosos discutiendos egregium quoque est *oleum philosophorum & balsamum sulphuris Ruland.* si aliquoties in die his calide ac probe fricentur, supradato postea *emplastro*, *fotu* vel *sacculo* ex modo commendatis. Illorum loco etiam valde efficax est *Linimentum* ex oleo destillato, saponis, petroleo albo, axungia humana & unguento martiali August. paratum, cui postea emplastr. ex gummi ammoniaco, vel de sapone vel de meliloto, vel de sperm. ceti, aut de ran. Vigon. cum mercurio superimponendum, factaque his emollitione emplastr. oxycroceum cum diaphor. Mynf. sufficere asseverat *Mittermayer* [*b*], si modo interna supra laudata simul diligenter assumantur.

Si a labe venerea, ut sæpe fit, istiusmodi tumores oriuntur, *unguenta mercurialia* utilissima & valentissima sunt, si eis sæpius calide & diu probe fricentur: quæ vero & in aliis prosunt, si interna non negliguntur.

Si vero omnia hæc, ut haud raro contigit, parum essent, *scalpello* sæpe *excindi possunt*, quando locus ac mali conditio extirpationem admittunt;

(*a*) Lib. de tumor. p. 127. (*b*) In dissert. de strumis Bungensium.

runt; qua vero de re conf. Institut. nostræ chirurg. P. I. lib. IV. Cap. 16. item P. II. Cap. 98.

XXXIV.

Cancri curatio.

Cancri curatio interna.

Quod si vero scirrhus extirpari nequeat, aut ægri extirpationem ejus admittere nolint, is tamen *dolere incipiat*, *inæqualiter* tumeat, augeatur, venæ circa illum, ut sæpe fit, intumescant, & sic malum *carcinomatis*, quod vulgo *cancrum* & quidem *occultum* appellare solent, [a] indolem assumat studendum est, ut *hi dolores*, quia tolli prorsus vix possunt, quantum fieri potest, *ægris leniantur* ac *tolerabiles* reddantur; id quod tamen difficillime ac raro, præsertim in mammarum cancro, utpote frequentissimo, obtineri potest, sicut jam dudum expertissimus *Hildanus* monuit, [b] optandumque est, ut meliora aut valentiora his in malis cognita essent remedia, quæ huic scopo satisfacerent, perquam quæ hucusque ad nostram cognitionem pervenerunt; cum e contrario a quamplurimis potius remediis, ut §. 28. jam diximus, exacerbentur, atque incrementa sumant. Interea tamen *interne*, præter temperantiam & aptam victus rationem, *decocta lignorum*; vel horum loco decoct. *cortic. ulmi*, & foliorum saniculæ, (c) *pulveres antispasmodici & nervini*, primo sine anodynis aut opiatis, sed si illi non sufficiunt, cum extracti papaveris aliquot granis; vel horum loco emulsiones papave-

(a) Plura hac de re in Institut. chirurg. n. p. 342. legi possunt. (b) Lib. de Gangræna, Cap. VII. (c) Quod *Harris* in dissertat. chirurg. sua X. valde commendat.

verinæ, aut Essentia croci vino malvatico parata, & vesperi ad gutt. 30. & plures sensim data; vel hujus loco laud. liquid. Sydenhami a gutt. 15. ad plures sensim ascendendo, egregie benefaciunt; vel denique & massa pilul. de cynoglosso, cum pulveribus antispasmodicis, a gr. j. ad plura ascendendo; aut denique ipsum, si prædicta parum sunt, *laudanum opiatum*, quia natura sensim huic vel illi assuescit, ita ut mutatione remediorum subinde opus sit, si aliquid levaminis ægris præstare velimus. His *lenia purgantia* & cumprimis extract. *hellebor. nigr. cum mercurio dulci* a RIVERIO etiam feliciter usurpatum (*a*), interponenda & in plethoricis, vel ubi consuetæ sanguinis evacuationes suppressæ, *sanguinis detractio* subinde instituenda, pro ægrorum & rerum, quæ circumstant, diversitate.

XXXV.

Remedia externa cancri occulti.

Extrinsecus super *scirrhum dolentem* aut *cancrum incipientem*, vel saltem adhuc *clausum*, *lamina plumbea*, mercurio imprægnata imponatur, qua subinde in nonnullis dolores per aliquod tempus egregie leniuntur; vel loco hujus varia *emplastra* & *unguenta saturnina* commendantur, quæ vero, quia jam in Institut. chirurg. nostr. p. 340. nominata vel descripta sunt, ne actum hic agere videar, lectorem ad illas remitto. Matura vero *Carcinomatis extirpatio* præcipuum hic est remedium; quamvis hoc malum etiam post hanc sæpe redeat, ut sæpius expertus sum, & nemo certam curationem spondere possit.

XXXVI.

Si cancer exulceratus.

In cancro exulcerato, qui ut plurimum vehementissime dolet & fœtet, præter ea, quæ in institut. Chirurg. nostr. ad hoc malum leniendum com-

(*a*) Obs. 97, Cent. I. & *Scultet*, in Armam. Chir. Obs. 55.

commendavimus, *Harrisius* adhuc laudat *terebinthinam* splenio illitam: quæ etiam subinde revera aliquid præstat. Ita & *pulvere ligni sancti*, *sarsaparillæ* & *santali citrini* mammam cancrosam se curasse scribit, loco antea citato, parte solum a frigore defensa; qui vero pulvis forte quasdam, certe non adeo multas liberabit; partem læsam etiam tenui *lamina plumbea* & *splenio spiritu vini imbuto*, obtegi suadet. Alii *succum tabaci* recens expressum, tam mundandi, quam consolidandi fine laudant. Alii *succum bellæ donnæ*, alii *folia* & *decoctum* ejus & externe & interne magnifaciunt (*a*), verum sine fructu hæc adhibita fuisse novi. In quibusdam *aqua calcis cœrulea* aliquid levaminis præstitit; in quibusdam *unguent. nutritum*, ex aceto lythargyr. cum oleo rosarum, vel solani paratum; in aliis *spirit. vini* simplex linamentis impositus. Si vero hæc omnia parum sunt, *ferrum* sæpe, præsertim si mature adhibeatur, sanat. Verum ab omnibus his certam curationem non esse expectandam, usu didici. Si *emplastro* tegendus & ea ægra ferre potest, optima sunt *saturnina*, & imprimis, illud de minio camphora roboratum.

XXXVII.

Obstructiones a vasis compressis.

Ubi *obstructiones* & *inflammationes a ligaturis fortioribus*, ut in fracturis, vulneribus; hæ sunt solvendæ & moderatius adstringendæ, adhibito simul fomento digerente ex spiritu vini calido vel aqua calcis cum spiritu vini camphorato. *Quando ab effusis humoribus in capite*, sive calvaria, & hi resolventibus medicamentis, in Chirurgia nostra, cap. de capitis vulneribus, laudatis, tolli non po-

(*a*) Qua de re videri potest dissert. de *Bella donna* Halæ edita.

potuerunt, perforatione sive *trepanatione*, ut vulgo vocant, cranii; sed si *qui in thorace effusi*, & præsertim pus in *empyemate*, aut sanguis in vulneribus pectoris, *paracentesi* sunt educendi, de quibus operationibus vid. Institut. nostræ chirurgicæ.

XXXVIII.

Obstructa aures, nares, œsophagus.

Extranea aures vel nares obstruentia, ut pisa, fabæ, lapilli, volsellis uncinulisve eximenda, id quod etiam in calculo urethræ fieri debet. *Polypi in naribus*, hærentia in œsophago, *prolapsa solida in asperam arteriam*; tubercula sive *tumores* e vagina uteri aut intestino recto *excrescentes* & vias naturales obstruentes, itemque ita dicta *caruncula in urethra*, manu quoque chirurgica sunt auferenda.

Si *viæ naturales*, ut palpebræ, aures, nares, anus, vagina uteri, urethra p. n. *sunt coalitæ*, ut in ita dictis *atretis*, scalpello sectione provida sunt aperiendæ. Omnium denique obstructionem, ut brevis sim, quæ manum chirurgicam requirunt, curationes ex Institut. Chirurgic. nostris peti possunt, quæ in ejusmodi malis evolvendæ.

XXXIX.

Partus difficilis est quoque species obstructionis, dum foetus in partibus genitalibus hæret, eas obstruit, & transire nequit; verum de hoc quoque ample satis in Instit. Chir. egimus & nonnulla adhuc infra, ubi de morbis mulierum Cap. XVI. acturi sumus, proponemus.

CA-

CAPUT XIII.

De Fluxibus sive Fluxionibus, iisque maxime serosis.

I.

Quid fluxus.

FLuxus p. n. opponuntur obstructionibus, atque per eos *intelligimus quascumque profusiones aut effusiones p. n. sanguinis aliorumve humorum sive utilium, sive excrementitiorum, e corpore humano*: unde debilitas virium aliaque symptomata, immo, nisi in tempore rite succurratur, sæpe mors, sequuntur. Quoniam vero de fluxibus sanguinis plerisque supra Cap. V. jam actum est, reliquos hoc in capite proponemus.

II.

Contingunt variis in partibus.

Contingere solent tales fluxus in capite, thorace, abdomine, partibusque genitalibus utriusque sexus, ut & in tota peripheria corporis. *In capite* contingunt *fluxus lachrymarum* nimius sive *lachrymæ involuntariæ*, *oculus lachrymans* quoque dictus & *epiphora*, atque deinde *rhyas*, *coryza*, ptyalysmus sive sputatio aut *salivatio* nimia, &c. In *thorace*, tussis humida, rheuma, sive catarrhus pectoris, cum vel sine difficili respiratione, vel *raucedine*; In *abdomine*, diarrhœa, dysenteria, eaque vel cruenta vel biliosa, vel purulenta; lienteria, cœliaca passio, cholera, vomitus, fluxus hepaticus, diabetes, urinæ incontinentia, pollutio nocturna nimia, gonorrhœa & fluor albus: sed de his duobus ultimis quoque jam Cap. VIII. ubi de cachecticis affectibus egimus, dictum est; In *corporis peripheria*, sudor nimius & *ulcera serosa* occurrunt.

III.

Caussa.

CAUSSA horum fluxuum generatim *vel in humori-*

moribus hæret, vel in *partibus ſolidis*; in humoribus, quando vel quantitate, vel prava quadam qualitate, aut motu turbato peccant. A *quantitate excedente* oriuntur ſæpe diarrhœæ ſeroſæ ac bilioſæ, dyſenteriæ, vomitus, cholera, ſudor nimius, omnis generis catarrhi, tuſſis, coryza, præſertim ſi tranſpiratio ob quamcunque cauſſam fuit ſuppreſſa, vel crapula præceſſit.

A *quantitate humorum*, maxime ſpirituum, *deficiente*, proveniunt debilitates, animi deliquia, urinæ & fœcum incontinentia, ut & *ſudor frigidus* debilium atque morientium, vel & *calidus* quandoque nimius, ſive colliquativus, ut in hecticis & phthiſicis.

A debilitate ſpirituum & inde pendente partium debilitate, obſervantur etiam, præter modo dicta mala, lacrymæ involuntariæ, diarrhœa, lienteria, cœliaca, paſſio, diabetes, gonorrhœa benigna in viris, fluor albus diuturnus & rebellis in quibuſdam mulieribus.

Prava qualitas & quidem *acrimonia humorum*, præſertim bilioſa, ſæpe excitat vomitum, diarrhœam, dyſenteriam, choleram; *acrimonia* ſeroſa, partim eadem, partim *tuſſim*, *raucedinem*, *coryzam*; unde & *ulcera* ichoroſa, ſcorbutica, ortum ſuum trahunt. Ab *acrimonia venerea*, gonorrhœa, fluor albus virulentus, ulcera venerea, fiſtulæ, caries, ſpina ventoſa aliaque mala producuntur.

A motu turbato ſpirituum atque humorum, ut a terrore, metu, ira, oriuntur ſubinde, præter varias hæmorrhagias, diarrhœa, vomitus, cholera, alvi & urinæ fluxus, uteri hæmorrhagiæ, immo abortus ipſe in gravidis. Quo gravioribus vero comitati ſunt ſymptomatibus, eo majus adeſt periculum.

I V.

Curatio generalis.

In curatione harum fluxionum generatim ad diverſas cauſſas ſemper probe eſt reſpiciendum: ut

ſi

ſi vaſa & ſpiritus debiles, roborantia, tam ex diæta, quam pharmacia, ſunt adhibenda; *ſi humores acres aut bilioſi*, hi per contraria ſunt corrigendi, alterandi, atque etiam evacuandi; ſi *quantitate* excedunt, purgantibus, diaphoreticis, diureticis, vel & pro re nata vomitoriis, ſicut ſæpe in diarrhoea & dyſenteria opus, ſunt expellendi Si *a motu turbato ſpirituum*, hic quiete, nervinis & anodynis in ordinem eſt redigendus.

V.

De Coryza.

Speciatim in CORYZA, ſi fortior, [nam levior, ſi modo conveniens victus ratio ſervatur, naturæ relinquenda] primo purgantia & poſtea diaphoretica, anticatarrhalia ſunt exhibenda, & imprimis Eſſentia quædam diaphoretica mane, & veſperi pulvis quidam diaphoreticus. His præmiſſis, *externe* omnia ex *majorana* confecta naribus modice attracta vel inuncta diſſipant & roborant; vel *ſemen nigellæ* cum pauca camphora remixtum & naribus ſubinde admotum, itemque *balſama cephalica*, aut *ſalia volatilia urinoſa* eadem ratione adhibita; ſed cavendum, *ne ſolis externis* & quidem nimis cito, eam aggrediamur: quia abundans & noxium, quod expellendum his ipſis repellitur, vel ſiſtitur; unde dolores capitis, vertigo, aliaque graviora mala inde oriri ſolent. *Diæta* ſit parca & temperata, vitanduſque aer humidus & frigidus; quamvis iter ſæpe aut motus fortior in quibuſdam, ut ſæpe expertus ſum, hunc morbum ſolvat.

Speciatim coryza.

De

IV.

De Oculo lacrymante.

Oculus lacrymãs. OCULUS LACRYMANS, ſi a debilitate glandulæ lacrymalis oriatur, conveniunt primo roborantia externa, ut ſpiritus vini, vel aqua Reginæ Hungariæ, aqua ſimplici, vel aqua fœniculi, valerianæ aliave ſimili temperata, & ſuperioribus palpebris aliquoties in die illita. Interne, ſerum abundans purgantibus eſt evacuandum & revellendum, acrius vero balſamicis & anticatarrhalibus eſt alterandum & corrigendum, ut Eſſent. ſuccini & lignorum, ut & decoctis lignorum, atque ſimul revellendum, *veſicatoriis*, vel & pro re nata, *fonticulis*. Sed *ſi ductus naſalis eſt obſtructus*, aut cauſſa hujus mali ſit *fiſtula lacrymalis*, vel aliud chirurgicum vitium lacrymantem oculum faciat, ex Chirurgia auxilium petendum. Vid. Chirurgia noſtra, Cap. de oculo lacrymante. Si *caruncula lacrymalis* vel rodentibus medicamentis *eroſa*, vel ſectione improvida ablata, vel aliam ob cauſſam deficit, quod vitium *rhyas* appellari ſolet, malum eſt immedicabile; ſicut & ſi *a ſenectute* oriatur.

VII.

De Sputo nimio.

Ptyaliſmus. In *ptyaliſmo*, ſputo aut *ſalivatione nimia*, præſertim cum faucium magno tumore, humores revellendi & per alias vias, maxime autem per alvum, ſunt evacuandi, atque vaſa ſalivalia nimis laxa in ore roboranda: quapropter hic purgantia, ſed ſine mercurio, & poſtea ſudorifera, anodyna atque gargariſmata adſtringentia requiruntur.

De

VIII.

De Tussi humida, & raucedine.

TUSSI *humidæ* & *raucedini*, purgantia, & præsertim potiuncula purgans ex senna, manna, aliisque si lubet, parata, ac deinceps diaphoretica & pectoralia medentur: quæ tamen pro ratione caussæ sive materiæ peccantis varianda. *Quod si enim materia rejecta sit acris ac tenuis*, incrassantia, oleosa & mucilaginosa danda: ut saccharum candum, vel saccharum hordeatum, vel succus Glycyrrhizæ vel *massa pectoralis* ex cremore hordei, saccharo, gummi arabico aut tragacanthæ in formam morsulorum redacta, de qua sæpius frustulum in ore dissolvitur, ac sensim deglutitur; vel rotulæ diatragacanthæ, aut trochisci becch. albi, vel ol. amygdalarum dulc. solum aut cum sirup. flor. papav. vel violar. temperatum; *juscula* mucilaginosa ex hordeo, avena, oryza, fagopyro aut similibus parata; *infusa pectoralia*, ex radic. liquirit. ficubus, dactylis, passulis & herb. pectoral. composita, ut sunt spec. pectorales nostræ, Dispensatorii Brandeb. aliæve similes, atque si tussis vehementior, *anodyna*, ut massa pilularum de styrace vel de cynoglosso, vel laud. opiat. parca copia; vel Rotulæ becchicæ opiatæ disp. Brandeb. vel *emulsiones* ex sem. papav. albi, vesperi exhibita.

Tussis & raucedo ab acri.

IX.

Sin materia tussis est viscida & tenax, resolventia, attenuantia, abstergentia, lenibus dulcibus remixta, optime conducunt; ut radices & herbæ pectorales attenuantes: rad. scilicet helenii, pimpinellæ, irid. florent. ari; herb. veronicæ, hyssopi, scabiosæ, tussilaginis, cum sem. fœnic. anisi & anisi stellati, in forma infusi, vel decocti, atque

Tussis a caussa viscida.

præter hæc inprimis etiam *ſperma ceti*, in juſculo calido, vel decocto Coffe aut pectorali ſolutum, vel cum lapid. cancr. & ſaccharo in pulverem redactum, atque aliquoties in die apta doſi adhibitum: cui etiam aliquot guttulæ olei aniſi inſtillari commode poſſunt. Ita & ſpec. diair. vel in pulvere vel in rotulis; Elix. pectorale Wedel. Eſſent. helenii, pimpinellæ albæ, ſpirit. ſalis ammoniaci aniſati, ſirup. de eryſim. Lobelii, egregie hic proſunt, præmiſſis & interpoſitis, pro re nata, idoneis *purgantibus*, ad pituitam abundantem a pulmonibus revocandam atque evacuandam. In *ſexu feminino*, quia menſium ſæpe obſtructio & redundans ad pectus ſanguis tuſſes producit ac fovet, horum fluxus, ut ſupra Cap. IX. docuimus, eſt reſtituendus; interea tamen hic *pediluvia* revellendi fine proſunt, ſed inprimis *Venæ ſectio in pede* quoque multum confert, & diuturnam tuſſim inde ortam, aliis fruſtra adhibitis, ſæpe ſanat. Confer. Hiſtor. Morbor. Uratislavienſium.

X.

De Diarrhoea ſive Alvi fluxu.

Diarrhœa. DIARRHOEA, quia ſæpe eſt fluxio ſive excretio naturæ ſalutaris materiæ alicujus abundantis aut vitiatæ, præſertim ſi æger inde non debilitatur, & cibi faſtidium deeſt, *principio non eſt ſiſtenda*; ſed vel abſtinentia curanda; vel *potius evacuatio* ſupervacui aut noxii *juvanda*, potu ſcil. calido diluentium temperantium, ut aquæ calidæ aut tepidæ, Theæ, Coffe, juſculi tenuis e carne quacunque, decocti hordei vel avenæ, immo ſubinde leni laxante ex rhabarbari pulvere aut decocto, vel ejus eſſentia, vel potu aquarum mineralium temperantium, ut Selſerenſium, aut

pur-

purgantium, ut Egrenſium, Pyrmontanarum, &c. ad libras ij. vel iij. tepide hauſtarum. Poſtea vero *ſtomachica* roborantia ſpecifica, ex mentha, cydoniis & cinamomo parata, ut aqua menthæ cum vel ſine vino, aqua cinamomi ſimplex & cydoniata vel vinoſa, itemque theriacalia, ut theriaca vel diaſcordium a ℨß. ad ℨj. per intervalla data, optime opem ferunt, obſervata ſimul quiete corporis & calore temperato. Si in forma guttarum remedia deſiderentur, omnis generis Eſſentiæ ſtomachicæ, & cumprimis Eſſ. Nucis Moſch. cinamomi, terræ japonicæ, theriacæ vel diaſcordii hic conducunt. *Diarrhœa* tamen etiam *motu corporis, vectione cumprimis in curru* aut *equitatione*, immo *&* *ſudore provocato* haud raro egregie compeſcitur; nam una excretione aucta, altera imminuitur: quam ob cauſſam & *vomitorium*, atque inprimis hypecacoanna ſæpe fluxus ventris pertinaciores, ut HIPPOCRATES (*a*), & CELSUS jam dudum notarunt, atque recentiorum obſervationes quamplurimæ confirmarunt, compeſcere haud raro ſolet. *Externe* balſama ſtomachica ex ol. N.M. expreſs. & oleis deſtillat ſtomachicis, ut menthæ, abſinthii, chamomillæ, maſtichis, carvi, fœniculi & balſamo peruviano; vel ex theriaca & oleo Nuc. moſch. parata, ventriculo ſæpius illinantur, ſuperimpoſito etiam in malo graviori Empl. vel ex theriaca, vel de cruſta panis, vel de tacamahaca; aut ſacculis ſtomachicis, ex herb. menth. chamomil. rad. Zedoar. Galangæ, ſem. carv. aneth. fœniculi ſupradatis, aut cruſta panis toſti, cum ſpiritu vini calido vel vino hiſpanico imprægnata, ac nuce moſchata aliiſque aromatibus conſperſa; vel cataplaſmate

 ex

(*a*) Aphor. 15. ſect. VI.

ex pane mellito, aromatibus roborato, & vino hispanico ebrio; vel & cataplasmate ex frumento saracenico, quod *Mayz* vulgo appellari solet, in formam pultis redacto. Quæ ipsa etiam medicamenta & interna & externa roborantia *in hypercatharsi* adhibita, optime conducunt.

X I.

De Vomitu, & Hyperemesi.

Vomitus. *Vomitus*, quia sæpius etiam est naturæ excretio salutaris humorum noxiorum præsertim in ventriculo hærentium, cavendum quoque ne mox adstringentibus aut opiatis cohibeatur; verum studendum potius, ut ejectio eorum *potu aquæ tepidæ*, aut jusculi tenuis frequenti promoveatur; vel ipso etiam, si res id exigit, leni emetico & cumprimis radice hypecacoannæ, nam hic sæpe verum est dictum vetus, *vomitus vomitu curatur*. Postea vero eadem roborantia interna & externa sunt adhibenda, quæ modo in diarrhoea §. X. commendavimus. Atque eodem etiam modo *Hyperemesis* sive *nimius vomitus*, a medicamento purgante vel emetico fortiori ortus, est curandus.

X I I.

De Cholera.

Cholera. In *cholera*, in qua vomitus & diarrhoea simul affligunt, & morbus ex his duobus quasi compositus est, quia caussa fere eadem, saltem paullo vehementior, eodem fere modo procedendum: ab initio nimirum hæ excretiones adstringentibus aut opiatis non mox cohibendæ, sed potius largo potu

aquæ

aquæ calidæ, ut *Celsus* jam docuit; vel jusculi carnis tenuis calidi, quod *Sydenhamus* tantopere commendavit, vel decocti avenæ, materia irritans, acris, quæ plerumque hic biliosa, est diluenda, corrigenda atque evacuanda; postea vero, cessante cholera, quiescendum, ac ventriculus rursus internis externisque roborantibus ac stomachicis, modo in diarrhea §. X. laudatis, vino item generoso simplici vel aromatibus, præsertim cinamomo aut mace impregnato, aliisque idoneis, aquis, essentiis & elixiriis stomachicis roborandus ac restituendus, servata simul diæta modica.

XIII.

De Lienteria, & Cœliaca passione.

Lienteria & cœliaca passio.

In LIENTERIA, ubi assumta nondum digesta per alvi fluxum excernuntur, id quod ventriculum debilem & valde læsam ciborum concoctionem indicat, præmissa & interjecta evacuatione per *rhabarbarina*, ventriculi coctio stomachicis roborantibus, vino generoso, simplici & aromatibus roborato §. XII. aqua cinamomi, cortic. aurantiorum, stomachali quacunque, carminativa, vitæ Matthioli, pulveribus & trageis stomachalibus, essentia absinth. compos. Zedoar. galangæ, aliisque idoneis externis internisque, quæ §. X. sub diarrhea laudata sunt, est promovenda ac restituenda; servata semper parca diæta, adjunctoque motu corporis frequenti, ambulatione, equitatione, vectione. In COELIACA PASSIONE, ubi chylosa materia sæpe per alvum rejicitur, id quod vasa lactea in intestinis obstructa denotat, eadem conducunt, sed salia media his interponenda, ad vasa lactea obstructa rursus aperienda.

XIV.

De Dysenteria.

Dysenteria.

In DYSENTERIA, quæ vel *cruenta* vel *alba* sive biliosa, & in qua aliquid acre, quod intestina erodit, inflammat & corrumpit, (quodque propterea evacuandum & corrigendum) ad hanc materiam acrem irritantem temperandam, corrigendam & ex intestinis evacuandam, exhibendum 1. vel *lene evacuans per inferiora*, ex pulv. rhabarb. cum pauxillo nitri, inprimis ubi æstus adest, vel ex anima rhabarbari, ad cochlear. j. vel ℥ß. exhibita, vel ex infuso vel decocto rhabarb. cum fol. senn. & tamarindis; vel etiam mox in principio *emeticum*, præsertim si per nauseam, pressionis sensum, & anxietatem circa præcordia, vel vomendi conatum indicatur, ex rad. hypecacoannæ, quæ hic securissima ad grana XX. XXV. ʒß. vel ℈ij. [a], vel & *potus aqueus calidus copiosus* assumtus: de quo infra pluribus.

2. Post 6. vel 8. circiter horas ab assumto primo purgante vel emetico, *pulveres acrimoniam & æstum*, si quis adest, *temperantes*, ut pulvis ex lap. cancr. vel conch. citratis, crystallo montana præp. & nitro, singulo bihorio vel trihorio ex aqua quadam diaphoretica, cum pauxillo aq. cinamomi cydon. roborata, vel potu conveniente sunt porrigendi; vel horum loco magno cum fructu, præsertim si nullus adest calor p. n., pulvis *gummi arabici* aut tra-

(a) *Infantibus* & pueris pro ratione ætatis tantum aliquot grana exhibentur, eaque subinde totus morbus tollitur, vel saltem minui solet.

tragacanthæ ad ℥j. sæpe eodem modo exhiberi potest; quæ gummata ob vim temperantem & demulcentem in multis hic valde sunt egregia.

XV.

Si vero dolores vehementes intestinorum sive *tormina* valde urgeant, optime prosunt, præter modo laudata gummata 3. *oleosa*, ut ol. amygd. dulc. vel olivarum, vel sem. lini aut papaveris, vel per se quodlibet, vel saccharo remixtum, sed larga dosi, singula scilicet vice ad ℥j. ℥jß. vel ℥ij. & quidem aliquoties in die data, quia parca dosis parum proficit; quæ olea simul acrimoniam rodentem egregie temperant, partesque erosas demulcent ac rursus sanant, ita ut multi e vulgo solis hisce oleis & saccharo ab hoc gravi morbo se liberent. Ita etiam pulveribus illis temperantibus *lene anodynum*, præsertim vesperi, contra illos dolores, apte admisceri potest.

Quomodo dolores mitigandi.

Præterea 4. *Clysteres* vel ex decocto seminis lini, vel ex lacte & oleo ac theriaca, vel sero lactis & theriaca, vel ex solo oleo olivarum aut lini, in malo vehementiori, sunt injiciendi, & quidem, si dolores urgent, aliquoties in die, quæ & *tenesmo*, symptomati hic sæpe molestissimo, egregie medentur. Ventri denique vel eadem applicari possunt, quæ §. X. in diarrhœa laudavimus; vel *sacculus* imponatur e semin. carvi, anethi, & flor. chamomillæ; vel, ubi inflammationis in intestinis signa adsunt, *spiritus vini camphor.* calidus cum theriaca ope linteorum complicatorum.

XVI.

Loco *potus* ordinarii, *cerevisia haud bibenda*, præsertim frigida, aut feculenta, quia hac ipsa omnia redduntur pejora; sed potius his ægris suasi, ut utantur *decocto*, C. C. vel hordei succo citri imprægnato, vel avenæ, vel ichtyocollæ, vel sero lactis, vel *aqua selserensi*, addito semper pauco lacte, quando ægri ab hoc non abhorrent, & quidem pri-

Potus idoneus.

mis diebus larga copia & sæpius bibant, ad acria temperanda, eluenda & demulcenda. Sic *juscula* etiam *vitulina*, gallinacea, vervecina, præsertim incocto semine carvi, si æger juscula non aversatur, haud raro egregie hic prosunt; sed de his §. XXIV. plura.

XVII.

Qui alvus deponenda.

Quoties alvum deponere cogitur æger, patina aut vas aliud huic usui idoneum in lecto ei subjiciatur, ne surgere cogatur, ob frigus his ægris summe noxium evitandum, præsertim quando in loco non satis temperato decumbit. Sed si hoc præsto non sit, aut æger surgere malit, extra cubiculum haud prodeat, verum perforatæ sellæ semper insideat, cui caloris caussa vas supponatur aqua calida [in qua *verbenas* decoqui suadet CELSUS] impletum, lateresque calidi pedibus subjiciantur, ne frigore lædantur, corpusque in perpetuo blando calore, vestibus probe defensum, ad transpirationem, quæ hoc in morbo plerumque imminuta, restituendam, conservetur; omne enim frigus, quia transpirationem lædit, hic valde nocet & tormina auget: hinc & *potus semper sit calidus*, aut saltem tepidus, viteturque frigidus qualiscunque quam solertissime.

XVIII.

Degneri modus curandi dysenteriam hypecacoanna.

DEGNERUS, Medicus clarissimus Neomagensis, qui in vehementi dysenteria epidemica haud pridem vixit, atque utilissimum librum cum multis egregiis observationibus hoc de morbo nuper edidit, initio, ubi signa *vomitum* indicantia aderant, radicem *hypecacoannæ* optimo semper, ut asseverat, cum successu, exhibuit; verum non solum in principio, sed etiam quovis morbi tempore, ubi indicia, noxiam quandam in ventriculo adhuc hærere materiam, se exhibebant, nisi forte virium defectus aut aliud quid id vetabat, eam a ʒß. ad ℈ij. dedit, & si hæc materiam flavam aut viridem sursum vel deor-

deorsum evacuabat, alvi fluxus ut plurimum inde minuebatur & ægri plerumque intra paucos dies reconvalescebant.

X I X.

Essentia rhei.

Sed si adhibita hypecacoanna alvi fluxus cum ceteris malis continuabat, ad materiam vitiatam acrem, tanquam illorum caussam, uberius & evacuandam & corrigendam, horis XII. elapsis, *essentiæ rhei aqueæ sive animæ rhabarbari* cochleare dimidium vel integrum, pro ægrorum diversitate, ipsis dedit, idque singulis IV. vel VI. horis repetiit, donec malum imminutum fuit; atque de hac præterea affirmat, materiam noxiam non solum omnem hac ipsa blande evacuari, verum etiam intestina debilitata egregie roborari, imo simul, quando dolores ægros vehementer divexant, eam quoque præstantissimum illis esse anodynum.

X X.

Non in omnibus autem curationis *initium ab hypecacoanna fecit;* sed ubi vel non indicabatur, vel morbus jam invaluerat, *initium* quocunque morbi tempore *cum modo laudata rhabarb. essentia fecit*, atque præstantissimos inde fere semper vidit effectus; ægri quoque, ut asseverat, hoc remedio evacuante non debilitabantur, sed fluxus potius sub usu ejus continuato sensim, una cum ventris doloribus, imminuebatur, & sæpe sine aliis remediis adhibitis plane cessabat, ægrique optime inde, nisi jam, quando accederet, prorsus desperati essent, sanati sunt.

X X I.

De simaruba viribus.

Sed præter evacuantia hæc, si malum his omnino tolli non potuit, *remedia quoque corrigentia & roborantia* in usum vocavit, inter quæ præ ceteris novum specificum, nimirum *decoct. corticis* exotici, *simarubæ* dicti, quod celebris JUSSIEUS jam antea in Acad. Reg. Par. 1729. valde commenda-

ve-

verat, extollit. cujus ℥ij. in libris circiter ij. aquæ, ad residuum ℥viij., pro tribus cyathis, coquuntur, quæ ordinaria dosis est, quæ fluxum hunc sistit. Si tamen hi tres cyathi hoc prima vice haud præstent, iterandum est illud decoctum, ita plerumque post sextum haustum fluxus cessat, ægrique ut plurimum jam ab altero cyatho multum levaminis sentiunt. Attamen illud nunquam adhibendum esse præcipit, nisi evacuatis & liberatis prius primis viis a materia acri rodente, tanquam caussa hujus morbi, per prædicta evacuantia. Vel etiam omni bihorio vel trihorio ℥j. vel ℥ij. hujus decocti ægris bibendas dedit, ad plenam usque curationem, per aliquot dies. *Effectus ejus blandos & lenes esse docet, sine aliqua evacuatione*, & dysenteriam, præsertim cruentam, sub ejus usu fere semper sensim decrevisse. Immo *si cohibitus hic fluxus*, ut fieri quandoque solet, aliquando redierit, repetito ejus usu intra triduum denuo ipsum curatum fuisse. *Lenit* [inquit] *corrigit* & *roborat*, ob amaritiem blandam, quam possidet. Si quibus sapor ejus est adversus, addito sirupo quodam verb. grat. papaveris, &c. emendari commode potest; in substantia vero ventriculo molestus est. Si *decoctum hoc desideratum effectum non præstabat*, forte ob materiam non satis evacuatam, tincturam rhei laudatam bono cum successu ei admiscuit.

XXII.

Cascarilla & terra japonica usus.

Denique notat DEGNERUS *ægros fuisse*, attamen paucos, *ubi prædicta omnia desideratam opem non præstabant*, & præsertim ubi tonus intestinorum nimis quantum debilitatus erat, atque tunc se *ad fortiora adstringentia*, *corticem* scilicet *cascarillæ*, ipsum progressum esse: ubi autem primo non *cascarillæ pulverem*, sed plerumque ejus tincturam sive *essentiam cum simarubæ decocto mixtam*, propinavit. Non raro etiam hanc tincturam

cum

cum tinct. rhei, partibus æqualibus sine decocto simarubæ dedit, atque bonum inde effectum vidit. Notat autem simul *decoctum simarubæ majores vires in fluxu cruento*, quam bilioso, mucoso aut purulento, [quem vulgo *dysenteriam albam* vocant] exeruisse; quo vero in casu *huic decocto cascarillam* utiliter admiscuit. Verum & hac nihil proficiente, tandem ad *terram japonicam* dictam, sive ad succum *catechu*, tanquam fortius adstringens, progressus est, eumque vel in pulvere vel in tinctura reliquis adstringentibus admixtum tutissimum deprehendit.

XXIII.

Radix salab.

Quoniam vero *in doloribus oleosa* a multis ob nauseam peculiarem sumi nequeunt, loco oleorum supra §. XV. laudatorum, *Degnerus* contra vehementes dolores aliud specificum, *radicem* scil. *salab*, quæ orchidis persicæ species esse dicitur, & naturæ mucilaginosæ est, valde laudat: cujus ℨj. subtilissime pulverizatæ in aquæ ℥viij. infunditur & leni calore extrahitur; postea per linteum expressa quiete in *gelatinam* abit pulcherrimam, de qua contra dolores singulis duabus vel tribus horis cochleare dimidium vel integrum, prout dolorum vehementia est, sumitur, quæ egregie eos leniri & intestina ulcerata sanari prædicat. [*a*]

XXIV.

Victus & regimen.

DIÆTA ex *Degneri* consilio, *acrimoniæ alcalicæ sit contraria*, adeoque fere ut in febribus ardentibus moderata *acida* tantum abest ut noceant, ut potius tuto moderata copia omni cibo addi

(*a*) Inquirendum an non idem effectus vel a nostris *orchidibus*, quæ quoque mucilaginosæ sunt, vel etiam a mucilagine radicis *symphyti* coctæ, vel *malvæ*, vel *althea* vel seminis *lini* aut *cydoniorum* vel *ichthyocolla*, aliisve similibus obtineri queat.

addi possint, & imprimis succus citri sive limonum, aut ipsum etiam acetum. *Pro potu* optime adhibetur *decoctum hordei* vel CC. *cum succo citri*, vel *decoctum album Sydenhamii*, vel *ichthyocollæ*, item Thea, Coffe, aut horum loco *decoctum sem. Carvi*, quod egregium hic est anodynum, cum & sine lacte; vel etiam illorum loco & variationis caussa *lac ebutyratum & serum lactis*; [a] quibus roborandi gratia subinde *haustulus boni vini rhenani* vel *mosellani*, præsertim si æger illud appetat, interponi potest. Sed hæc omnia moderatis haustibus & non frigide sunt bibenda. *Absint cerevisiæ*, præsertim feculentæ & frigidæ; nam hæ sæpe æstate, ex mea sententia, dysenteriæ caussæ sunt, eamque magis & sæpius, quam fructus horæi, ut sæpius vidi, producunt. *Vina dulcia* quæcunque, *canariensia*, *hispanica* & *gallica*, immo & *rubra*, & speciatim illud quod *Pontac* vocatur, aliave similia adstringentia his ægris nocere DEGNERUS quoque notavit, præsertim initio morbi, sicut omnia alia adstringentia. *Quies* servanda & *calor moderatus*, ut §. XVII. jam docuimus, cubiculo temperato, vestibus tegumentisque procurandus; *motus* vero ac *frigus* at præsertim *potus frigidus*, aut *incessus per pavimenta lapidea* aliaque *frigida*, nudis præsertim pedibus, summe sunt noxia.

XXV.

Quid morbo superato faciendum.

Morbo multum imminuto aut omnino superato, conducunt *roborantia*, & tonum intestinorum restituentia; ut spec. de hyacintho, corall. rubr. terra japonica, terra sigillata, cort. cascarillæ, crocus martis adstringens; essent. absinth. cort. aurant. cascarillæ, millefolii, ova ad duritiem cocta, cum pauco aceto in pastu, vinum rubrum aliudve generosum,

(a) Quod *Baglivius* & *Degnerus* quoque valde laudant.

sum, & *si intestina valde erosa fuerunt*, oleum linii vel amygdalar. dulc. vel olivarum ad cochlear. j. vel gummi arabici ʒß. subinde interponendum, factaque curatione, exacta & moderata victus ratio per aliquot adhuc hebdomades requiritur, vitando noxium cibum atque potum, & cumprimis etiam frigus; alias facile morbus cum periculo redit, ægrosque perimit.

XXVI.

Præservationis gratia bona est servanda diæta, & deinde quotidie mane, ex *Degneri* consilio, *tincturæ rhei* cochl. j. assumendum. Ita & essentia millefol. cum essent. scordii, vel essent. pimpinellæ aut alexipharmaca egregie conducunt, si quotidie bis, matutino scilicet & vespertino tempore, apta earum dosi utamur; *corpus a frigore*, ubi opus, probe defendamus, cerevisiam feculentam aut non probe coctam, fructusque horæos, præsertim magnam eorum copiam vitemus, & moderatam diætam servemus. *Haustus vini rhenani generosi* in pastu etiam ad malum hoc avertendum egregie prodest, & apud ægros *saliva non est deglutienda*, neque etiam *edendum* aut *bibendum*. Quibus nullum est negotium apud ægros, eos vitent, quia dysenteria sæpe valde contagiosa.

Præservatio dysenteriæ.

XXVII.

Monita adhuc quædam medica circa dysenteriam.

1. *Nulla dysenteria periculo vacat*; adeoque nunquam flocci facienda; qua in re multi peccant, malum, initio præsertim, nimis leve existimando, illudque sic negligendo, vel adhuc magis inepto vitæ regimine augendo.

Monita practica.

2. *Haud facile sponte cedit*, & *natura sola in ejus curatione* ut plurimum stat post post principia; & pa-

& *parum valet*; artis vero præstantia & Medici dominium supra naturam hic egregie eminet; quia evacuando & corrigendo in tempore materiam noxiam & acrem, tanquam caussam mali, morbum plerumque feliciter sanat.

3. Omnes, *qui hoc morbo pereunt*, ex *sphacelo intestinorum moriuntur*; quare hic omni modo præcavendus.

4. *Adstringentia* in principio & speciatim terrea, ut terra sigillata, japonica, corallia, C. C. ustum, crystallus montana, croci martis, tincturæ martiales, immo & vinum, *Pontac* dictum, aliaque ejusmodi, nocent, adeoque vitanda; quia retinendo vitiatos intestinorum humores eorum inflammationes, dolores, exulcerationes, itemque febres, aphthas aliaque mala, immo ipsam mortem inducunt; in fine tamen, sicut §. XXV. dictum est, roborandi caussa adhiberi apte possunt; ubi ex DEGNERI sententia & observatione *simaruba*, *cascarilla* & *terra catechu* reliquis roborantibus palmam hic præripiunt, & securissima sunt.

5. E contrario *diluentia*, *potus aqueus*, *copiosus*, *calidus*, initio largiter haustus, ut cumprimis hydrogalæ, seri lactis, lactis ebutyrati, lactis ipsius, aquæ selserensis cum lacte, decocti hordei vel citrati, vel ad modum coffæ parum tosti, vel ichtyocollæ, cum vel sine gummi arabico, aliive similes, tam egregie sæpe prosunt, ut multi fere solis his, mox in principio largiter adhibitis, servato simul apto victus regimine, restituti sint.

6. Ita & *salia omnia*, intestinis erosis, nocent: neque *mineralia* quæcunque hic magni sunt usus; sed *vegetabilia* & nonnulla ex *animali regno* hic prævalent.

7. Omnia *drastica purgantia*, immo & *aloetica*, ac speciatim quoque *Beccherianæ pilulæ*, sive simplices sive correctæ, ex DEGNERI & mea experientia, nihil boni præstant: quamvis hæ ultimæ a nonnullis in hoc malo valde commendentur.

8. Ne-

8. Neque *gummata resinosa*, & nominatim mastiche, olibanum, aut *balsamica*, ut balsamus peruvianus, terebinthina, &c. a multis olim hunc fluxum sistendi fine proposita, neque *sudorifera*, præsertim calidiora, magnam virtutem hic exerunt.

9. *Rhabarbarum tostum*, a non paucis hic adeo laudatum, minus valet in hoc morbo, quam simplex pulvis & essentia ejus; quia torrendo vires ejus potius minuuntur quam augentur.

10. *Opiata* & inter hæc etiam *theriaca* ac *diascordium* in dysenteria Neomagensi nocuerunt; aliis vero in locis, evacuata prius & correcta probe materia noxia, aliis admixta, sæpe profuerunt. Hinc caute observandum, ubi ea vel prosint vel noceant.

XXVIII.

De Diabete.

Diabetes.

In *Diabete*, cum scilicet urina eaque plerumque cruda super potionis modum, cum ægri languore excernitur, id quod plerumque *ob renes debiles* & nimis quantum laxos contingere solet, præsertim in iis, qui potu quocunque, annis præcedentibus se *nimium* & *sæpius repleverunt*, roborantia, blande adstringentia, inprimis species de hyacintho cum croco martis, & anodynis maritata, vel terra japonica aut ejus essentia, tinctura martis cydon. Vel tinctura vitrioli martis, & vinum rubrum, aqua temperatum, modica quantitate prosunt; potus vero sit parcus, & nimius quicunque vitandus. *Exercitatio* quoque & fricatio corporis frequens egregie hic conducunt: quia partes roborant, & transpirationem augendo serum a renibus divertunt.

XXIX.

Urinæ incontinentia.

Urinæ incontinentia.

Urinæ incontinentia recens, quia *Sphincterem vesicæ debilem* pro caussa agnoscit, roborantibus & nervinis externis atque internis, martialibus, aromaticis ac spirituosis, balneis martialibus & nervinis, vino rubro vel alio generoso modice usurpato, curanda; atque externa præcipue regioni pubis & perinæi imponenda. Vel si hæc parum sint, &, ut haud raro fit, nihil efficiant, congruis *instrumentis* [de quibus in chirurgia nostra] cohibenda.

XXX.

De Pollutione nocturna.

Pollutiones nimiæ.

In *pollutione nocturna nimia*, si a *sanguine* abundante *acri ac fervido* originem ducit, præter venæ sectionem & diætam tenuem, refrigerantem aut temperantem, ac potum aquæ, blanda acida; ut cremor tartari, hepaticum rubr. Dresdense, temperantia citrata, nitrosa, cum pauco saccharo saturni & camphora prosunt, vitandusque, quantum fieri potest, in somno decubitus supinus. Si *vero debilitas jam insignis adsit, & pollutiones tamen*, ut sæpius observavi, *continuent*, curatio sæpe est perquam difficilis; quia refrigerantia & tenuis diæta adhuc magis debilitant, pleraque vero roborantia pollutiones provocant & augent, atque hinc rursus debilitant; unde novi quosdam in summam corporis maciem, debilitatem cerebri ac memoriæ incidisse. His ve-

ro,

ro, quia acrimonia ſtimulans mali cauſſa fuit, præmiſſis modo dictis, *cura lactea* per aliquot hebdomades adhibita egregie profuit: poſtea ſuaſi alimenta roborantia ex bonis juſculis & lacte, ſed ſine aromatibus aliiſve acribus, itemque *emulſiones* ex amygdalis & ſeminibus frigidis, quibus malum tandem ſublatum eſt. Quibus vero *pollutiones a ſeminis nimia copia oriuntur*, matrimonium eſt optimum remedium.

XXXI.

De Fluxibus a motu turbato.

Fluxus a motu turbato.

Si a motu turbato ſpirituum, fluxiones oriantur, ut fluxus alvi poſt *terrorem*, *triſtitiam* & *metum*, ſpirituoſa, roborantia, infuſa aquea calida, motus corporis, immo in ſanguineis ipſa ſæpe venæ ſectio conveniunt; *poſt iram* vero *fluxus ventris* aut *vomitus*, quia ſalutares ſunt bilioſæ acris materiæ evacuationes, non mox ſunt ſiſtendi, neque ſpirituum motus calefacientibus excitandus; ſed potius placandus temperantibus, abſorbentibus, nitroſis & cinnabarinis: ut pulvere temperante, vel pulvere marchionis ac ſpecifico cephalico Michael: ex aqua temperata aſſumptis, & denique quiete. *Vitandæ* contra ſunt *mox poſt iram evacuationes fortiores*, præſertim *emetica* aut *purgantia fortiora*, quia turbatum nimiſque exagitatum motum ſanguinis & ſpirituum adhuc magis, ideoque nimis turbant; itaque eandem ob cauſſam vitandus cibus, aut *potus*, maxime *ſpirituoſus*. *Lene tamen evacuans ex rhabarbaro* præſertim, aliove ſimili, aliquamdiu poſt aſſumptum non nocet: & quando poſt aliquod temporis ab ira intervallum, amarities in ore, dolor ac pondus circa ventriculum, nauſea, conatus vomendi, aut ipſa jam febris per-

cipiantur, *lene emeticum*, ad majora mala a bile vitiata in primis viis hærente præcavenda, utilissimum esse cognovi: quamvis nonnulli id *pro veneno* proclament. Vid. F. HOFFMANNI dissertat. de *emetico aut purgante post iram veneno*.

XXXII.

De Sudore nimio.

Sudor copiosus & nimius.

Sudor nimius raro per se morbus est, verum plerumque non nisi aliorum morborum effectus vel symptoma est: quandoque tamen *sudor copiosus salutaris est excretio* sive crisis, qua natura a multis noxiis humoribus, aut saltem a supervacaneis sese liberat, sicut in catarrhalibus, febrilibus, aliisque nonnullis malis fieri solet, ubi ægri hoc ipso vel a malis liberantur, vel saltem insigne levamen sentiunt; *quandoque autem symptoma est*, quo ægri incredibiliter debilitantur atque extenuantur, quemadmodum hoc in hecticis, phthisicis, febribus quibusdam malignis, aliisque quibusdam morbis observare licet, quibus in casibus etiam *colliquativi* dici solent.

XXXIII.

Curatio si ab humorum copia.

Quando forte *a nimia humorum abundantia* oritur, nulllo modo est impediendus: novi enim sic plures, qui quotidie fere mane in lecto fortissime, sine omni incommodo aut noxa sudarunt, qui ceterum sani vixerunt, leves & agiles inde fuerunt, atque ad magnam ætatem hujus beneficio pervenerunt, & qui male se semper habuerunt, quando ille sudor consuetus matutinus non rite succederet, aut ob quamcunque caussam impediretur aut interrumperetur. Igitur ejusmodi sudor neque stragulorum rejectione, neque refrigeratione, neque medicamentis quibuscunque adstringen-

gentibus aut opiatis est cohibendus; si tamen ille hominibus istis molestus esset, & inprimis illis noxius esse posset, quibus noctu sæpe aut summo mane, antequam hic sudor finitus, surgendum & in aerem frigidum exeundum esset, sicuti verbi divini Ministris, Medicis, &c. iis præter parciorem diætam in cibo & potu, suaderem sæpius repetita *purgantia*, ut sic humores illi abundantes per aliam viam e corpore eliminentur; aucta enim una evacuatione, imminuitur altera, adeoque & hanc ob caussam *diuretica* his prosunt.

XXXIV.

Si in hectica aut tabe.

Sudor nimius hecticorum & phthisicorum sive tabidorum noctu quoque potissimum eos affligens nunquam levamen eis affert; sed potius mirifice illos debilitat, adeoque symptomaticus est, atque non nisi curato morbo, cujus symptoma est, curari potest, de quorum curatione supra Cap. VI. & Cap. X. §. XVI. egimus. Interea tamen aliquo modo ipsum minuunt & calorem temperant, primo *tegumenta leviora*, deinceps *pulveres temperantes*, ex conchis vel lapidibus cancrorum citratis & nitro parati atque circa vesperam semel bisve exhibiti; vel spec. de hyacinth. cum pauxillo nitri, adjecto uno alterove grano mass. pil. de cynoglos. & interjecto *potu sufficiente seri lactis* vel simplicis vel cum herb. bellid. & acetosæ aut acetosellæ parati, aut *lactis ebutyrati*; vel & *emulsionis tenujoris*: quibus si non cedit, atque fluxus alvi adhuc supervenit, res conclamata esse solet.

XXXV.

Si in & post febres.

Sudores largi in fine *paroxysmorum febrium intermittentium*, itemque in crisibus febrium acutorum boni moris, non sunt impediendi; sed quia critici & salutares tranquillo decubitu, potu temperato sufficiente, & potiunculis diaphoreticis ac temperantibus promovendi.

Quando autem ægri *post superatas febres intermittentes multum sudant*, ut sæpe fieri memini, interdiu bis vel ter ess. quædam amara cum quarta parte essent. cortic. cascarillæ, noctu vero dosis spec. de hyacinth. cum mass. pil. de cynogloss. gr. j. vel ij. data egregie sudores hosce moderantur & tandem compescunt.

Sudores copiosi, iique præsertim *frigidi*, febribus acutis & præsertim malignis, itemque inflammationibus viscerum partiumque internarum, ut & gangrænæ & sphacelo supervenientes, ut plurimum certam brevique secuturam mortem indicant, nullisque remediis cedunt.

XXXVI.

De Ulceribus.

Ulcera serosa.

In ulceribus serosis, serum abundans & acrius, *purgantibus*, cumprimis *mercurialibus* & balsamicis, itemque diureticis & diaphoreticis, ac nominatim essentiis & decoctis lignorum aut herbarum traumaticarum, est evacuandum ac divertendum, lymphæque corruptio & acrimonia similibus, itemque succinatis, myrrhatis, pilulis Beccherianis, aliisve ejusmodi balsamicis corrigenda; immo *quandoque ipsa salivatione* per hydrargyrum, servando simul aptam victus rationem, & vitando acria, salsa, potumque nimium, ulcera hæc optime curantur. De externis medicamentis, conf. Chirurgia nostra P. I. L. V. C. III.

CAPUT XIV.

De præcipuis sensuum morbis.

I.

Quomodo oriantur.

SEnsuum organa objectorum motus nervis recipiunt, atque ope horum, si rite sunt constituta, ad cerebrum & animam transferunt; quando vero vel in mechanica organorum fabrica sive in partibus ipsorum solidis aliqua læsio contingit, vel in humoribus, aut in spiritibus aliquod vitium oritur, sensus unus aut plures vel prorsus abolentur, vel solum imminuuntur, vel depravantur, prout læsio illa & impedimentum actionis majus vel minus est: quandoque enim non tantum organum in una vel pluribus partibus simul læditur, sed vitium adhuc vel humorum vel spirituum accedit.

II.

Caussa generatim.

Quo minor est spirituum copia & in organa sensuum influxus, eo minor est sensatio; hinc in *animi deliquiis* & *apoplexia* a virium defectu, vel omnes vel plerique pereunt sensus. Ita & quo humores magis vel minus circa organa vel nervos sensuum accumulantur & quiescunt, eo magis vel minus læduntur sensus. Ita & a læsione organi sensorii, v. gr. vulnere oculi, vel ruptura aut læsione membranæ tympani, visus vel auditus vel omnino destruitur, vel minuitur.

III.

Speciatim visus vitia.

Speciatim vero *cæcitas* oculo inducitur vario modo: nam *visus* tollitur in AMAUROSI *sive gutta serena* (ubi nullum fere vitium in oculo apparet & æger tamen haud videt) quando spiritibus a cerebro per nervum opticum ad tunicam oculi re-

tinam transitus ob quamcumque caussam denegatur: quo casu oculus ipse quidem sæpe sanus & ut jam diximus, fere sine labe apparet, attamen æger cœcus est.

SUFFUSIO *sive* CATARACTA plerumque ab humore crystallino opaco, ut in scriptis meis de cataracta evici, ut plurimum albicante sive gryseo aut margaritis simili inducitur; rarissime vero a corpore membranaceo in humore aqueo genito, ut olim putarunt, oritur.

GLAUCOMA ex mea sententia a *vitreo humore opaco* originem ducit, quæ proinde opacitas, glauca, ut veteres docuerunt, profunde in oculo apparet; cum in suffusione corpus opacum pupillæ sive uveæ parti posteriori sit proximum.

Amblyopia sive visus debilis, generatim, vel a spirituum defectu atque non sufficienti per nervum in retinam influxu, ut in senibus aliisque, vel a studiis nimiis vel ab aliis caussis valde debilitatis, vel ab humoribus, aut tunica cornea non satis pellucidis, provenit; sive hoc fiat in senibus ob senectutem, sive in junioribus a caussis externis sive internis, quibuscunque; ab utroque vero caligo senum originem ducit.

Strabismus, vel a musculorum oculi inæquali tractione sive hæc a spasmo, aut epilepsia, sive a paralysi musculi cujusdam ortum trahat; vel a puncto axis visoriæ in tunica retina læso.

OPHTHALMIA in inflammatione atque rubedine tunicarum oculi & cumprimis tunicæ albugineæ consistit.

UNGUIS, *pannus*, & *pterygium* in membrana p. n. exterius corneæ adnata eamque obtegente, consistit.

LEUCOMA sive *albugo* ut plurimum a spissiori materia intra lamellas corneæ vel in superficie ejus hærente, vel & a cicatrice in cornea provenit.

NY-

NYCTALOPIA ut plurimum *a pupillæ nimia dilatatione*, ut in die ſatis conſtringi nequeat, ortum trahit, quo fit ut organum viſus a nimia radiorum copia obruatur, ut ſicuti noctuæ, interdiu videre nequeat.

Contrarium contingit in HEMERALOPIA, ubi veſperi vel in loco obſcuro *pupilla nimis conſtricta* ſatis dilatari adeoque recte videre nequit.

MYOPIA vel a *cornea*, vel ab humore cryſtallino *nimis convexis*, vel ab oculis, conſuetis aut uſitatis juſto majoribus, ut leges opticæ docent, oriri poteſt. PRESBYTOPIA vero a contraria cauſſa provenit; ad utraque vero vitia etiam totius oculi ſingularis conformatio, ut v. gr. nimis brevis aut nimis longa, &c. plurimum facere poteſt. Plura oculi vitia in Chirurgia noſtra videri poſſunt.

IV.

Auditus læſi cauſſa & vitia varia.

Quod ad *auditum* attinet, tollitur hic vel nervo auditorio omnino obſtructo, vel deſtructo, vel membrana tympani læſa, pertuſa vel lacerata ex vulnere vel ulcere, aut oſſiculorum auditus & labyrinthi corruptionibus variis, abſceſſibus, ulceribus, obſtructionibus, unde ſurditas provenit, licet cauſſæ ejus ſæpe ob ſitum abſconditum perſpici nequeunt.

DIFFICULTAS vero AUDITUS oritur vel a ſpirituum paucitate, vel a partium auris internæ ac præſertim membranæ tympani vel relaxatione, vel induratione, aut in partium labyrinthi obſtructione, ut in ſenibus, literatis, aliiſque debilioribus; vel ab humorum decubitu aut congeſtione ut in plethoricis, nervum auditorium, aliaſque organi auditus partes lædente; vel a meatus auditorii obſtructione a cerumine aliiſve corporibus peregrinis: unde pro diverſitate læſionis levioris aut gravioris auditus magis etiam minuſve lædi ſolet.

V.

Speciatim tinnitus.

Speciatim vero *tinnitus*, *sibilus* & *susurrus aurium* oriri videntur vel ab obstructionibus quorundam vasculorum in membranis tympani, cavi tympani, vel labyrinthi; vel a motu p. n. aeris in cavo tympani contenti; unde & quandoque *fragores* illos, qui a quibusdam & præsertim surdastris in auribus sæpe, quasi sclopetus exploderetur, percipiuntur, provenire verisimile est.

VI.

Gustus & olfactus læsus.

Gustus læsiones, atque *sapores inusitati* salivæ salibus peregrinis, vel particulis biliosis immixtis debentur; vel si omnino *gustus tollitur*, aut salivæ nimis viscidæ, aut linguæ nervis obstructis vel alia quadam ratione læsis, vitium erit adscribendum.

Ita & *olfactus sublatus* nervorum olfactoriorum obstructionem vel læsionem pro caussa agnoscit.

VII.

Fœtor corporis aut oris.

FOETOR *corporis* a sero corrupto & præsertim ejus particulis oleosis aut sulphureis corruptis & quasi putrefactis, dependet: nominatim vero *fœtor narium* exulcerationi in narium membrana interna, sed maxime in ossibus nasi spongiosis, ut in *ozœna*, vel *cancro* ipso debetur; fœtor oris vero a putrilagine gingivarum aut dentium, ulcere pulmonum, cruditatibus nidorosis in ventriculo hærentibus, vel a vermibus ventriculi, vel a mercurialium medicamentorum usu & actione ortum trahit, qui fœtor peculiaris in ipsa salivatione ægrorum maxime percipitur.

VIII.

Stupor.

STUPOR partium & *tactus abolitus* ab obstructione & *paralysi* nervorum cutaneorum, aut ab ipsorum corruptione alia qualicunque provenit; dum sic spiritus eos transire nequeunt, adeoque nec sensus tactus fieri potest.

IX.

IX.

Sensus quoque interni varias patiuntur læſiones, & quidem primo vel omnino abolentur, ut in perfecta *apoplexia*, *epilepſia*, & *lipothymia* graviori; vel minuuntur, ut in hoc morbo levius affligente, vel in *memoria imminuta* aut prorſus abolita; vel depravantur, ut in judicio læſo ac deliriis. Conſiderabimus hic primo MEMORIÆ DEBILITATEM ſive *oblivionem*, quæ a ſpiritibus vel imminutis aut debilitatis, in ſenibus nempe, aut poſt febrem acutam, aut a venere nimia, aut a ſtudiis nimiis, aliave cauſſa ſimili quacunque oriri ſolet; vel ab impedito aut confuſo eorum motu in cerebro, vel a læſione quadam ipſius cerebri, ut anima ſuas functiones in eo perficere recte nequeat.

Memoria læſa.

X.

Deinde notanda DELIRIA, quæ ſenſus interni & ſpeciatim *judicii graviſſimæ ſunt læſiones*, & inordinatum ſpirituum motum in cerebro indicant, eumque vel nimis auctum, vel nimis imminutum. Nam in *febribus* & *mania* vehementius commoti & efferati nimis aut furentes quaſi ſunt; in *melancholia* vero non ſatis mobiles, ſed quaſi nimis fixi & depreſſi; vel ob humores nimis viſcidos, vel propter obſtructiones in cerebro, aliaſve cauſſas. Ita & *deliria oriuntur* in pleriſque ægris a morbo vehementi, aut longo, *vigiliis* præſertim nimiis valde debilitatis, utpote, quæ peſſimi moris eſſe *Hippocrates* indicat.

Deliria.

Sed CATALEPSIS a ſumma eorum fixitate vel motu ad certum tempus impedito dependere videtur, dum ægri hi in eadem per aliquod tempus manent poſitura, qua, dum morbo hoc prehenduntur, fuerunt.

XI.

VIGILIÆ NIMIÆ motum ſive exagitationem nimiam ſpirituum in cerebro, adeoque organorum ſenſuum quietem læſam, a quacunque cauſſa, ſive a ca-

Vigiliæ.

a calore nimio, ſive exagitatione & tenuitate humorum, ſive ab animi affectibus vehementioribus, ſive a doloribus inductum conſequuntur, dum in ſomno ſpiritus quieſcunt. Curæ & meditationes ſeveræ ob eandem rationem viglias concitant; ſed *nimia ventriculi repletio* vigilias quoque aut ſaltem ſomnum turbulentum & valde interruptum producit.

XII.

Morbi ſoporoſi. SOPOR *contra nimius ſive affectus* SOPOROSI, quo & *apoplexia* pertinet, ab impedito libero motu liquidi nervoſi ſive ſpirituum per cerebrum & nervos ad organa ſenſuum proveniunt, ſive hoc impedimentum *a ſulphure narcotico* in ſanguine exiſtente, ſicut in opiatis, aliiſque narcoticis continetur, oriatur; *ſive a debilitate ſpirituum* & inde pendente vaſculorum cerebri collapſu; ſive a *plethora* in corticali cerebri ſubſtantia medullarem ejus partem comprimente; ſive *a ſero* & ſanguine *nimis viſcido*, idem efficiente, vel medullarem cerebri ſubſtantiam intrare non potente; ſive *ab effuſione ſanguinis vel ſeri* intra cranium, a cauſſis externis & internis, caſu ab alto, fractura cranii, ſive a tumoribus intra cranium obortis dependeat.

SOMNIA ſive *inſomnia turbulenta* a motu turbato ſpirituum ob cauſſas quaſcunque provenire exiſtimo; quando vero ideæ in ſomno profundo fortius adhuc agitantur, INCUBUS, immo *ſomnambulatio* ſive *noctambulatio* inde oriri ſolent.

XIII.

Curatio generalis. In *curatione* horum morborum generatim ad cauſas ſerio ſemper eſt attendendum, operaque danda, ut in ſpirituum defectu hi augeantur, in motu peccantes in ordinem redigantur, & ut in organa ſenſuum ſpiritus libere fluere & agere poſſint, atque impedimenta actionis horum, quæcunque illa ſint, quantum fieri poteſt, removeantur, organaque

que læsa corrigantur, aut debilitata rursus roborentur.

XIV.

Visus debilis & Amaurosis.

Visus debilis & amaurosis.

Generatim vero in *visus læsionibus* ac speciatim in VISU DEBILI, aut GUTTA SERENA sive AMAUROSI incipiente aut saltem adhuc recenti, a *spirituum debilitate*, *aut paucitate*, vel *ab humoribus viscidis* aut eorum *decubitu* sive congestione in vel juxta nervos opticos provenientibus, *medicamenta*, *quæ spiritus augent*, *viscidosque humores* partim *attenuant*, partim revellunt, evacuant atque dissipant, interne sunt adhibenda: uti sunt, [*præmissis & interjectis idoneis purgantibus*, *immo & subinde si vomitus indicantia adsunt emeticis*] *omnis generis cephalica* [*a*] aromatica, carminativa, attenuantia, & inprimis herb. euphrasiæ, veronicæ, hyssopi, flores rosmarini, salviæ, cyani, sem. anisi, fœniculi, radix valerianæ, fœniculi, lignum sassafras, cinamomum, millepedes, in forma infusi & pulveris usurpata, ubi & *succus millepedum recens expressus*, peculiari per aliquot hebdomades ratione, quotidie scilicet in numero eorum ascendendo, assumtus egregie sæpe proficit, immo & *mercurialia*, & ipsa subinde *salivatio*, consideratis probe rebus circumstantibus, caussis & subjectis, caute adhibita, sicut aliquoties vidi, valde prosunt, obser-

---

(*a*) *Galenus* scite dixit, *qui oculos curare vult*, *curet prius caput* sive *cerebrum*, & qui hoc vult curare, curet prius corpus reliquum.

ſervato ſimul apto victus regimine (*a*). *Si hæc vitia ab hæmorrhagiis* conſuetis *ſuppreſſis*, præſertim hæmorrhoidibus aut menſibus, vel evacuationibus ſanguinis uſitatis neglectis, efficiendum ut illæ in ordinem rurſus redigantur; vel ſi hoc fieri facile non poſſit, miſſiones ſanguinis artificiales eis ſubſtituantur. Sed *ſi a neglecta venæ ſectione vel ſcarificatione*, hæ denuo inſtituantur.

XV.

Externe proſunt revellendi fine *fonticuli* variis in locis excitati, *veſicatoria*, *ſetacea*, præſertim in phlegmaticis, vel *cucurbitulæ* & venæ ſectio in plethoricis: ſpeciatim etiam hic ſæpe conducunt cauteria vel fonticuli in ſutura coronali aut in cervice; vel *ſetacea in auribus* facta, itemque *pediluvia* tepida frequenter adhibita. *Oculis ipſis* applicanda *roborantia*, ut aqua fœniculi, flor. cyani, valerianæ, euphraſiæ, roſarum, ſpiritus vini, aqua Reginæ Hungariæ, ſal volatile oleoſum ſylvii, vel decoctum aut infuſum rad. fœniculi in vino, quæ omnia vel per ſe vel etiam cum ſacculis ex herbis roborantibus & ſemine fœniculi paratis oculis ſæpius vel illinenda vel ſuper imponenda. Conducunt etiam ad humores noxios ab oculis abducendos *errhina* naribus attracta, & cumprimis pulvis rad. iridis Flor. vel caſtan. equinæ, itemque ſpiritus C. C. aut ſal volatile oleoſum naribus ſubinde admotum aut bregmati inſtillatum. *Inveterata* autem *amauroſis* ut plurimum inſanabilis.

XVI.

(*a*) Vid. diſſert. noſtra de Amauroſi ſalivatione curata.

XVI.

Suffusio sive Cataracta.

Atque hæc omnia etiam prosunt in SUFFUSIONE sive CATARACTA incipiente aut recenti, quæ ab humoribus crassis, spissis sive viscidis, in humore crystallino hærentibus, oriri solet; quia eos attenuant, resolvunt, fluxiles rursus reddunt ac spiritus augent, ita ut hac ratione quandoque pellucidus rursus reddatur, visusque restituatur; quod si vero hoc obtineri nequeat, vel *cataracta* jam sit *inveterata* aut *matura* sive perfecta, manu chirurgica per acum est supprimenda. Sed de his omnibus prolixius legi potest curatio cataractæ & amauroseos in tractatione nostra de cataracta prolixe tradita, & speciatim etiam de curatione suffusionis per acum Institutiones nostræ chirurgicæ.

Cataracta sive suffusio.

XVII.

De Maculis volantibus.

MACULÆ sivæ IMAGINES ante oculos VOLANTES, quæ ab obstructis nervi optici aut retinæ fibrillulis vel a venulis ibidem p. n. nimis dilatatis mihi oriri videntur, difficillime tolluntur, præsertim si jam sunt inveteratæ, & haud raro vel amauroseos vel cataractæ sunt prodromi; interea tamen in principio pleraque ea ad obstructiones illas referandas optime hic prosunt quæ §. XIV. & XV. modo proposuimus & commendavimus, easque tunc sæpe vel tollunt, vel minuunt, vel saltem pejora mala præcavent, præsertim si conveniens vitæ regimen instituitur.

Imagines oculorũ volãtes.

De

XVIII.

De maculis in Cornea.

Macula in cornea.

Maculæ in cornea, UNGUIS, *pterygium*, *leucoma*, *strabismus*, sive *visus luscus*, aliique morbi manuum opem requirentes, qui in oculo occurrunt, quomodo tractandi, ex chirurgia nostra, ubi prolixe de iis actum est, videri potest.

XIX.

Myopia, & Presbytopia.

Myopia & Presbytopia.

MYOPIA non nisi vitris concavis emendatur, vix autem omnino nisi ætate majore subinde curatur. Sed in PRESBYTOPIA, quæ quoque vix sanari potest, perspicilla convexa, una cum medicamentis cephalicis & roborantibus, trageis, essentiis, infusis aquosis & vinosis, decoctis, ut & collyriis confortantibus §. XIV. indicatis, adhibenda sunt, ut visus tanto diutius conservetur.

Auditus debilis.

Auditus læsiones, & cum primis tinnitus aurium atque auditus difficilis, quomodo curandi, vid. Cap. X. N. XI. & XII.

XX.

Gustus, & Olfactus læsus.

Gustus & olfactus læsus.

Gustus & olfactus plane aboliti, præsertim ubi caussa non patet, vix aut difficillime ut plurimum restituuntur; interea tamen §. XII. modo laudata remedia evacuantia, resolventia, roborantia, cephali-

phalica & anticatarrhalia ſæpe haud ſine ſucceſſu adhibentur, quia obſtructa vaſa & nervos egregie aperiunt. Ubi vero *guſtus ſolum depravatus*, & cauſſa non adeo obſcura, maxime in morbis cognitis, ut febribus, occurrat, ſublato morbo præcipuo tollitur & hoc ſymptoma. Ita *ſapor amarus* in febribus & extra febres, qui bilis copiam in ventriculo indicat, tollitur *febrifugis*, *emeticis*, purgantibus, acidis: *ſapor nidoroſus*, qui ab humoribus putridis oritur, ſucco citri, aliiſque acidis, addito ſubinde evacuante: ſapor ſalſus, aqueis, & præſertim aquis mineralibus, atque aqua calcis vivæ: *acidus* abſorbentibus, terreis ſalibus alcalicis, magneſia, pulvere abſorbente Wedelii, &c. imminuitur.

XXI.

Fœtor corporis vel oris.

In *fœtore corporis*, qui humoribus corruptis ortum debet, putrilago humorum eſt emendanda, balſamicis, antiſcorbuticis, purgantibus, ſudoriferis, & ſpeciatim decoctis radicum & lignorum, horumque eſſentiis. Speciatim in *fœtore & putrilagine gingivarum*, tinctura lacc. Mynſ. cum tinctura flor. aquileg. maritata, eſt egregia, ſi gingivæ eis ſæpius fricentur, itemque myrrha & alumen uſtum reliquis pulveribus dentifriciis additum. Ita & *ſal vulgare* hic egregie prodeſt, ſi dentes & gingivæ eo ſubinde fricentur.

Narium.

In *Narium fœtore* ab ozæna, ulcus eſt curandum, eaque ſi a lue venerea orta, vel eam comitetur, vix niſi mercurialibus aut ipſa ſalivatione mercuriali tolli poteſt. Externe hic proſunt aqua viridis Hartmanni, aqua mercurialis, aliaque quæ in noſtra Chirurgia Cap. de ozæna videri poſſunt.

XXII.

Stupor artuum.

In ſtupore artuum, qui ab obſtructis nervis cutaneis oriri videtur, præmiſſis purgantibus, revellentibus, præſertim mercurialibus, nervina ac ſpirituoſa

tuosa externe & interne, atque inprimis interne spiritus C. C. liq. C. C. succin. sal volatile oleosum, externe spiritus formicarum, lumbricorum, salis ammoniaci, matricalis, itemque fricationes frequentes partium læsarum; sinapismi, armoraciæ rasæ aut cantharidum applicatio, fustigationes cum urticis recentibus & balnea ex nervinis vel thermis naturalibus, sicut in paralysi, conveniunt.

XXIII.

De Delirio acutarum.

Delirium febrile. In delirio febrium acutarum quid sit faciendum videri potest supra pag. 60. & 61.

XXIV.

Mania. In MANIA, quæ delirium est cum furore & audacia, spiritus efferati mitigandi, venæ sectione larga, eaque subinde repetita; emeticis & purgantibus præsertim ex helleboro paratis, decoctis aqueis, refrigerantibus & temperantibus, præsertim herbæ anagallidis, quod hic ut specificum valde laudatur; vel aqua simplice pura succo citri vel nitro largiter impraegnata, emulsionibus papaverinis cum camphora roboratis, vel & aliis blandis opiatis cum humectantibus sive decoctis datis; præterea *balneis* & *pediluviis*, immo etiam subinde in nonnullis *fustigationibus*: quæ ipsa quoque in *amore insano* & *furore uterino* haud raro conducunt: quo autem ultimo in malo matrimonium cum juvene vegeto ut plurimum optime prodest.

XXV.

De Melancholia.

Melancholia.

In MELANCHOLIA spiritus segnes vel depressi [præmissis tamen alvum evacuantibus, & in sanguineis Venæ sectione] sunt excitandi, humores crassi ac difficulter mobiles incidendi & resolvendi : id quod fit moderato usu vini generosi, motu corporis frequenti, infusis herbarum attenuantium, resolventium, aromaticarum aut cephalicarum, ut betonicæ, salviæ, melissæ, rosmarini, additis cort. citri, vel cinamomi, aliisve similibus, loco Theæ usurpatis, salibus volatil. oleosis, spir. C. C. lig. C. C. succinato, essent. cinamomi, cort. citr. cort. aurant. herbæ & flor. rosmarini, aromatica, spiritu salis ammoniaci vinoso, præsertim oleis gratis cephalicis imprægnato, & inde sic parato balsamo vitæ, ad modum Scrœderi vel Hoffmanni ; specieb. lætific. diamargarit. calid. cinnabari, blandis martialibus, aliisque anticachecticis; quibus grata spectacula & colloquia, musica, ambulationes in hortis amœnis, peregrinationes, aeris & regionis mutationes jucundæ aliæquæ mentis recreationes sunt addenda. Nominatim vero in *melancholia hypochondriaca*, primæ viæ & imprimis sanguinis congestiones in vasis venæ portæ sunt respiciendæ : hinc sanguinis missiones, moderata diæta, infusa calida plantarum laudatarum aliarumque similium attenuantium, pulveres & essentiæ resolventes atque antispasmodici, hic sunt egregii, vel & *aquæ minerales* eæque martiales legitime usurpatæ, & præsertim varias ob caussas ad fontes ipsos, si fieri potest, addito & motu corporis frequenti, sed moderato, ad humores & spiritus attenuandos,

T

dos, corrigendos atque excitandos, ſæpe ſunt præſtantiſſimæ.

XXVI.

De Incubo, Noctambulis, & Catalepſi.

Noctambulatio & catalepſis.

Qui *ſomniis turbulentis* & *incubo* laborant, itemque *Noctambuli* ſunt, aut *catalepſi* correpti, quia ab eadem fere cauſſa oriuntur, eodem etiam fere modo, præmiſſis pro rerum circumſtantium varietate evacuantibus & ſanguinis miſſione, obſervata probe parca victus ratione, curandi.

XXVII.

De Rabie Canina ſive morſu Canis rabidi atque Hydrophobia.

Morſus canis rabioſi & rabies canina.

In *rabioſi canis morſu*, [qui *hydrophobiam* ſæpe cum aliis graviſſimis ſymptomatibus, brevique tunc ut plurimum mortem inducere ſolet] prægreſſa immerſione in aquam frigidam, ſi fieri poteſt, interne diaphoretica, præſertim theriaca cum aceto aut vino, vel eſſentia ſcordii cum ſpiritu vitrioli ſimplici aut dulci parum acuata apta doſi, ſubjuncto frequenti potu aqueo calido, cumprimis infuſo ſalviæ vel ſcordii, & regimine ſudorifero mature ſunt exhibenda, ſæpius iteranda, diuque continuanda: quibus etiam *ſcarabæus majalis* contritus ſubinde interponi poteſt, qui ut ſummum ſpecificum contra hoc malum a multis laudatur. *Externe* præ omnibus vulnus ſcalpello mox incidatur atque dilatetur, & vel ore, ad modum Pſyllorum apud veteres, exſugatur vel cucurbitulæ ad ſanguinem infectum atque venenum rabioſi canis in morſu cum vulnere communi-

municatum, extrahendum, applicentur, vel theriaca & aceto calido, vel aqua ſalſa aut forti muria, probe eluatur; aut, quod præſtantiſſimum a multis habetur, *ferro candente* aduratur, ac denique ulterius tractetur, ſicut in Chirurgia noſtra capite de vulneribus venenatis, docuimus. Ubi *Hydrophobia*, ſive aquæ aut potus metus jam adeſt, raro malum curationem admittit. Interea laudata ſunt adhibenda.

XXVIII.

De Vigiliis nimiis.

Vigilia nimia.

In *Vigiliis* involuntariis *nimiis* (§. XI.) quæ in multis morbis ægros afficiunt, vel & ſine aliis morbis multos miſere affligunt, cauſſa nota, ſi fieri poteſt, omni modo removenda, & ſpiritus nimium excitati atque exagitati placandi ac demulcendi, *emulſionibus*, præſertim papaveraceis, aut eſſentia croci cum vino malvat. parata a gutt. XX. ſenſim ad plures aſcendendo, vel parca doſi laudani liquidi *Sydenhami*, vel theriacæ, vel pilula una aut altera de cynogloſſo, vel extracto flor. aut ſemin. papaveris, non neglectis morbis concomitantibus. *Extra morbos* vero *curæ* & *meditationes ſeveræ*, præſertim veſperi, ſunt vitandæ, motus frequens corporis inſtituendus, nimiaque ventriculi repletio nocturna fugienda. Ubi *dolores in cauſſa* ſunt, hi antiſpaſmodicis, temperantibus ac diaphoreticis ſunt leniendi, atque cauſſa eorum auferenda, & ſi hæc non ſufficiunt, blanda *opiata* his adjungenda. In *ſenum vero vigiliis* potiſſimum curæ & ſollicitudines nimiæ ablegandæ: e contrario tranquillitas animi, roborantia & ſpirituoſa, & cumprimis modicus uſus vini generoſi, præſertim veſperi pleriſque conveniunt, immo & medicamenta *ambrata*, ut ſpec.

diambr. diamoſchi, confect. alkerm. completa, theriaca, præſertim cum vino, & ſimilia. *Potus* vero *aquei calidi*, quicunque, & inprimis Coffe, a meridie & circa veſperam, omnibus iis, qui dormire nequeunt, atque vigiliis involuntariis excruciantur, maxime ſunt vitandi.

XXIX.

De Memoria debili, & Oblivione.

Memoriæ debilis curatio.

Memoriæ debilitati proſpici ſolet victu modico & roborante, medicamentis roborantibus, carminativis, aromaticis, cephalicis, Tragea aromatica Aug. ſpecieb. diacinamom. pulv. ſtomach. Birckm. aliiſque ſimilibus, item ſpiritu magnanimitatis, ſive formicarum compoſ. Laurenbergii, ſpir. lavendulæ, roſmarini, balſamo vitæ Schrœd. & Hoffm. ſale volatili oleoſo, &c. interne & externe uſurpatis. Præterea & præſertim in ſenibus, confect. alKerm. completa vel anacardina, &c. elæoſacchar. cinamomi cum cinnabari nativa, vel antimonii; ſive pulvis aureus Zellenſis, &c. his in regionibus uſitatiſſimus: cavendum tamen, ne in uſu horum, præſertim ab hominibus calidioribus, copia excedatur, alias hi ægri in febres vel maniam, ſtultitiam aut fatuitatem haud raro incidunt.

In ſenibus hoc in morbo aliiſque capitis debilitatibus, medicamentis pleriſque *ambra*, ſi eam ferre poſſunt, utiliter plerumque admiſcetur, adeoque & *ſpecies diambræ* & *diamoſchi* tunc conducunt: ut pulvis, & eſſentia ambræ cum fluidis roborantibus aliis. *Externe* vero aqua apoplect. Regin. Hung. ſpirit. lavend. balſama cephalica, ſalia volatilia ſicca vel fluida & cucuphæ roborantes adhibenda, *vitando ſimul cauſſas*, ut potionem aut venerem nimiam, vigilias voluntarias, meditatio-

nes

nes nimias, & quæ alia forte huic malo occasionem dederunt.

XXX.

De Apoplexia.

Apoplexia quid & quotuplex.

Ad sensuum læsiones etiam quam maxime pertinet *Apoplexia*, adeoque hic de gravissimo & periculosissimo hoc morbo adhuc acturi sumus. Est vero Apoplexia generatim morbus in quo ægri sensibus & motu nunc subito, nunc sensim privantur. Dividenda igitur est apoplexia 1. In *levem*, quando prægressa vertigine, aut dolore vel gravitate ac debilitate capitis, vel etiam sine his, quidam sensus & motus, vel in totum vel ex parte reliquis adhuc integris, pereunt: quo in casu etiam sæpe motus linguæ & loquela læduntur. Quando autem in alterutra tantum corporis parte motus vel solus, vel simul sensus & motus læduntur, *hemiplegia* vocari solet. 2. In *vehementiorem* sive *fortiorem*; quando correpti vel prægressis modo dictis malis, vel etiam sine his, sensibus & motu amissis, superstite tamen respiratione & pulsu, ut plurimum cum stertore subsequente, prosternuntur; & denique 3. In *vehementissimam*, quæ est, quando subito & uno quasi momento ægri, sine sensu & motu superstite, mortui, quasi securi percussi, aut fulmine tacti, procidunt. Ex quibus signis & diagnosis ac differentia sunt petenda. Quamvis vero *apoplexiam haud raro vertigo præcedat*, tamen inde non mox concludendum aut pertimescendum, ut multi faciunt, quasi ex quavis vertigine apoplexia sequeretur: quia multi hac diu laborarunt, ubi tamen nulla apoplexia secuta est; & vice versa multi apoplesia sunt correpti, quam nulla vertigo præcessit.

XXXI.

Caussa apoplexiæ.

Caussæ antecedentes apoplexiæ sunt variæ ; proxima vero *sæpissime est ruptura cujusdam vasis* vel sanguiferi vel serosi aut lymphatici in cerebro, unde humores in calvariam effunduntur , qui cerebrum & nervos comprimunt, eorumque functiones vel lædunt vel omnino tollunt : quemadmodum hoc in dissectis cadaveribus quamplurimis observatum est [a]. Vel caussa proxima quoque esse potest *obstructio vasorum in cerebro* & præsertim corticali ejus substantia, vel *a sanguine nimis crasso & viscido*, sicut præsertim in plethoricis sæpe contingit, ubi facies & oculi ægrorum rubicundi & sanguine quasi distenti esse solent ; *sive ab humoribus pituitosis* sive *serosis viscidis*, prout in ægris phlegmaticis sive frigidis, præsertim senibus, qui ejusmodi humorum abundantia, cum in primis viis ex prava diæta, vel læsa ventriculi concoctione, tum in vasis sanguiferis & toto corpore laborant : ex qua diversitate & fundamento Apoplexia ratione caussæ in *sanguineam* & *phlegmaticam* vulgo & haud inepte dividi solet , quæ divisio etiam in curatione suam habet utilitatem. Denique hic morbus etiam a *spirituum* & *virium defectu* & inde orto vasorum cerebri ac nervorum collapsu, oriri potest , id quod præcipue in senibus , deinde vero etiam in iis accidere existimo, qui vel studiis nimiis vel etiam venere nimia, aliisve de caussis spiritus nimis absumserunt. Priori caussæ proximæ , apoplexiæ scilicet sanguineæ , occasionem sive caussam procatarcticam sępe prębet *crapula* sive potus vini nimius, aut spiritus vini aliorumve inebriantium; hinc multos novi, qui inter vel brevi post convi-

via

(a) Qua de re videri potest *Wepferi* liber de Apoplexia & *Lancisii* aliorumque de Mortibus subitaneis.

via apoplexia correpti & mortui ſunt; vel *ira* aut *motus quidam vehementior*, &c. quę omnia ad vaſa in cerebro perrumpenda ſatis idonea ſunt. *Apoplexiæ* vero *phlegmaticæ* ſive pituitoſę cauſſa antecedens ſive occaſio eſſe poteſt voracitas ſive nimia ventriculi, pręſertim cibis viſcidis ac tenacibus repletio, corporis & inprimis capitis refrigeratio; aer frigidus & humidus, & quęcunque humores ſeroſos viſcidos adhuc magis cogere poſſunt.

XXXII.

Prognoſis & cura.

Ex prędictis jam ſatis patere poteſt *Morbum hunc omnium acutiſſimum & periculoſiſſimum eſſe*, & quidem quo vehementior, eo majus vitę eſt periculum; adeoque promptiſſimum exigit auxilium, quod vero, pro cauſsę diverſitate, varium eſse debet. In *gradu tertio ſive vehementiſſimo* nulla eſt curatio, ſed *in primo vel altero*, prę omnibus, ad ęgros hos excitandos conducit omnis generis remedia *volatilia*, *ſpirituoſa* & roborantia naribus diligenter admovere, qualia ſunt ſpir. ſalis ammon: ſimplex vel vinoſus, ſpiritus C. C. vel liquor C. C. ſuccin., vel etiam ſpiritus lavendulę, roſmarini aut ſimiles; *ſalia præterea volatilia* ſimplicia & oleoſa, ſive ea ſint fluida ſive ſicca, vel aquæ ſpirituoſæ, ut aqua Reginæ Hungariæ, analtina, apoplectica, &c. exhibitis ſimul interne aquis cephalicis ſpirituoſis, & ſpiritu ſalis ammon. C. C. liquor. C. C. ſuccin. Balſ. vitæ Schrœderi aut Hoffmanni ac ſimilibus; quibus addendæ ſunt fricationes capitis, pedum, manuum, immo in malo graviori, totius corporis commotio & agitatio, præſertim ſi æger a duobus aut pluribus perſonis robuſtis hinc inde per cubiculum diu multumque trahitur atque retrahitur; quo ipſo nonnullos rurſus reſtitutos eſſe & ego vidi & alii ſcriptores teſtantur. Inter hæc vero in plethorica apoplexia, quam primum fieri poteſt, *largiter ſanguis*, modo ex brachio,

modo ex pede, modo ex jugulo, immo etiam ex ipſa arteria temporum educatur.

Quando his nondum excitantur, *ſcarificationes* cum cucurbitulis etiam in fincipite & occipite, itemque poſt aures inſtituantur, quibus ipſis ægri ſæpius in altero gradu excitati & a mortis periculo liberati ſunt: quæ omnia vero mature & in principio adhibeantur, quia ſi tarde hoc fiat, nihil plerumque efficiunt.

Clyſteres etiam *acriores* in inteſtina excitandi & revellendi cauſſa injiciantur, itemque *veſicatoria* fortia ex cantharidibus vertici, cervici, dorſo ac ſuris eundem in finem ſuperimponantur, iiſque quam ſolertiſſime donec excitentur, continuetur. In leviori etiam leniora ex his remedia ſunt adhibenda.

XXXIII.

In *apoplexia phlegmatica*, *frigida* ſive *pituitoſa* aut *ſeroſa*, præſertim ſi convivium, crapula aut repletio præceſſit, atque æger adhuc deglutire poteſt, *emeticum* valens eſt exhibendum, ceteraque omnia hactenus dicta, ſola forte ſanguinis detractione omiſſa, niſi plethora aut evacuatio ſanguinis conſulta ſuppreſſa ſit, tam externe quam interne ſunt facienda. *Uſtio plantarum* pedis aut bregmatis a quibuſdam etiam valde hic commendatur, adeoque ſi illa brevi nihil efficiunt, etiam hanc tam in hac quam ſanguinea adhibere conſultum eſt. Vid. Chirurg. noſtr. Tab. XII. Fig. 11.

XXXIV.

Si *apoplexia a ſolo virium defectu oriatur*, [quæ interdum etiam magis pro ſyncope, lipothymia aut animi defectione eſt habenda] tunc neque miſſiones ſanguinis, neque emetica proſunt, ſed ſola excitantia & roborantia §. XXXII. optime conducunt.

XXXV.

Quid poſt paroſyſmum.

Aeger excitatus roborantibus, poſtea donec vires priſtinas, quantum fieri poteſt, recuperet, curandus,

qua

qua de re vero uberius, ubi de paralyſi acturi ſumus, proponemus.

XXXVI.

Præſervatio.

Quia vero ii, qui ſemel apoplexia laborarunt, facile denuo ea rurſus corripiuntur, in plethoricis *optimum præſervans eſt ſanguinis miſſio*, quovis trimeſtri ſpatio inſtituta; præterea modica & temperans victus ratio, medicamenta temperantia & blande roborantia, abſtinentia a ſtudiis, curis & meditationibus gravioribus, fonticulus aut ſetaceum, & uſus aquarum medicatarum legitimus, remedia ſunt præſtantiſſima.

XXXVII.

De Paralyſi.

Paralyſis quid & quotuplex.

Paralyſis, quia plerumque apoplexiæ ſoboles eſt, ejuſque quaſi reliquiæ, eam hic mox ſubjungemus. *Eſt vero Paralyſis morbus*, in quo una alterave pars corporis humani & haud raro dimidia ejus pars omni motu & ſubinde etiam ſenſu tactus privatur. Quando igitur integrum latus paralyſi laborat, apoplexia plerumque prægreſſa eſt; quando vero certum quoddam tantum membrum & nominatim brachium vel pes, dolores & catarrhi ut plurimum præceſſerunt, parteſque paralyticæ utplurimum molles, laxæ & flaccidæ tactu percipiuntur. *Linguam* etiam, muſculos penis erectores, & ſpincteres haud raro quoque paralyticos fieri ſæpius obſervatur; quo primo caſu homines vel difficillime loquuntur, vel prorſus loqui non poſſunt; in poſterioribus vero vel penem non erigere, vel urinam aut excrementa retinere nequeunt. *Tremor & ſtupor partium* paralyſeos levioris ſpecies mihi eſſe videntur.

Cauſſa & prognoſis.

XXXVIII.

Ortum omnia hæc mala, me quidem Judice, vel a ner-

a nervis partium læsarum obstructis vel nimis quantum relaxatis tanquam caussis proximis obtinent. Quod ad *prognosin* attinet, curatu sane semper est perquam difficilis, & præsertim in senibus, aut quando malum jam inveteratum est; interea tamen quando adhuc recens est, & æger vel puer vel juvenis curationem sæpe adhuc admittit; quamvis aliquando adhuc senes sexagenarios, immo septuagenarios, ceterum robustos ac vegetos post insultus apoplecticos non adeo graves a paralysi pedis & brachii rursus curatos viderim.

XXXIX.

Curatio eaque I. interna.

Igitur quando post apoplexiam primi aut secundi gradus ægri ad se redierunt, verum paralysis vel alterius lateris vel certarum solum partium, pedis, aut brachii, aut linguæ, sicut ut plurimum fieri solet, inde relinquitur, ad nervos læsarum partium adhuc obstructos, aut nimium relaxatos, aperiendos & roborandos, *interne aperientia*, *roborantia* & *nervina* sunt suadenda: ut infusum *herbæ salviæ* ad modum theæ, aliquoties in die haustum, quod admodum egregium hic est, vel herbæ betonicæ, rorismarini, chamædryos aut chamæpytyos aliarumve herbarum cephalicarum vel per se vel cum herba basilici, flor. rorismarini, salviæ, lavendulæ, vel & cinamomo mixtæ, præsertim ægris frigidioribus & phlegmaticis, ubi humores pituitosi & viscidi peccant; cum quibus infusis etiam *balsam. vitæ Schrœderi* vel *Hoffmanni*, vel bonum quoddam *sal. vol. oleosum Sylvii*, aut aliud simile, vel essentiæ aut tincturæ quædam aromaticæ; item ligni aloes & ambræ, apta quantitate iis commode exhibentur. Horum loco, præsertim in ægris *calidioribus*, spiritus C. C. vel liq. C. C. succin. vel mixtura roborans aut tonica, ex spir. C. C. & tinct. tart. parata recte dantur. *Aqua salviæ*, tam simplex, quam inprimis cum vino distillata, etiam hic valde salutaris est, si sub-

si subinde vel sola ad cochl. j. vel ij. exhibetur, aut remedia laudata cum hac aqua loco vehiculi porriguntur. *Elæosaccharum cinamomi* vel caryophyllorum per se, aut cum cinabari, margaritis, & ambra in pulverem redactum, atque roborandi caussa, ad ℈ß. vel ultra senibus & frigidioribus aliquoties in die datum, egregie prodest; quam ob caussam *pulvis cephalicus*, *Zellensis* dictus, qui pro arcano ibidem venditur, atque ex his constare videtur, etiam in Saxonia nostra valde celebris & frequenti in usu inter Magnates est. *Specificum* quoque *cephalicum* Mich. & pulvis March. tanquam diu usitata ac laudata nervina sæpe egregie prosunt, iisque etiam si ægri ambram ferre possunt, aliquot grana ambræ, immo olei quoque cinamomi & caryophyllorum prout res exigit, cum fructu addi possunt. Ita etiam *species de cinam.* optime roborant & obstructiones a viscido ortas resolvunt atque aperiunt. In quibus vero ægri *calor p. n. percipitur*, iis pulveres temperantes cinnabarini, vel antispasmodici & temperandi & resolvendi fine prosunt. In nonnullis *cautus mercurialium usus* ad obstructiones has pertinaciores tollendas efficacissimus est; immo & *aquarum medicatarum* vel tepidus vel calidus usus contra hæc mala multis egregie jam profuit. Quibus omnibus vero, prout res exigit, subinde evacuatio per alvum & in plethoricis Venæ sectio aut cucurbitulæ siccæ & cruentæ interponendæ.

X L.

2. externa.

Externe *litus & fricationes spirituosi* ac nervini adhibendi ex spirit. lumbric. formicar. C. C. serpilli, rosmarini & lavendulæ, aut ex aqua Regin. Hung. & Anhaltina, vel *pro pauperibus* spirit. vin. aut simplex aut rectificat. aut & juniperin. in quibus frustum saponis veneti vel hispanici aliusve boni dissolutum est. Vel partes læsæ fricari apte possunt *unguento nerv.* oleis destill.

ner-

nervin. & aromat. impraegnato, ut ol. destil. succini, salv. rosmarin. lavendul. origan. majoran. & similibus. *Balnea* denique tepida ex ejusmodi herbis parata, eaque *formicis* injectis roborata, ad nervos obstructos reserandos eosque nimis laxos roborandos valentissima quoque sunt, sicut & *balnea ex thermis* naturalibus, vel aquis medicatis martialibus tepefactis & per sat longum tempus usurpatis, quibus postea fricationes modo laudatæ adhuc superaddi possunt. *Verberationes* membrorum læsorum *cum urticis* recentibus ad stimulandum atque alliciendum spirituum ad partes læsas influxum in quibusdam etiam valde conducunt; itemque *cucurbitulæ* siccæ & cruentæ, immo & *vesicatoria* & rubefacientia iisdem partibus adhibita.

XLI.

Paralysis linguæ aut penis aut sphincteris.

Speciatim *in paralysi linguæ*, præter commendata generalia, elæosach. cinam. vel caryophyllorum in lingua detinendum, & liquefactum sensim deglutiendum. *Aqua salviæ cum vino* destillata & sæpius in ore detenta linguas has egregie roborat. *Masticatio* frequens cinamomi, caryophyllor. cubebar. aut rad. pyrethri ac similium valde quoque hic prodest, & basis linguæ extus sub mento spiritibus & unguentis illis nervinis §. XL. sæpius in die probe fricanda.

In paralysi musculorum penis indeque nata coeundi & generandi impotentia, quia erigi nequit, itemque in *paralysi sphincteris vesicæ* aut ani, latera radicis penis, regio pubis & perinæi, non neglectis internis, iisdem externis sæpius inungenda: quibus in casibus etiam *balnea* modo laudata tam artificialia, quam naturalia, valde proficua sunt.

XLII.

XLII.

De Syncope, Lipothymia, & Animi defectione sive deliquio.

Quid sint hæc mala.

Sub his nominibus omnibus illud malum intelligitur, quando homo vel ex virium defectu, præsertim ex hæmorrhagiis, vel ex subitaneo & vehementi terrore, horrore aut metu, immo & visu alicujus rei sibi adversæ, ut v. gr. aspectu sanguinis humani, vulneris, venæ sectionis, aliusve actionis chirurgicæ vel læsionis paulo gravioris, sensibus & motu, vel ex parte vel in totum privatur, cum faciei summo pallore instar mortui, pulsu vel summe debili, vel nullo; (*a*) ubi vero vel vellicationibus & commotionibus, vel medicamentis volatilibus aut spirituosis aliisve rebus similibus ut plurimum excitantur, & rursus ad se redeunt, quo ipso hæc mala ab Apoplexia potissimum distinguuntur.

XLIII.

Diversitas sive gradus.

Duplex ejus gradus commode statui potest; nimirum vel *levior*, vel *gravior*. *Levior* mihi dicitur, quando cum pallore faciei, visu turbato, vel & aurium tinnitu, immo & quandoque vertigine, vires ita vacillant, ut ægri sensibus magnam partem privati, procidant, nisi vel mature decumbant, vel ab adstantibus sustententur, vel mox roborante remedio vel ori & naribus, vel ambabus simul admotis aut ingestis reficiantur. *Gravior* vero, quando per aliquod tempus sine omni sæpe sensu, immo & sæpe sine omni motu decumbunt, re-

(*a*) Quidam Stahliani mira de animæ habitu in his morbis sibi fingunt, nunquam probanda.

respiratione etiam & pulsu valde debilibus, ubi tamen remediis spirituosis naribus admotis facilius quam in apoplexia, perceptionis sensum manifestant.

XLIV.

Caussa. *Caussæ* pleræque jam §. 42. indicatæ sunt: quibus adhuc addi possunt morbi hysterici; dum fœminæ multæ hoc morbo laborantes sæpissime animo, sine alia caussa manifesta, linquuntur; id quod a spasmis provenire videtur. Nonnullæ vero tantum vel plerumque tunc, quando rerum fragrantium suaveolentium odores naribus hauriunt, ut rosarum, liliorum, tuberosarum, florum aurantiorum, ambræ, moschi, zibethi, benzoes accensæ, vel styracis, aliorumque similium: atque hæ *lipothymiæ hystericæ* vocari solent. Nonnulli vel nimis studiis vel nimia venere delassati, vel inedia quoque exhausti hisce malis corripiuntur.

XLV.

Diagnosis & prognosis. *Diagnosis* ex §. XLII. & seqq. peti potest. Quod vero ad *prognosin* attinet, ut plurimum ea plus terroris quam periculi habent, nisi forte ex nimiis sanguinis profusionibus, præsertim vulnerum, aut viribus jam ab alio morbo prorsus consumptis, aut vehementissimo terrore ortum ducant; dum plerique ægri circa instantem mortis horam, si forte ad lectum emendandum, vel aliam ob caussam elevantur & in sellam collocantur, animo linquuntur, ubi sæpe mortem instantem indicant. Reliquæ & præsertim leviores animi defectiones minus fovent periculi, & solo plerumque remedio quodam roborante, ore assumpto, vel naribus quoque tantum admoto, resuscitantur.

XLVI.

Curatio levioris. Itaque si cui lipothymia incidit, *quando vena ipsi inciditur*, aut ab aspectu sanguinis, vulneris, ulceris, fracturæ, aliusve morbi cujuscunque, vel in conspectu operationis chirurgicæ, præsertim gra-

vioris & horrificæ, ut amputationis mammæ, brachii, femoris, calculi ſectionis, &c. quæ ſpecies lipothymiæ ab horrore & metu, immo ſola imaginatione haud raro provenire ſolent, dum nonnulli venæ ſectionem ſine lipothymia aſpicere nequeunt; ſæpe ſola & matura mutatio cubiculi vel loci clauſi cum aere libero, dum quis lipothymiam accedere ſentit, remedio eſt. Illi vero qui jam gravius affecti, ut ambulare adeoque & locum mutare non amplius poſſint, ſolo odore aquæ Reginæ Hungar. aliuſve ſimilis aquæ vel ſpiritus; vel & vini aut aceti fortioris, immo & ſola conſperſione aquæ frigidæ in faciem, vel & hauſtulo vini generoſi plerumque reficiuntur; vel & aquæ cinamomi vel cedronellæ [*a*] cum vino paratæ, aliuſve cardiacæ ſimilis; quarum plurimæ ſunt in officinis, & præſervari, ſi ante venæ ſectionem aliquid aſſumunt, & curari ab ejuſmodi malis horrificis ut plurimum poſſunt, præſertim ſi homo, cui vena ſecanda, antequam ſectio inſtituatur, ſuper lectulum deponitur, vel mox, ſi ex pallore inuſitato faciei & ſudore faciei animi defectionem inſtare intelligimus, ſuper lectulum vel ſcamnum, aliumve locum aptum promovetur.

XLVII.

Curatio gravioris.

In gravioribus animi deliquiis, ubi modo laudata leniora *cardiaca* ſæpe parum ſunt, *valentiora* adhibere convenit; ut ſunt ſpiritus ſalis ammoniaci aquoſus vel vinoſus, qui naribus, temporibus & pulſibus extus & cum fricatione ſunt admovendi; vel ſal volat. oleoſ. Sylvii eadem ratione uſurpatum; immo & intus hæc remedia ad gutt. XL. vel L. per intervalla exhibenda, ut ſpiritus iis excitentur, augeantur, ac roborentur. Jungendæ his ſunt,

---

(*a*) Multi hanc herbam *meliſſam Turcicam*, alii *Moldavicam* appellant, unde aqua cardiaca fragrantiſſima & efficaciſſima parari poteſt.

ſunt aquæ ſpirituoſæ, ut cinamomi aut flor. aurant. aut cedronellæ, aut cheiri cum vino, vel & hauſtulus vini generoſi, itemque vellicationes & fricationes extremorum, naſi, aurium, capitis, pilorum, &c. donec exſuſcitentur & ad ſe redeant. Spiritus quoque C. C. & liquor C. C. ſuccinat. eadem, ut modo de aliis ſpiritibus diximus, ratione, cum fructu adhiberi poſſunt; immo & elæoſaccharum cinamomi, vel inde cum cinnabari paratus pulvis cardiacus cellenſis ori ingeſtus, cum vel ſine vehiculo ſpirituoſo, multos ab animi deliquiis reſuſcitat & vires reddit; id quod & *Balſ. vitæ Schrœderi* vel *Hoffmanni* aliaque ſimilia præſtare ſolent.

XLVIII.

Curatio hyſterica lipothymia.

Si fœminæ & præſertim eæ, quæ alias jam *hyſtericis paſſionibus* obnoxiæ fuerunt, lipothymiis corripiuntur, quæ tunc *hyſtericæ* vel *uterinæ* dici ſolent, vitanda omnia ſuaveolentia, & potius omnis generis fœtida naribus ſunt admovenda, & cumprimis caſtoreum, aſſa fœtida, pennæ perdicum accenſæ, corium, cornu vel pecten accenſum, vel & ſpirituoſa fœtida, præſertim in malo graviori, ut ſpir. C. C. liq. C. C. ſuccin. ſpir. caſtor. comp. Pharmacop. Londinenſis, Eſſentia Caſtorei vel aſſæ fœtidæ, quæ ultima etiam a gutt. XXX. ad L. vel LX. intus in his malis danda, non omiſſis vellicationibus & fricationibus partium prædictarum. §. XLVII., qua de re etiam jam actum ſupra p. 185.

XLIX.

Si a ſanguinis fluxibus.

Si a ſanguinis fluxibus nimiis, ſive vulnerum ſive aliarum partium, hi ex chirurgia ſunt compeſcendi, ægriſque talia exhibenda, quæ cito ad vaſa nimis evacuata tranſire eaque mature rurſus replere poſſunt: ut juſcula, lac, emulſiones, gelatinæ, quibus aquæ ſpirituoſæ & hauſtulus vini generoſi ad ſpiritus augendos ſubinde interpo-

ponenda, donec hæc mala præterierunt. Quæ remedia etiam optima sunt, quando animi deliquia in morbis quibuscunque, ubi vires valde detritæ, a spirituum & humorum bonorum defectu ortum trahunt.

L.

De Epilepsia.

Ebilesia quid & ejus symptomata.

EPILEPSIA, Romanis *morbus comicialis*, est sensuum externorum internorumque subitanea plerumque abolitio, cum prostratione corporis & motibus musculorum, partiumque his nexarum, totius fere corporis, violentis & invitis, alternatim facta contractione & remissione, a caussa quadam cerebrum aliasve partes nervosas vehementer pungente vel irritante. Accedunt his malis, dum ægri corripiuntur, ut plurimum pollicum intra manum & digitos contractio arctissima, terribilis sæpe vociferatio sive clamor inconditus, spuma, immo quandoque simul sanguis ex ore prorumpit, oculi & artus mirifice quandoque convertuntur aut inflectuntur, caput & brachia sæpe terræ vehementer allidunt, pedibus calcitrant, ventrem & pectus arcus in modum vel alia sæpe ratione, more quasi gesticulatorum, convertunt, linguam sæpe mordendo perrumpunt & anxie atque profunde respirant; quæ mala tamen omnia in quibusdam, immo in eodem ægro, sæpe nunc sunt leniora nunc graviora, atque etiam in aliis, pro caussæ sive irritationis forte natura aut vehementia, fortiora aut leviora. Neque etiam semper adsunt sed per accessiones, post incerta temporis intervalla, nunc breviora nunc longiora, affligunt ac redeunt: immo ipsæ illæ accessiones quoque nunc breviores nunc longiores sunt. *In pueris* quoque ut plur. *omnia sunt mitiora*, quam in

in adultis. *Quando ejusmodi paroxysmus remittit*, ægri iis fere sunt similes, qui ex profundo somno, post gravem præsertim crapulam, evigilant, caput ipsis dolet, quasi somnolentum, grave ac turbulentum est, ita ut reminisci, recte cogitare aut judicare mox nequeant, & vix aut difficulter sciunt, ubi sint, aut quid factum sit; totum corpus summe delassatum plerumque ita est, ut mox post paroxysmum surgere & ambulare haud valeant, quia motibus illis violentis quasi confracti & vires comsumptæ sunt. Quidam horum ægrorum brevi *ante accessionem novum venturum paroxysmum* præsentiunt, atque tunc, si sapiunt, vel super lectum, vel alium locum securum caute se demittunt, ne a lapsu improviso se lædant, & speciatim caput durius ad lapides allidant, vel omnino lapsu per præcipitia se interficiant; plerique autem subito & sine ejusmodi perceptione, ubicunque sunt, prosternuntur, atque vehementer sæpe caput sibi lædunt, vel lapsu prorsus enecantur: atque ex his etiam hujus morbi *diagnosis* haud obscura erit.

L I.

ria epilepsia & caussa.

Epilepsia varias habet differentias, est enim vel *idiopathica*, vel *sympathica*; *recens* vel *inveterata*; a caussa vel externa vel *interna* producta; modo in *infantibus*, modo in *adultis*; modo ex vitio *cerebri*, modo *dentium*, modo *ventriculi* aut *intestinorum*, modo uteri. Caussa *proxima*, ut mihi videtur, est semper *causa quædam irritans*, pungens, vellicans, sicut id vel sola festuca ossis acuta cerebrum pungens, evincit, vel in infantibus, dens gingivas urgens; vel in intestinis aut ventriculo vermes nervos vellicantes. *Stabliani quidem ad animam confugere*, ejusque prudenti actioni & directioni truculentissimos omnes illos effectus [§. L.] adscribere volunt; verum præterquam quod illi motus omnes, nescia immo & invita anima,

con-

contingunt, (nam omnes illi motus sunt involuntarii) stultissima esset illa anima, quæ motus adeo horrendos, enormes, perniciosos & sæpe funestos institueret, dum leniori sæpius modo se expedire posset.

Idiopathica sive essentialis rarior est sympathica, & vel ab humoribus vitiosis aut a scabie retropulsa, aut ab ulceribus intempestive clausis ad cerebrum delatis atque in certa quadam ejus parte hærentibus ac pungentibus; vel ab ossiculis aliisve partibus p. n. intra cranium excrescentibus, vel & quandoque ab animi quibusdam affectibus, ira scilicet vehementi, aut terrore, quibus in cerebro gravis aliqua læsio concitari & ejusmodi mala produci possunt. *Sympathica*, vel cum aliis morbis complicata, quæ & *symptomatica* dicitur, ab irritatione quoque, sed alia in parte, quam capite hærente, provenit; adeoque ad caussam illam irritantem removendam in curatione est cogitandum.

L I I.

Prognosis.

Idiopathica, morbus plerumque est diuturnus, & difficilius plerumque curatur; sympathica quia illius caussas speciales in cranio hærentes, tam facile perspicere & eruere, quam hujus, immo sæpe prorsus detegere non possumus. Et si forte etiam quandoque caussam sciremus veram, ut v. gr. ossicula aut alia corpora p. n. in cerebro pronata, tamen ea tollere non valemus; quo fit, ut epilepsia sæpe nullis cedat remediis, licet nonnulla pro certissimis *specificis* decantentur, sed *prorsus insanabilis* sit, immo nullum tale dari existimo, nisi ad caussam simul respiciatur. Ita *quo magis est inveterata*, eo difficilius curationem admittit, quo vero *recentior*, eo major adhuc spes est.

L I I I.

Curatio idiopathica.

In *curatione* igitur *idiopathicæ* & præsertim recentioris, respiciendum ad caussam prægressam:

quæ si forte *abundantia sanguinis*, ut in juvenibus, vel *consueta sanguinis* hæmorrhagia *suppressa*, sanguinis *missio*, immo & *purgatio* sæpe conducit, & postea ille consuetus sanguinis fluxus suis remediis est restituendus, interpositis & subjunctis pulveribus & spiritibus illis cephalicis ac nervinis, mox indicandis. Sed si epilepsia *ab ulcere* quodam intempestive clauso, vel *a scabie* præsertim capitis aut faciei, aliisve impuris humoribus retropulsis, ortum traxerit, hi a capite rursus sunt revellendi, per cucurbitulas, vesicatoria, fonticulos, purgantia, præsertim ea, quibus mercur. dulc. admixtus, diaphoretica & sudorifera sunt avellendi & per alia loca evacuandi, eisque epilepsia sæpe curatur. *Si a febre intermittente intempestive suppressa*, eadem revellentia & evacuantia ad materiam vitiosam a capite avocandam, conveniunt; quibus postea si febris redit, ea, quæ febri rite curandæ supra proposuimus, aliaque roborantia cephalica sunt subjungenda. *Si ab ira* producta est, sanguinis detractio, & quæ vehementiorem ejus motum bilisque acrimoniam temperant, ut salia temperata media, nitrum & cinnabaris, pulvis antispasmodicus celebris, specif. cephal. Michael. cum nitro, pulvis epilept. Marchion. vel solus vel cum prædictis mixtus, aliaque nervina, observata simul animi tranquillitate, conducunt. *Spiritus vitrioli philosophicus*, spiritus nitri vel vitrioli dulcis, itemque liq. anodyn. Hoffmanni, hic quoque egregie prosunt. Denique & tam in hac specie, quam etiam in aliis, ubi humores biliosi aliive noxii in ventriculo hærent, *Vomitorium* sæpe est admodum salutare. *Sin a terrore* ortum duxit, quo humores condensari & ad stasin disponi solent, præter venæ sectionem, blande dissolventia, ut sunt pulveres antispasmodici, spir. C. C., liq. C. C. succinat. cum infuso theæ aut aliarum herbarum cephalicarum,

vel

vel aquis diaphoreticis, ut fl. tiliæ, sambuci, acaciar. ceras. nigr. cinamomi, hirundinum præsertim cum castoreo præparata, &c. danda. Quando a *festuca*, *spina*, aliave re externa pungente oritur, extractio harum primiarium est remedium.

L I V.

De specificis.

Si hæc omnia parum sunt, omnis generis *pro specificis* habita medicamenta, in quibus nihil noxii deprehendimus, [quia semper cavendum, ne, quando prodesse non possumus, ægro noceamus] *empirica* etiam dicta, quorum quam plurima laudantur, adhiberi possunt: ad quæ referuntur lumbrici terrestres, ungulæ alcis, radix pæoniæ, cranium humanum, violenta præsertim morte peremptum, cor & cerebrum hirundinum, cor talpæ, hepar lupi, ossa in ventriculo vel intestinis lupi reperta. Essentia dulcis Hallensium, *specificum Stahlii*, oleum animale *Dippelii* & alia, quamvis & hæc & alia sæpius frustra adhibita esse sciam. Sunt quædam epilepsiæ, a leviori forte caussa ortæ, verb. grat. terrore vel ira leviori, vel scabie modica productæ, aut quæ a dentitione aut variolis concitantur, quæ sæpe, ut subito & facile ortæ sunt, ita etiam facile rursus cessant, & naturæ vi subiguntur: si jam contra ejusmodi epilepsiam unum ex similibus specificis dictis fuit exhibitum & epilepsia postea cessat, huic caussa sublatæ epilepsiæ a nimis credulis & imperitis adscribi solet, quæ sponte cessavit, vel sola natura sublata est. *Fonticulus suturæ coronali* inustus a quibusdam etiam huc refertur, de quo Chirurg. nostra videri potest. Quidam *stercus pavonis* aliaque *stercora* contra hunc morbum etiam commendant; ego vero hæc cum tota pharmacopœja stercorea auctoribus suis relinquo.

Curatio sympathica.

L V.

In sympathicis & *symptomaticis* major plerum-

que ac promptior curandi spes est : nam quae *initio variolarum* oritur , exhibitis remediis temperantibus , cessare solet ; quae remedia , non omissa cinnabari , etiam in *epilepsia febrium aliarum* acutarum curanda optime prosunt . *Quae a vermibus* medicamentis mercurialibus & quae ceterum vermibus sunt contraria , plerumque superatur . Erat viri cujusdam honorati filia novem annos nata , diu vermibus & simul epilepsia misere conflictata , quam , (multis remediis antea a quampluri-mis frustra adhibitis) pulveris chin. ℥j. & merc. viv. ℥ß. cum conserva & sirupo in electuarium redactis , ac per stata tempora , ut in febre exhibitis , ita ut nunquam redierit , feliciter profligavi . Quando *epilepsia a dentitione* provenit , & remedia , quae ad hanc promovendam alias maxime idonea , frustra adhibita sunt , immo & spir. C. C. dosis gutt. IV. vel V. aliquoties data , nihil proficiat , vel *venae sectio in brachio* ex Sydenhami observatione , vel *incisio transversa* super dentibus exitum molientibus instituta morbum hunc saepe tollit .

Si *a lacte* in ventriculo *corrupto* & acido facto in infantibus lactantibus *oritur epilepsia* , hoc partim purgantibus idoneis est evacuandum , partim terreis absorbentibus est destruendum : quo factum esse existimo , ut dum terrea in hoc casu saepius contingente , egregie proficiunt , postea tam multa ex terreorum familia etiam in aliis speciebus , ab aliis scilicet caussis ortis , pro specificis declarata sint , quando forte aliquoties ejusmodi infantes ab epilepsia liberarunt ; id quod tamen in aliis plerumque non faciunt .

Quoties epilepsia *a mensibus suppressis* , hi sunt restituendi , aut si *cum hysterica passione* complicata , hac curata , etiam ejus epilepsia symptomatica iisdem antihystericis , vel & haud raro matrimonio tolli solet .

LVI.

L V I.

Quid in paroxyſmo.

In *paroxyſmo* & ſpeciatim hyſtericæ epilepſiæ, ſpiritus volatiles cephalici ac nervini & cumprimis ſpir. C. C. vel liq: C. C. ſuccin. naribus admoveri, immo & præſertim in infantibus, vertici inſtillari ac temporibus & pulſibus illini, vel & cum ſpleniolis imponi poſſunt, donec ad ſe redeant. Multi manus & pollices ægrorum fortiter conſtrictos vi diducendos eſſe volunt ac jubent; meo autem judicio præſtat hoc intermittere eoſque ita relinquere, donec paroxyſmus præteriit, ne natura in hoc actu turbetur: quia alias nova acceſſio citius plerumque & ſæpe adhuc vehementius, quam antea, redire ſolet. Superato paroxyſmo, æger quieſcat, donec vires ſibi ſatis reſtitutas ſentiat.

De cæteris morbis, *convulſivis* dictis, in ſequenti capite plura proponentur.

CAPUT XV.

De Motus læſionibus.

I.

Motus læſi quotuplices.

MOtus in corpore humano diverſimode lædi poſſunt, modo enim *aucti* ſunt, modo *imminuti*, modo prorſus aboliti, vel *depravati* aut *inviti*, vitiumque ſive cauſſa vel in humoribus ſive fluidis, id eſt, in ſanguine & ſpiritibus, vel in partibus ſolidis, ſive movendis hærebit.

I I.

Cauſſæ motus aucti.

Cauſſæ motus præter naturam aucti, ut convulſionis, epilepſiæ, &c. non a prudenti animæ directione proveniunt, ut *Stahliani* volunt, dum anima, quod hoc faciat, ignorat, immo dum non facit, etiam, quod faciat, ſcire nequit; verum ſunt res irritantes quæcunque materiales, ut *ſanguis & humores*

mores quantitate vel qualitate noxia peccantes, ſalia peregrina diverſa, vermes, dentes prorumpentes, feſtucæ oſſium pungentes, &c. a quibus omnibus, ſi fibræ aut partes nerveæ corporis humani rudius afficiuntur & irritantur, ſpiritus quoque vehementius exagitantur, parteſque ſolidæ inde inordinate moventur: qui tamen motus inordinati, pro partis & cauſſæ diverſitate, valde variant, & inde modo leniores ſunt, modo vehementiores. Ita *ſpiritus cum impetu* ob quamcunque cauſſam in muſculoſas partes lati, *ſpaſmos*, *convulſiones*, *epilepſiam*, vomitum, diarrhœam, priapiſmum, ſive ſatyriaſin, &c. inducunt.

I I I.

A quantitate vero ſanguinis nimia, vel ab ejus ſpiſſitudine *oritur ſæpe palpitatio cordis*, *ſyncope*, *difficilis reſpiratio*, *ſuffocatio*, & præſertim etiam ſuffocatio uterina, aliique ita dicti affectus hyſterici. Ab *irritatione* & cumprimis per acria, pro partium diverſitate, ubi irritatio fit, ſequuntur *ſternutatio*, *tuſſis*, *ſingultus*, *ructus*, *vomitus*, *nauſea*, *ſpaſmus*, *convulſio*, *epilepſia*, *fames immodica*, ſive *canina* aliaque mala.

I V.

Cauſſæ motus imminuti.

Cauſſæ motus imminuti vel *deficientis* ſunt & humorum & ſpirituum vel defectus, vel paucitas, vel turbatio, vel obſtructiones nervorum, ut in *virium defectu*, *animi deliquiis*, *apoplexia*, *paralyſi*, univerſali & particulari, *tremore*, *impotentia* virili, *aphonia*, *linguæ paralyſi*; vel *læſiones organorum*, ut in fracturis, luxationibus, vulneribus & diſſectionibus muſculorum, tendinum, nervorum. Ita & *anorexia* a motu ventriculi imminuto, quando cibos vel prorſus non, vel non ſatis exagitare, comminuere, atterere, digerere, vel expellere poteſt, ortum ſæpe trahit. A *turbato* ſive depravato *motu ſpirituum*, *vertigo*, *vomitus*, *ſpaſmi*, *convulſiones*, *epilepſia* & *deliria* proveniunt.

V.

V.

In CURATIONE horum morborum generatim attendendum *ad caussas & partem læsam*, ne neglecto foco ad symptomata tantum respiciamus: idcirco *studendum, ut prius caussa* rite investigetur ac tollatur, & postea simul ad symptomata, præsertim si urgeant, respiciendum. De variis *motus læsionibus*, *præsertim ubi sensus simul læsi*, ut *apoplexia*, *epilepsia*, *animi defectionibus*, &c. jam capite XIV. egimus; nunc vero de aliis adhuc motuum læsionibus, quæ supersunt, & ubi sensus plerumque integri persistunt, exponemus. Ut primo:

Curatio generalis.

VI.

De Spasmis & Convulsionibus.

Inter hos primo considerabimus *motus spasmodicos*, qui *spasmi*, *nervorum distentiones*, sive *convulsiones* etiam appellantur. *Spasmi* dici solent, quando pars quædam corporis humani, vi musculorum præter voluntatem contractorum, vel constringitur, vel extenditur & plerumque cum dolore riget, vel & singulari eaque mirabili sæpius ratione intorquetur. Hujus species sunt græcis vocabulis insignitæ, *Emprosthotonus*, *Opisthotonus* & *Tetanus*; quibus *spasmus cynicus* sive *Risus Sardonius*, immo & *Priapismus* sive *Satyriasis*, tanquam spasmi particulares, addi possunt. *Convulsio* vero proprie vocatur, quando partes, ut in epilepsia, alternatim contra animæ voluntatem eaque prorsus invita, modo contrahuntur modo extenduntur.

Quid sint & ejus species.

In caussis spasmorum & convulsionum assignandis *Stahliani* rursus *ad animam*, tanquam ad commune ipsorum asylum, confugiunt, eique omnes illos motus, sæpe horrendos ac periculosos, sicuti in epilepsia, tanquam caussæ adscribunt, quæ magna deliberatione corpori suo tantas & sæpe

Caussa horum.

sæpe valde ridiculas, nunc vero perrhorrescendas deformitates, in bonum ac salutarem ejus finem concitaret. Verum hoc a vero æque alienum ac in epilepsia mihi esse videtur, sicut id, ubi de hac supra Cap. XIV. multisque aliis occasionibus jam innuimus; sed potius certos humores vel quantitate vel qualitate peccantes, vel etiam sæpe res solidas peregrinas vel p. n. in iis genitas, motus hosce anomalos & perniciosos plerumque producere existimamus: qui, *si vehementes*, tantum abest, ut commoda, sed potius gravissima sæpe mala ac damna, immo & ipsam haud raro mortem corpori inducant.

VIII.

Curatio spasmi levioris.

Si spasmi aut convulsiones leves, & vel in digitis vel suris tantum, ut sæpius fit, incidunt, sæpe vel solis & simplicibus frictionibus hærens forte viscidum aut acre morbosum, quodcunque illud sit, in parte illa, rursus promovetur ac propellitur, atque sic simul spasmus curatur. Alias sæpe juvat, si saliva, præsertim hominis jejuni, vel spiritu vini, vel lavendulæ, vel aqua Reginæ Hungariæ aliave simili pars affecta probe fricatur.

IX.

Gravioris.

Quando autem spasmi sunt vehementiores atque his haud cedunt, inquirendum, *an non nimia sanguinis abundantia* in culpa, *aut menses*, *hæmorrhoides*, *narium hæmorrhagia* aliæve consuetæ sanguinis vel naturales vel artificiales evacuationes sint *suppressæ*, aut neglectæ. His enim perspectis, vel *sanguinis detractiones artificiales*, convenienti loco & tempore, sunt instituendæ, atque menses vel hæmorrhoides obstructi in ordinem, sicut Cap. IX. docuimus, redigendi; ita sæpe his restitutis, omnes spasmi & convulsiones abiguntur.

Sed *si his vinci nequeunt*, verum *vehementiores adhuc* & pertinaciores sunt, ad remedia nervina & epileptica valentiora, quæ capite præcedenti §. 53. ad

ad 56. ad epilepsiam, secundum caussarum diversitatem, curandam commendata sunt, confugiendum, cum epilepsiæ atque spasmorum ob caussarum similitudinem eadem fere sit curatio. *Externe* adhibentur sæpe feliciter spiritus nervini, ut formicarum, lumbricorum, C. C. aqua Reginæ Hungariæ, Anhaltina, cum & sine sapone veneto, si cervici, spinæ dorsi, naribus, partibus affectis fricando sæpius adhibeantur. *Si partes nimis rigidæ* sunt, frictiones per emollientia subinde melius prosunt: ut unguentum nervinum, dialthææ, martiatum, vel pinguedo caponum, leporina, humana, taxi, castorei, pedum bubulorum, vel per se, vel oleis penetrantibus naturalibus aut destillatis nervinis, qualia sunt petroleum, oleum destillatum succini, rutæ, rosmarini, salviæ, vel similia alia, impraegnata, quibus partes læsæ diligenter fricandæ. *Aquarum salutarium usus legitimus*, una cum *balneis* temperatis, observato simul convenienti victus regimine; vitatisque *affectibus animi gravioribus*, ira præsertim, mœrore ac tristitia, in morbis spasmodicis longe quoque valentissimus est; sicut de horum genuino usu mox infra uberius proponemus. Quid *in spasmis vulnerum* sit faciendum, e Chirurgia nostra p. 85. peti potest.

X.

De Maxillæ spasmo.

Spasmi particularis in maxilla.

In spasmis particularibus, specialia quædam adhuc sunt observanda. Ut, si *spasmus est in maxilla inferiori*, ut ægri os aperire adeoque & cibos manducare nequeant, sicuti sæpe in vulneratis, ubi peregrina in vulneribus, aut ubi nervi læsi sunt, aut ubi acria, ut vitriolum, aliave similia ad sanguinem

nem cohibendum vulneri immissa fuerunt, contingit, pro caussarum diversitate diverso modo ad eas auferendas est procedendum; qua vero de re, quia jam in chirurg. nostris operat. Cap. LXXVII. præcepimus, ne eadem hic nobis sint repetenda, L. B. ad hunc locum ablegamus. *Quod si sponte*, sive a caussa interna *hic maxillæ spasmus in infantibus*, ut sæpe vidi, contingit, ut plurimum moriuntur, & vix ullum servatum vidi, licet laudatissima remedia nervina, & antispasmodica interne atque externe quam solertissime adhibita fuerint.

XI.

De Spasmo cynico.

Spasmi cynici.

In *spasmo cynico*, qui & *Risus sardonius* dicitur, si forte, ut sæpe fit, a venenis assumptis, præsertim cicutæ, aut œnanthes venenata specie proveniat, hæc quamprimum fieri potest, emetico e corpore expellantur, & postea ad reliquias in ventriculo destruendas, atque ventriculum vi sua summe refrigerante inde læsum roborandum, vinum generosum, ex veterum jam observatione, idque cum primis calidum vel per se, vel cum pipere vel Zingibere subinde potum, remedio est. *Si ab aliis spasmorum caussis*, alia antispasmodica & nervina, tam interna quam externa Cap. præced. §. 53. ad 56. laudata, sunt adhibenda; & inprimis etiam emplastrum ex empl. de betonic. & bacc. lauri cum oleo succini paratum, circa aures & tempora applicatum, egregie etiam hic prodest.

XII.

XII.

De Sternutatione nimia.

In *sternutatione nimia*, quæ ab acribus in naribus hærentibus & membranam harum nerveam vellicantibus, oritur, ea *lacte calido*, naribus sæpius hausto, eluenda, temperanda atque demulcenda, donec remittat & denique omnino cesset. Si forte lac deficiat, aqua tepida ei substitui ejusque etiam vapor ad nares cum emolumento admitti potest.

Sternutationis.

XIII.

De Tussi convulsiva.

In *Tussi convulsiva*, præter infusa & decocta ex speciebus pectoralibus ac nervinis parata, & ad modum Theæ aliquoties in die hausta, liq. C. C. succin. pulveresque ex nervinis & cinnabari compositi, ut specif. cephalic. Michael., pulvis epilept. Marchionis, & pulvis antispasmodicus, cum lenibus anodynis, ac præcipue massæ pilular. de styrace vel cynoglosso gr. j. vel altero, egregie conducunt, haud neglecta sanguinis missione & alvi expurgatione, si caussæ prægressæ aut mala præsentia ea indicent.

Tussis convulsiva.

XIV.

De Cordis palpitatione.

Quid sit ejusque differentia.

Hoc malum, quia etiam in motu cordis aucto, attamen invito, & spasmodice quasi vehementius con-

contracto consistit, de eo hoc in loco quoque acturus sum. Motus hic saepe tam vehemens est, ut *e longinquo audiri*, & ab abstantibus quoque aspectu thoracis saepe videri queat. Quandoque hoc vitium *a motu corporis* paullo *fortiori*, praesertim quando homines loca acclivia ascendunt, & potissimum in *plethoricis* & *hypochondriacis* oritur; quandoque a *terrore*, quo sanguis a partibus externis subito versus cor repellitur, ita ut hoc, sanguine quasi obrutum, per multiplicatos ictus & constrictiones illud nimium sanguinis, quod ei molestum ipsumque irritat, rursus a se removere cogatur, quo sensim in ordinem redacto, palpitatio plerumque cessare rursus solet. [*a*] Quando autem *vel motu vel terrore* vehementiori, vel caussis his ob quamcunque rationem saepius redeuntibus, praesertim in plethoricis vel etiam ab aliis occasionibus pars sanguinis in cordis ventriculis vel vasis ejus majoribus, in *speciem polypi* coit, immo cum cordis ventriculis conglutinatur vel concrescit, sicuti quam saepissime in horum cadaverum sectione inventum est, qui vivi palpitatione cordis diu conflictati fuerunt, *palpitatio inde oritur fere continua*, eaque vel levior vel vehementior, prout polypus ille minor vel major est, adeoque vel minus vel majus sanguini transeunti obstaculum facit. Quandoque & mala cordis aut huic vicinorum vasorum majorum conformatio, ut v. gr. *aneurysma arteriae aortae*, vel *osseae aut lapideae quaedam partes*, aliaeve res p. n. in corde aut vasis vicinis natae, palpitationis sive motus hujus laesi caussae sunt; quibus vero in casibus morbus hic, quia causas has-

---

(*a*) *Stabliani* hunc morbum *etiam animae directioni adscribunt*; verum quia consistit in motu, qui anima fit invita, ab hac, ut caussa efficiente ac dirigente provenire nequit.

hasce tollere haud valemus, ut plurimum insanabilis existit. Interea tamen etiam *sæpe a sola* fere *nimia sanguinis copia ortum trahit*; id quod inde evinci potest, quia in nonnullis sola sanguinis per venas detractione morbus hic, ut sæpius observavi, tolli solet.

X V.

Curatio 1. per sanguinis missionem.

Igitur *initium curationis*, *præsertim in plethoricis*, aut iis, ubi consuetæ sanguinis excretiones, ut menses, hæmorrhagia narium vel hæmorrhoides suppressæ, aut usitatæ sanguinis detractiones neglectæ sunt, *faciendum a vena sectione*; quæ vero, quo in loco vel parte corporis instituenda ex eis intelligi potest, quæ Cap. I. de *Plethoræ morbis*, itemque Cap. IX. *de hæmorrhagiis suppressis* restituendis hac de re proposuimus; quæ etiam, si malum forte redeat, præservandi caussa vere & autumno, immo & haud raro sæpius in anno repetenda; & ubi fluxus mensium vel hæmorrhoidum obstructus, hi idoneis suis remediis, ex eodem capite petendis, sunt restituendi.

X V I.

2. Per alia remedia.

Præter hanc *remedia temperantia salina*, *nitrosa & cinnabarina*, ac speciatim pulveres temperantes atque antispasmodici, dum motum nimium cordis temperant, atque sanguinem crassum ac spissum incidunt fluidioremque reddunt, egregie his proficiunt, præsertim quando hi ægri etiam calore p. n. urgentur: atque hanc ob rationem *Wedelius* quoque pulverem suum absorbentem sæpius in hoc malo exhibitum, multis in locis & præsertim in Opiologia magnopere prædicat. *Infusa aquea herbæ theæ*, *melissæ*, *veronicæ*, *flor. primulæ veris*, vel pomorum citri, dum humores spissos & justo fervidiores diluunt ac temperant, multum quoque hic prosunt, præsertim si essentiæ scordii, cardui benedicti, cort. citri vel aurant., cum pauxillo spiritus nitri dulcis, vel & liq. terræ folia-

tæ

tæ tartari, apta copia, mane & circa vesperam eundem in finem simul assumantur. *Pediluvia* denique temperata, *motus corporis* moderatus, sed frequens, vectio, *equitatio*, *victus modicus*, *potus tenuis* & sufficiens, cura seri lactis, immo & *aquæ medicatæ*, præsertim *martiales*, curandi & præservandi scopo, cum primis hypochondriacis, quam utilissima sunt.

Atque hæc ipsa etiam in *polypo recenti* vel dissolvendo & curando aut metuendo avertendo, si quid hic Medicina valet, primaria esse remedia existimo.

XVII.

De Singultu.

Singultus caussa.

Singultus est affectus spasmodicus *ventriculi*, & simul septi transversi, a re quadam irritante in eo hærente tunicamque ejus nervosam vellicante, ortus, qui vero quandoque *levem tantum in victu errorem* pro caussa agnoscit, adeoque vel sponte sua brevi sæpissime desinit, vel assumpto potus haustu, ad materiam acrem temperandam & diluendam, cessat. *Interdum vero est longe gravior*, & caussam habet vel graviorem quandam *ventriculi læsionem*, vel *venenum* assumptum, vel *vulnus* aut *inflammationem* ventriculi, intestinorum, vesicæ, septi transversi aut alius cujusdam visceris in abdomine; immo ex inflammationibus etiam externis & inde nata *gangræna* ac *sphacelo pedis singultum* quoque aliquoties *vidi gravissimum*, qui plerumque tunc mortem instantem, vel saltem appropinquantem indicare, quin *&* in *febribus acutis*, & præsertim malignis, *frequens singultus*, sed sæpissime *funestus* esse solet.

XVIII.

XVIII.

Pro caussarum igitur diversitate vario etiam modo instituenda est *curatio* : ut *si senes*, vel alii *debiliores* post pastum largiorem, præsertim *quando durioribus aut flatulentis cibis usi sunt*, vel cibos avidius deglutiverunt, singultu corripiuntur, *haustulus vini generosi*, vel *spiritus vini, vel aquæ spirituosæ*, anisi, fœniculi, menthæ, vel cort. aurant. aliarumve stomachicarum, eum ut plurimum sanat. Ita & *pulvis stomachicus Birckm.* & *Tragea aromatica Augustan.*, aliive ejusmodi pulveres stomachales, admixto cortice peruviano, cum vino generoso sumpti, egregie hic prosunt. Eadem remedia, *si singultus a refrigeratione* quacunque corporis, vel potu aut cibo nimis frigido, incessu per pavimenta lapidea nudis pedibus, ortum ducit, benefaciunt; ubi simul *olea stomachica destillata* ventriculo illini, & *sacculus ex stomachicis herbis*, vel *emplastrum* aut *cataplasma stomachicum* ei superimponi apte possunt.

Curatio si a diæta erroribus.

XIX.

Quando ab aliis caussis & speciatim *ab acidis humoribus* in ventriculo hospitantibus provenit, medicamenta acidum *absorbentia*, terrea, itemque oleum tartari per deliquium dare convenit. *Si febri acutæ*, vel *inflammationi ventriculi* aut alterius cujusdam visceris supervenit, malum est periculosissimum. Interea tamen *pulveres nitrosi*, *camphorati*, itemque spiritus nitri dulcis, cum essentia quadam alexipharmaca sæpe dati, quandoque juvant; ubi tamen etiam diascordii ʒj. ad ʒij. circa vesperam cum fructu exhibetur. Si *a gangræna & sphacelo* provenit, plerumque, ut §. 17. jam dictum, insanabilis est; interea tamen præter ea, quæ sphacelo speciatim contraria sunt, ut cumprimis est cort. peruvianus, & quæ modo contra inflammationes internas commendavimus, primaria remedia mihi esse videntur. Idem &

Si ab aliis caussis.

judicandum & faciendum est, *si singultus vulneribus partium internarum*, vel & *calculi* aut *herniæ sectioni* incidat; licet plerumque mors brevi sequatur. Quando *a venenis assumptis oritur*, acrimonia veneni aqueis multis & lacte est eluenda ac temperanda, oleosis demulcenda, & ceteroquin ita procedendum, sicuti capite de venenis infra docuimus.

XX.

De Priapismo.

Priapismi.

In *priapismo* sive *satyriasi*, [qui etiam in fortiori spasmodica musculorum erectorum penis contractione, ab acri, præsertim venereo, ut plurimum inducta provenire solet, idque ut plurimum in juvenibus robustis, vegetis, sanguineis] conveniunt contra hoc malum *largæ sanguinis missiones*, & præsertim etiam *ex ipsa vena penis*, *purgationes fortiores* ex non calefacientibus nec resinosis paratæ; *pulveres temperantes nitrosi*, *cum camphora* & tantillo *sacchari saturni*, sæpius ex aqua simplici vel lactucæ aut menthæ dati. *Potus* sit aqueus, acidulus, refrigerans, servata simul diæta tenui, refrigerante, vitandoque omnia calefacientia, stimulantia & bene nutrientia.

Si infectio venerea concurrat, specificis huic malo oppositis, cum primis mercurialibus, hæc expugnanda.

XXI.

De Tremore.

Quid & unde.

Tremor est motus tremulus sive depravatus & invitus, manuum potissimum & capitis, interdum etiam

etiam pedum, immo & quandoque linguæ atque ipsius cordis. Malum est, quod *senibus frequentius* accidit, quam pueris & juvenibus; atque in illis potissimum a defectu spirituum provenire videtur. Interdum tamen & in his observatur, cumprimis *ex terrore*, atque hinc nato inæquali aut *non sufficienti* in musculos spirituum influxu, & *interdum etiam ex plethora*. Potus etiam nimius *Coffeæ* ad tremorem inducendum in multis perquam idoneus observatur; in quibusdam *a potu nimio* & frequenti *crapula*, in aliis *a nimia venere*, in nonnullis ab his simul ortus est; a quacunque vero harum caussarum proveniat, curatu sæpe perquam difficilis, immo si jam inveteratus, ut plurimum impossibilis est.

X X I I.

Curatio.

Interea tamen qui a tremore liberari, vel saltem levius inde affligi desiderant, *largiorem potum Coffeæ*, *crapulam* & *venerem nimiam* vitare debent. E contrario ad nervos debilitatos roborandos utantur quotidie *herba melissæ aut salviæ*, loco infusi theæ; vel & eædem cum china in cerevisia aut vino infundantur, & in pastu, vel circa illum bibantur. Cum infuso illo melissæ aut salviæ assumere etiam possunt *essentiam rosmarini*, & cort. peruviani, vel liquorem C. C. succinatum, bis vel ter in die, & vesperi pulvis quoque antispasmodicus usurpandus, præsertim ab iis, qui calorem p. n. sentiunt, aut vino multo usi sunt.

Externe cervix & spina dorsi sequenti vel simili linimento roborante fricandæ.

℞. spir. formicar.
lumbricor. ā ℥ij.
salis ammon.
Cornu Cervi ā ℥ß.
vel ℞. Aqv. Anhaltin. ℥vj.
sapon venet. ℥j. M.
pro eodem scopo.

In plethoricis sæpe *Venæ sectio* prodest, *in senibus* haustus vini vel simplicis generosi vel roborantibus illis exaltati in pastu; & *in mulieribus* ad mensium negotium est respiciendum. *Pediluvia* frequentia, itemque *thermæ* & aquæ aliæ medicatæ rite usurpatæ, cum sobria victus ratione contra hoc malum etiam valde sunt proficua.

XXIII.

De Motibus imminutis aut abolitis generatim.

Motus immuniti vel aboliti.

Motus imminuuntur vel omnino abolentur sæpe vel in toto fere corpore, vel in certis tantum ejus partibus. In toto corpore eos aboleri in *apoplexia* & *animi deliquiis* jam præcedenti capite diximus, & quæ remedia tunc prosint, proposuimus; igitur jam de *quibusdam aliis adhuc morbis tractabimus*, ubi motus corporis imminuti vel depravati sunt, & speciatim de *languore*, *marasmo* ac *vertigine senili*, *paralysi linguæ*, *aphonia* sive *loquendi difficultate* & *impotentia virili*.

XXIV.

De Languore & Marasmo itemque Vertigine senili.

Languor, marasmus & vertigo senilis.

Cum hic *languor* & motus impedimentum a spirituum ac virium decremento ortum ducant, hi omni modo sunt augendi atque excitandi, analepticis, stomachicis, cardiacis, cephalicis, nervinis, & quidem interne, *vino mero generoso* in pastu, hoc enim propterea *lac senum* appellari solet; eoque vel simplici, vel gratis aromatibus impraegnato;

to; vel *aquis spirituosis*, ut aqua cinamomi vinosa, cort. aurant. vel citri; vel aqua melissæ, florum cheiri, vel lilior. convall. vinosa, aut naphæ, cum vel sine *confectione alkermes*, eaque in viris, qui *ambram* ferre possunt, completa; item *succolada*, emulsionibus cum aquis cardiacis paratis, *gelatinis* analepticis, *ovis* sorbilibus, vel vitellis ovorum in jusculis aut cerevisia calida solutis; præterea *speciebus*, *pulveribus* & *trageis*, ut tragea aromat. August. speciebus diacinamomi, diagalangæ, diambræ & diamoschi, immo & ipsa china chinæ; præterea *essentiis aromaticis*, cinamomi, caryophyll. cardamomi, cubebar. cort. aurant. ligni aloes, ambræ, balsamo vitæ Hoffmanni, *elæosacch. cinamomi ambrato*, vel pulvere cephalico Zellensi, cum margaritis & ambra roborato.

Externe naribus, cordi & pulsibus adhiberi apte sæpius possunt aquæ spirituosæ, ut aqua Reg. Hung. Anhaltina, vel apoplectica, aut spiritus lavendulæ, aut spir. salis ammon. vinosus, uno alterove oleo distillato suavi cephalico, pro lubitu imprægnatus, vel & *sal volatile oleosum Sylvii* aliudve simile. Nonnullos *balsama cephalica* quoque roborare solent, ut apoplecticus vel cephalicus usitatus, bals. cinamomi, caryophyll. ligni rhodii, lavendulę, succini, majoranę aliave similia. Atque hæc omnia etiam *in vertigine senum*, a defectu spirituum dependente, benefaciunt, sed non *in sanguinea*, *vitando simul curas*, meditationes ac studia severiora, animusque ad tranquillitatem sit dispositus.

XXV.

De Linguæ paralysi, Loquelæ læsione & Aphonia.

Curatio. Quia *hæc mala plerumque ab apoplexia oriuntur*, præmissa jam ut plurimum sunt ea, quæ in illa utilia aut necessaria esse solent, & inprimis *excitantia volatilia interna & externa*, itemque *sanguinis detractiones*. Quod si vero hæc nondum instituta, aut hæc vitia sine prægressa apoplexia orta sint, *venæ sectio*, præsertim in plethoricis, in brachio, pede, vel & in ipsa vena jugulari, aut raninis recte instituitur. Deinde vero *ad spiritus ad linguam alliciendos* atque *advocandos* prodest *masticatio omnis generis acrium* aut aromaticorum, ut cardamomi, cubebarum, amomi, piperis, rad. pyrethri, nicotianæ, vel seminis staphidis agriæ; vel elæosaccharum cinamomi, caryophyllorum aut cardamomi; vel *pulvis aureus Zellensis*, aliave istiusmodi stimulantia linguæ applicata, ore diu detenta, atque tandem deglutita. Cort. peruv. & succus nasturt. aquat. etiam hic prosunt. Pro potu ad modum herbæ theæ egregie quoque confert *infusum herbæ salviæ* vel *rosmarini*, bis terve in die cum liq. C. C. succinat. sufficienti copia sumptum. *Aqua salviæ cum vino distillata* in faucibus sæpe detenta, & loco gargarismatis simul usurpata, valde etiam linguam debilem roborat. *Acetum scilliticum*, si ut gargarisma hic adhibetur, & externe etiam sub mento radix linguæ eo aliquoties in die probe fricatur, valens quoque contra hoc malum est remedium: ubi tamen etiam *spiritus nervini* in paralysi commendati adhiberi cum fructu possunt.

XXXVI.

De Impotentia virili.

Impotentia virilis est vel *perfecta* vel *imperfecta*, atque denotat generandi potentiam vel magis vel minus læsam, consistens præcipue & ut plurimum in *destructa penem erigendi facultate*, sive *flacciditate* aut *paralysi musculorum penis erectorum*, quæ plerumque nimium & cumprimis præmaturum veneris abusum pro caussa agnoscit, quo spiritus ac vires juventutis nimis consumuntur, atque musculi prædicti sic nimis debilitantur. Interea tamen *etiam ab aliis caussis impotentia* induci potest: ut si cui vel *ab ictu* aut *conquassatione* externa *testiculi destruuntur*, vel ab inflammatione, præsertim venerea, in *scirrhum corrumpuntur*, vel *abscessu* aut tabe dissolvuntur, vel in *celotomia exciduntur*, vel *ictu sclopeti* per glandes plumbeas aliove vulnere testiculi aut penis omnino auferuntur, vel etiam si qui *mentulam* non *in glande apertam habent*; quo fit ut semen cum debito vigore ad uterum & ovula mulierum projici nequeat. Denique *qui nimis phlegmaticum sive frigidum* habent sanguinem, vel *tristitiæ & mœrori*, vel *studiis*, curis atque solicitudinibus *nimiis* indulgent, vi generandi sæpe vel omnino, vel saltem magna ex parte privantur, præsertim si jam per se debilis & frigidæ sint intemperiei, unde & hi impotentes jam a veteribus *frigidi* appellati sunt.

Impotentia & ejus caussa.

XXVII.

In curatione, *ubi partes ad generationem necessariæ deperditæ* sunt, quia hæ restitui nequeunt, nulla quoque est curatio; interea tamen, qui uno adhuc sano testiculo instructi sunt, atque erectio & genitura iis non deficit, cæterumque sani ac ve-

Quædam curationem non admittunt.

vegeti ſunt, ſæpe, ut aliquot novi exempla, æque fœcundi ac proliferi exiſtunt, quam qui vel maxime duobus inſtruuntur. Ita e contrario illi, *quibus teſticuli abſceſſu* vel *ſcirrhis* indiſſolubilibus *corrupti ſunt*, ut plurimum quoque ſunt inſanabiles.

XXVIII.

Quædam vero admittunt.

Quibus vero erectio deficit, & malum nondum inveteratum eſt, idque *vel mœrore* diuturno *vel ſtudiis*, *curis* & ſolicitudinibus nimiis, *victu nimis refrigerante*, vel & hujuſmodi medicamentis, aut *veneris exceſſu*, vel aliis in victus regimine erroribus, immo *vel & morbis longis*, quibus vires nimis detritæ ſunt, inductum eſt, requiritur primo, *ut illæ cauſſæ*, mœror ſcilicet, triſtitia, ſtudia & curæ nimiæ vitentur, morbi quibus inducta eſt, tollantur, atque ab erroribus illis abſtineatur, alias omnia medicamenta ſunt fruſtranea.

XXIX.

Curatio in emaciatis.

Deinde *in nimis emaciatis*, & iis, *qui vires per nimia ſtudia*, *mœrorem*, *nimiam venerem aliaſve cauſſas exhauſerunt*, conducunt bona *nutrientia*, ut omnis generis *juſcula roborantia* præſertim cum vitello ovi, ova mollia, gelatinæ, frequens *uſus lactis*, cum pauxillo aquæ cinamomi, vel ipſo cinamomo imprægnati, ipſa *cura ac diæta lactea*, potus *ſucculadæ* bonæ & leniter aromaticæ, ut & nutriat, & ſimul muſculos languidos blande ſtimulet vimque erectionis reſtituat, ex quo fundamento etiam hic laudantur *radices orchidis* ſive ſatyrii, & *electuaria* inde cum aliis roborantibus compoſita, ac præſertim zingibere, rad. pimpinellæ, nuce moſchata conditis aliiſque ſimilibus cum conſ. alkerm. completa; vel & *electuarium diaſatyrii*, quod jam dudum hunc in finem a veteribus commendatum fuit, aliis adhuc idoneis remediis pro lubitu roborandum. Vel & *aquæ medicatæ cum lacte* hauſtæ. Ubi etiam in paſtu & aliis

aliis horis medicis haustus vini generosi vel simplicis vel gratis aromatibus ac roborantibus exaltati, inter quæ & cortex *cascarillæ* atque *peruvianus* merito pertinent, egregie conducit.

XXX.

In cachecticis.

Qui vero non emaciati sunt, sed contra *pingues*, *cachectici* aut *frigidi* temperamenti, & potissimum si nimia *laxitas in toto* corpore ac speciatim in musculis erectoribus peccat, *stimulusque ad erectionem deficit*, his stimulantia spirituosa, acria & aromatica ad spiritus ac vires suscitandos maxime conveniunt, quæ specifico nomine *aphrodisiaca* vulgo appellari solent; ad quæ præ cæteris pertinet vinum generosum, piper, sinapi, nux moschata condita, zingiber & rad. pimpinellæ albæ condita. Borax & stincus marinus, sub vapiria forma assumpta; inprimis vero *sinapi* vel *piperis* crasso modo contusi ʒß. aut ʒj. cum haustu vini generosi, hora ante decubitus tempus sumpta, egregie stimulant. Prosunt his præterea *essentia aphrosidiaca VVedelii*, vel essentia aromatica bona, essentia ambræ, immo & *essentia cantharidum* exaltata; vel *spiritus* ita dictus *magnanimitatis*, vel solus, vel cum modo laudatis essentiis mixtus; quin & cautus usus ipsius *pulveris cantharidum* in frigidis, ubi erectio vel nulla, vel valde languida, in pulveribus vel electuariis roborantibus, ad gr. ij. iij. & tandem plura, non est omnino rejiciendus. *Vinum generosum martiale* cum aromaticis *corticeque peruviano* compositum & bis vel ter in die ad aliquot uncias haustum, magnæ quoque hic est virtutis.

XXXI.

Externa & diæta.

Externe musculi penis, scrotum & perinæum *spiritu formicarum*, lumbricorum, lavendulæ, rosmarini, aqua anhaltina, sale volatili oleoso Sylvii roboratis; vel & *unguentis* nervinis oleis distillatis nervinis imprægnatis, aliquoties in die

pro-

probe sunt fricandi. Immo & *balnea* atque *insessus* ex herbis aromaticis parata; vel & ipsæ *thermæ* aut aquæ *medicatæ martiales* hoc modo usurpatæ multum hic prosunt. *Diæta in macilentis* aut hecticis sit nutriens, facile digerenda, lactea, ubi & ostrearum & limacum frequens esus valde commendatur. *In frigidis cachecticis* & obesis vero *sit magis aromatica & salsa*, quibus & ostreæ cum pipere aliisve gratis aromatibus sæpe comestæ optime conveniunt. *Motus frequens* corporis & præsertim *vectio* & *equitatio* his ægris quoque egregie conducit.

XXXII.

De Articulorum rigore.

Rigoris caussa. Quoties junctura ossium alias mobilis *riget* sive motum amisit, quod vitium Græci *Anchylosin* vocant, motus hic, si fieri adhuc potest, est restituendus. Oritur vero hoc vitium sæpe a *fractis*, *contusis* vel *vulneratis ossibus*, præsertim circa extrema, ubi ad ea rursus glutinanda quiete diuturna articulorum opus est, sub qua vel a liquore articulorum naturali sensim spissescente ac tandem inspissato, motus articuli imminuitur, vel prorsus aboletur; vel a succo osseo, ex ossibus diffractis in juncturam se insinuante extrema ossium plane confervent.

XXXIII.

Curatio. Si *motus difficultas solum ex longiori quiete* & humore articulorum, ob motus defectum sensim aliquatenus concreto oritur, *emollientibus ac resolventibus fomentis*, *unguentis*, oleis & axungiis animalium calidis junctura rigida ac dura frequenter est fricanda, & a medico vel ministro flectendo hinc inde probe commovenda, donec motus sen-

sensim sensimque restituatur. Quod si hæc parum sunt, *balnea* quoque, tam artificialia ex emollientibus & digerentibus, quam naturalia, sive *thermæ*, inter quæ *VVisbadenses*, *Aquisgranenses* & *Carolinæ* fere eminent, satis diu sunt adhibenda, ita sæpe inspissatus in articulo humor rursus dissolvitur & mobilitas ejus naturalis, si non in totum ac perfecte, tamen magna ex parte restituitur. Sed *si ex ossium diffractorum succo*, in articulum sensim effuso ibidemque firmiter concreto ossium extrema conferbuerint, vel rigor nimis vehemens, aut malum, a quacunque etiam caussa ortum, jam valde sit inveteratum, vel & *ex podagra nodosa* productum, ut plurimum insanabile est, vel saltem perquam difficulter & non nisi iisdem modo commendatis remediis curatur, aut solum aliqua tantum ratione emendatur.

XXXIV.

Motus læsus a vulnere, fractura.

Si denique *motus læsio a vulneribus*, *fracturis*, *luxationibus*, *tumoribus*, *inflammationibus*, aliisve similibus morbis ortum traxit, hæc mala omnia ut in chirurgia nostra docuimus, rite sunt curanda, ita his, tanquam caussis motus læsi restitutis, motus etiam plerumque redit.

CAPUT XVI.

De ventriculi & intestinorum morbis.

I.

DE variis quidem ventriculi & intestinorum morbis jam hinc inde in antecedentibus egimus; ut de *ventriculi inflammatione* p. 120. de *vomitu simplici* Cap. XIII. §. XI. & *cruento* pag. 134. de *singultu* Cap. XV. §. 17. &c. verum cum quidam adhuc haud levioris momenti, de quibus ha-

hactenus nondum egimus, supersint, atque ab actione integra vel læsa ventriculi magna pars & sanitatis & morborum dependeat, operæ pretium erit, ut de præcipuis reliquis hoc in capite etiam adhuc agamus, & quidem primo:

I I.

De Anorexia sive cibi desiderio ablato.

Anorexia quid? & differentia.

Anorexia est ille morbus, quando homines cibos non appetunt, vel nullo ejus desiderio afficiuntur; hinc a latinis *cibi desiderium imminutum* aut *ablatum* vel *appetentia cibi læsa*, vulgo *appetitus prostratus*, *imminutus* vel *destructus* appellari solet.

Anorexia essentialis.

Est vero ea morbus vel *per se existens* sive *essentialis*, a ventriculi actione læsa aut ablata proveniens, & sine aliis morbis ortus; vel cum aliis morbis, iisque quamplurimis, ut symptoma combinatus. *Quando anorexia per se morbus est*, ut plurimum *a prava diæta*, *nimia voracitate*, & inde natis crudis atque indigestis humoribus in ventriculo hærentibus, coctionemque ciborum impedientibus provenit; qui se sæpe vel ponderis ac pressionis sensu in ventriculo produnt, vel flatibus multis, vel ructibus copiosis, nidorosis, aut amaris, vel pituitosis & acidis, vel nausea & conatu vomendi vel variis horum malis simul, immo vomitu sæpe ipso spontaneo se manifestant. Ita etiam *in senibus*, qui languorem in toto fere corpore persentiscunt, cibi appetentia, vel ob spirituum defectum, vel ob humores effœtos, vel ob vim contractilem & motum ventriculi nimis debilitatum, aut prorsus destructum, sæpe ita decrescit, ut nihil quicquam appetant; unde sensim sensimque vires ita minuuntur, ut fere sine alio morbo pereant, præsertim *si vigiliæ* involun-

luntariæ accedunt, id quod *mori sine morbo* appellari potest.

III.

Anorexia symptomatica.

Longe vero sæpius ut symptoma, *in quamplurimis morbis* incidit, & nominatim *in febribus acutis, inflammationibus gravioribus, asthmate, hydrope, hypochondriacis, & melancholicis morbis, arthritide, podagra, vomitu, dysenteria*, aliisque quamplurimis; ubi vel humores ita corrupti, vel spiritus ita suppressi, sicut in malignis, ut ad cibi desiderium excitandum vel ad ciborum concoctionem perficiendam prorsus inepti sint; vel natura forte alibi in morbo aliquo gravi superando & expellendo ita occupata est, ut omnes suas vires illuc dirigat, easque interea ventriculo, donec hostem superavit, subtrahat. *Hæc anorexia symptomatica ut plurimum non curatur*, nisi morbo primario prius subacto ac superato; attamen hoc victo, cibi desiderim sponte plerumque redire solet. Igitur *de anorexia idiopathica* sive *essentiali* curanda præcipue hic acturus sum.

IV.

Curatio 1. per evacuantia.

Quando igitur ventriculus cruditatibus repletur, atque materia turget, sive *conatus vomendi adest*, non raro unico medicamento vomitorio hic morbus tollitur; vel solum aliquod remedium stomachicum ad malum penitus profligandum illi subjungendum. Si vero ejusmodi conatus abest, primo ad humores illos crudos incidendos & digerendos *salia amara*, ut vel salia plantarum amararum, tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, sal digestivum Sylvii, aut similia in forma pulveris per unum alterumve diem aliquoties in die a ℈j. ad ʒß. exhibenda; vel sub forma fluida, liq: terræ foliatæ tartari, ad guttas LX. & plures; hisque postea *idoneum purgans vel ex pilulis amaris*, vel ex *sale amaro* anglicano aut bohemico aliove simili superaddendum.

V.

V.

2. *per roborantia.*

Ventriculo atque intestinis expurgatis, *essentiæ* vel *elixiria amara & aromatica stomachica*, ad tonum ventriculi roborandum ejusque vim contractilem restituendam, aliquoties in die ad guttas 50. 60. & plures ægro exhiberi, hisque pulveres stomachici, ut tragea aromatica, August. pulv. stomach. Birckmanni, spec. pro morsulis Imperat. vel species diagalangæ, diacinamomi, vel de tribus piperibus ad ℈j. pro dosi, vel per se, vel cum vehiculo vinoso interponi debent. *Calamus aromaticus* conditus, itemque *Zingiber* conditum, *essentia piperis*, itemque essentia *piperis hispanici* sive capsici, vel & *elixirium vitrioli* Mynsichti, aliave similia, præsertim ubi alcali vel biliosum peccat, ad cibi desiderium excitandum, ut & *infusa radicum & herbarum amararum* & aromaticarum *cum vino*, sub specie vini absinthitis parata, egregie quoque hic valent, præsertim si justus *vini generosi usus in pastu* accedat, vel & post pastum haustulus cujusdam *aquæ spirituosæ* stomachicæ, quæ vulgo *aquæ vitæ* vocari solent, subjungatur.

VI.

3. *Ubi acidum peccat.*

Ubi cruditates acidæ in ventriculo peccant, medicamenta acidum *absorbentia*, ut conchæ præparatæ, lapides cancrorum, mater perlarum aut corallia præparata per aliquot dies sunt exhibenda, & postea *idoneo purgante*, vel ex pilulis aloeticis aut amaris aliis, vel ex rhabarbaro, vel ex sale amaro catharctico e corpore eliminentur. Utrique scopo & acidum absorbendi & evacuandi, *magnesia* etiam valde apta est, si per aliquot dies mane justa copia usurpatur. Cruditatibus evacuatis, ad *tonum relaxatum instaurandum* remedia amara & aromatica, præcedenti numero V. commendata, prodesse apte possunt; verum remedia quoque *martialia* & cumprimis tinctura vitrioli martis Ludovici, vel tinctura martis cydoniata, ali-

quo-

quoties in die usurpata, vel & *croci martis* cumprimis aperitivus Stahlii, aut *limatura martis* subtilissime trita, cum elæosaccharo cinamom. data egregie etiam hic benefaciunt. Usus legitimus *aquarum medicatarum martialium* utrique scopo & evacuandi & roborandi sæpe quam optime etiam satisfacit, præsertim si *motus frequens* corporis accedat: quibus plerumque ciborum desiderium quam valentissime excitari videmus, non neglecto haustu vini generosi in pastu, vel *aquæ vitæ* cujusdam ante vel post pastum. *Vitandus* hic est *fumus tabaci* præsertim copiosus, *usus spiritus vini nimis frequens* & copiosus, præsertim matutinus; diæta itidem inordinata, alimenta dura ac difficulter digerenda, pinguia, flatulenta, studia & lucubrationes nimiæ quoque vitanda.

VII.

De Nausea.

Nausea est ille morbus, quo ægris non solum nullum est desiderium cibi, sed potius *fastidium* ejus: quare idem fere est morbus ac præcedens, atque ex iisdem etiam caussis oriri videtur, attamen gradu illum superat. Est quoque *morbus vel per se, vel symptoma* multorum aliorum morborum, atque in curatione quoque parum a præcedenti differt.

Nausea quid?

VIII.

Quando per se morbum constituit, studendum, *ut vitiosi humores* e ventriculo *ejiciantur*; id quod, præsertim si conatus vomendi simul adest, *vomitu excitato*, si nihil vetat, optime ac brevissima via fieri solet. Sed si quid vomitum impedit, similia *purgantia* adhibenda, qualia §. IV. & VI. commendata sunt. His eadem subjungenda *stomachum* robo-

Curatio essentialis.

roborantia, cum vino generoso, quæ §. V. & VI. proposuimus. *Externe* ventriculo applicata, & inprimis *balsama stomachica* ex oleo Nucis moschatæ & oleis destillatis parata; vel *emplastra*, ut de crusta panis, de tacamahaca, vel stomach. Galeni sæpe etiam aliquid boni hic præstant.

I X.

Symptomatica. Si *in febribus acutis*, præsertim *malignis*, *epidemicis*, *petechialibus* vel petechizantibus, nausea eaque cumprimis cum vomendi conatu adest, saluberrimo consilio atque optimo cum successu *vomitoria* & cumprimis ex radice hypecacoannæ exhiberi, supra jam Cap. V. de *Febribus stomachicis acutis* prolixe ostendimus. Ita etiam *in principio multorum aliorum morborum* & speciatim ab *ira prægressa* ortorum, ubi nausea cum conatu vomendi adest, itemque in *dysenteria*, præsertim epidemica & castrensi, *vomitoria & utilia ac necessaria esse*, multis in locis hactenus asseveravimus, subjunctis postea illis remediis, quæ natura illorum morborum eorumque symptomata, resque circumstantes aliæ indicabunt, servata simul diæta tenui.

X.

De Bulimo sive Fame canina.

Bulimus quid? *Bulimus* est morbus mox præcedentibus contrarius, quo ægri fame fere insatiabili & perpetua vorandi cupiditate afficiuntur, atque nisi cibis potiri possint, sæpe animi deliquiis corripiuntur. Vocatur etiam *orexis* sive *fames canina*, *lupina* vel bubula.

Ejus caussa. Oriri solet vel *a vi contractili musculosæ tunicæ ventriculi nimis* elastica sive *aucta*, qua cibi justo celerius expelluntur, atque sic tunicæ nerveæ & parie-

parietum ventriculi fortius inter se atteruntur, unde sensus famis excitatur, vel oritur *ab humoribus nimis acribus* in ventriculo hærentibus, quibus eadem tunica justo vehementius stimulatur, atque perpetuæ fere famis sensus inducitur. In quibusdam ejusmodi ægrorum *os dextrum ventriculi* post mortem *nimis amplum* repertum est, quo factum, ut cibi justo celerius expulsi, vel & sponte quasi elapsi sint.

XI.

Curatio si a fibra nimis elastica.

Si hic morbus *a fibris ventriculi nimium elasticis* sive motu ejus contractili nimis aucto oritur, illæ relaxandæ ac debilitandæ: id quod fieri potest *usu pingium & oleosorum* copioso, ut carnium pinguium, lardi, pinguedinis porcinæ, oleosorum, pane calido, butyro, pinguedine porcina vel oleo largiter impręgnato & sæpius comesto; præterea usu lactis & lacticiniorum, pręsertim pultium ex farina & lacte, oryza, milio, hordeo, fagopyro, fabis, pisis, lentibus, amygdalis aliisque similibus farinosis & oleosis cum jusculis pinguibus vel lacte paratis. Ita & *succoladæ* cum lacte confectę potus frequens, additis farinosis & saccharatis, ut pane triticeo cum saccharo cocto, hic multum valet.

His denique, si parum sint, *opiata* addenda & speciatim theriacę ʒj. vel altera singulo vesperi assumpta, egregie etiam huic malo mederi solent.

XII.

Si ab humoribus acribus.

Quando *ab humoribus acribus* oritur, pręter pinguia, oleosa & opiata, speciatim hic prodest *largus usus absorbentium*, terreorum, & sigillatim, si *acidum* peccat, egregium remedium hic est *oleum tartari* per deliquium, a guttis XXX. ad LX. aliquoties in die vehiculo aqueo aut jusculo assumptum, *tinctura tartari* aliave similia alcalica, & pręsertim etiam *limatura martis* larga satis copia sępius assumpta. In nonnullis *spiritus vini potus*, cum primis matutinus, famem nimiam egregie

temperat, ita ut ſæpe jam multis anorexiam induxerit. *Fumus tabaci* frequens ad famem imminuendam multum quoque facit. Ubi vero *os dextrum ventriculi nimis amplum*, ut cibos retinere nequeat, malum ut plurimum eſt inſanabile.

XIII.

De Siti nimia.

Sitis nimia cauſſa.

Fami nimiæ mox ſubjungemus *ſitim nimiam*, quæ quandoque etiam per ſe morbum conſtituit, nunc & plerumque eſt comes aliorum morborum. Quando eſt morbus per ſe: vel ab *acribus alcalicis*, vel *ſalſis* aut *bilioſis* cruditatibus in primis viis, aut ab iiſdem in ſaliva & ſanguine exiſtentibus, oritur, qui ſtatus *intemperies bilioſa ſive calida* appellari ſolet, atque ægri calorem & ſiccitatem p. n. ſentire ſolent; vel & *ab humoribus nimis ſpiſſis* iiſque forte ſimul ſalſis, ut in ore & œſophago pro his humectandis ſatis ſecerni nequeant, provenit.

XIV.

Curatio.

Sive autem ab humoribus alcalicis & ſalſis tenuibus, ſive ſimul viſcidis ſitis nimia oriatur, conducit primo *potus ſufficiens aqueus*, nitro præſertim, vel ſucco citri vel tinctura florum bellidis, aliuſve ſimilis, aut ſpiritu quodam acido imprægnatus & ſufficienti copia ſacchari gratior redditus, ex quibus variæ potus ſpecies facile parari poſſunt. Ita & ex aquæ ℔. ij. aceti vini vel deſtillati ℥j. vel ij. cum ſaccharo ad gratiam addito aptus potus fieri poteſt, itemque ſi loco aceti, cremor tartari vel nitrum ſumitur, & pro ſitis ratione ſatis bibitur. Aliquando virginem nobilem *uſu ſeri lactis copioſi*, mane & veſperi, cum cremore tartari, herba acetoſæ & acetoſellæ parati, a moleſtiſſima ſiti, ardore & ſiccitate faucium

inve-

inveterata liberavi. *Si a febribus acutis*, aut *inflammatoriis*, vel & *tertianis* vehemens sitis ægrum affligat, potus modo laudati aciduli & nitrosi larga satis copia sæpiusque hausti, itemque gelatinæ & julepi aciduli optime prosunt; qui fere etiam in aliis morbis quibuscunque huic scopo optime conveniunt.

X V.

De Apepsia, & Dyspepsia.

Quid sint earũque caussa.

Apepsia & *Dyspepsia* sunt morbi ubi quidem ciborum desiderium non deficit, verum cibi vix, vel parum, vel difficulter admodum in ventriculo digeruntur; unde doloris & ponderis sensus cum ructibus & flatibus copiosis, ut inde necessario cruditates & humores corrupti in ventriculo generentur, qui aliorum quamplurium morborum ac symptomatum caussa fieri possunt. *Oriri* solent hæc mala ut plurimum a *prava diæta*, atque speciatim nimia ciborum, præsertim pinguium & oleosorum *ingluvie*, cumprimis si vita sedentaria aut otium nimium accedant; quibus non solum liquor gastricus corrumpitur, ac nimis viscidus redditur, verum & vis elastica ac motus tonicus fibrarum ventriculi vehementer relaxantur ac debilitantur, ita ut hac ratione ventriculus quamplurimorum morborum fœcunda fiat mater, præsertim ubi studia severa continua & lucubrationes multæ accedant.

X V I.

Curatio.

Ad hos vero morbos curandos, primo *corrupti hi humores*, (præmissis præsertim, si opus, per aliquot dies salibus digerentibus) vel *vomitu* sunt expellendi, vel si quid vomitum prohibeat, purgantibus §. VI. indicatis. Postea, *servato moderato*

rato victus regimine, vitatisque alimentis difficulter digerendis, omnis generis *stomachica* & *roborantia* [§.V.] ad anorexiam commendata & hic diligenter adhibenda. *Motus* quoque instituatur *frequens*, ambulando, vehendo & equitando, abstinendumque a nimia quiete nimiisque studiis & cumprimis lucubrationibus, aut mox ante vel post pastum institutis. *Usus aquarum medicatarum martialium* legitimus cum apta victus ratione in his malis quoque quam efficacissimus est.

XVII.

De Ventriculi ardore.

Quid, & ejus caussa.

Ardor ventriculi, quem barbari *sodam* quoque appellant, est molesta ardoris cujusdam circa cordis scrobiculum, sive sinistrum ventriculi os perceptio, qui ardor inde per œsophagum ad os usque se extendere solet, cum pressionis aut spasmodicæ constrictionis sensu, modo per brevius modo longius temporis spatium durans, & per intervalla plerumque, modo breviora modo longiora rediens. *Caussas* huic malo in nonnullis præbent *cibi pingues*, præsertim vervecinæ, ac speciatim, si mox aut brevi saltem post, potus frigidus & cumprimis cerevisia superingeritur; in aliis ab *assumptis acidis*, vel saltem acescentibus producitur. In quibusdam *ab aromaticis* aut spirituosis, in aliis denique *ab humoribus biliosis*, ac sigillatim in hominibus cholericis concitatur. Malum hoc *in multis admodum leve est*, atque plerumque brevi tempore sponte transit, ita ut vix Medicina egeat; in aliis vero longe pertinacius est, & tam sæpe redit, ut ægris fiat quam molestissimum, iique propterea auxilium a Medicis efflagitare cogantur.

XVIII.

XVIII.

Curatio.

Adeoque in curatione *ad caussam semper probe respiciendum*, & si *ab acido* ipsum induci intelligimus, *absorbentia* & nominatim lap. Cancror. præp. mater perlarum aut conchæ præparatæ, C. C. præp. Crystall montan. præp. aliave similia, admixta quarta vel quinta quasi parte pulveris nucis moschatæ, ad ʒß. pro dosi vel per se assumpta, vel ex aquis destillatis, vel theæ aut coffeæ aliove calido vehiculo data, egregie prosunt. Vulgus etiam *creta* vel sola, vel cum nuce moschata mixta, contra hoc malum cum fructu utitur: sed cavendus usus ejus nimius, quia ob vim stypticam ventriculo & intestinis adversatur, interea tamen *species diacretæ Mynsichti* magnum nomen, ob promptum auxilium, quod hic sæpe præstant, adeptæ sunt. *Oleum tartari per deliquium* ad guttas XX. vel XXV. ex thea, coffea vel jusculo aut cerevisia calida sumptum in momento etiam plerumque ardorem illum extinguit, id quod & tinctura tartari & spiritus C. C. vel utraque commixta ut plurimum egregie præstant. *Sin a biliosis humoribus* ortum ducat, spirit. nitri dulcis a guttis XXX. ad L. ardorem & dolorem tollit, si cum aqua, præsertim vero, si cum thea vel coffea assumitur. Quando *a cibis pinguibus* & haustu frigido superingesto provenit, *haustulus spiritus vini boni*, vel aquæ stomachicæ vinosæ eum ut plurimum compescit. *Vitandæ simul sunt caussæ*, quæ eum in quolibet producere solent, & *purgantia* subinde interposita ad humores vitiosos e ventriculo educendos hic quoque multum, cum præservandi tum curandi scopo, prosunt. In *sanguineis*, quia congestio sanguinis circa ventriculum sæpe ad ardorem hunc excitandum facit, *missio sanguinis* circa æquinoctia cum moderata victus ratione multum ad eum avertendum facit.

XIX.

De Cardialgia.

Cardialgia & ejus caussa.

Cardialgia eſt dolor minus vel magis vehemens circa ſcrobiculum cordis, cum anxietate, nauſea & ſępe conatu vomendi, immo vomitu ipſo combinatus. *Cauſſæ* ejus ſunt vel *humores vitioſi* in ventriculo hęrentes, ventriculum ſic ſigillatim os ejus ſiniſtrum, quod *cardia* appellari ſolet, vellicantes ac rodentes, tam extra febres intermittentes, quam & ſępe in eis, quibus ventriculus ad eos ejiciendos, ſeque ab illis liberandum ad ſpaſmodicas contractiones, plus minus violentas, adigitur, unde non ſolum hic dolores, verum & nauſea atque haud raro vomitus valde moleſtus atque anxius concitantur; Sępius tamen cardialgia quoque eſt ſine vomitu. Vel oritur etiam cardialgia quandoque a *a flatibus* atque humoribus noxiis ab alimentis non ſatis concoctis oriundis; vel ſubinde quoque *a vermibus* in ventriculo provenit: vidique fęminam, quę ex hac cardialgia, quę vehementiſſima & cum convulſionibus ſtipata erat, brevi periit, in cujus ventriculo magnum lumbricorum acervum & cardiam valde intus arroſam inveni. Frequenter etiam a *congeſtionibus ſanguinis circa ventriculum*, in ramis venę portę apud ſanguineos, & ſpeciatim hypochondriacos atque hyſtericas, producitur; ubi ſubinde vomitum cruentum eumque haud raro periculoſum poſt ſe trahit. Quandoque & in *febribus acutis* & prę- ſertim malignis ac *ſtomachicis* nobis dictis [vid. ſupra cap. V.] incidit ejuſmodi cardialgia, & quidem ſępius cum vomitu aut ſaltem conatu vomendi moleſtiſſimo, quo natura a pernicioſis humoribus in ventriculo hęrentibus ſe liberare ſtudet.

XX.

XX.

Curatio levioris.

Curatio igitur pro caussarum diversitate varia est, & modo facilior, modo difficilior, immo quandoque difficillima aut prorsus impossibilis. *Si a ciborum reliquiis* paullo acrioribus, aut non satis bene digestis, indeque oriundis *flatibus*, *oritur*, horis presertim matutinis, & jejuno adhuc ventriculo, *sæpe potui calido theæ* vel *coffeæ* solo, vel decocto *flor. chamomillæ*, aut guttulis aliquot esentię corticis aurantiorum vel alius cujusdam stomachicæ simul asumptis cedit; vel etiam si *aquæ cujusdam stomachicæ* spirituosę, ut anisi, fœniculi, corticis aurantiorum, cinamomi, carminativę aut vitæ Matthioli cochlear unum vel alterum asumitur. Ita & *pulvis corticis aurantiorum* ʒj. vel florum *chamomillæ*, cum pauco croco in vini ℥j. vel ℥ij. calefacti & adjecto pauxillo sacchari asumptus hic valde prodest. (*a*)

Quando vero *nimiam ventriculi repletionem* & cum primis alimentis difficulter digerendis, aut pinguibus factam pro caussa habet; vel ubi *ira* pastum vel præcessit, vel mox secuta est, ad hæc e ventriculo per viam brevissimam ejicienda, *lene emeticum* dari debet, præsertim ubi jam nausea & conatus vomendi adsunt; cui post temporis aliquod intervallum *potus frequens* ac largus *aquæ tepidæ* subjungendus, ut acria hæcce noxia non solum hac temperentur, verum & viscida ac tenacia, fluida atque mobilia reddantur, ventriculus melius ea eluatur, atque vomitus hoc ipso commodius promoveatur. *Quando autem æger jam vomit*, vomitorium, ne nimius vomitus, qui *hyperemesis* vocatur, hic indu-

 ca-

(*a*) In ejusmodi cardialgia *utilissimam* sæpe deprehendi seq. *potiunculam*. ℞. aq. card. ben. vel melissæ ℥iij. aq. vitæ Matthioli ℥j. elæos. macis vel cort. aurant ʒj. D. cochl. j. vel ij. aliquoties, donec cesset.

catur, omitto, & solum frequentem ac largum potum aquæ tepidæ, ad ventriculum eo melius purgandum vomitumque ægris facilitandum, assumendum impero; qui adhuc magis promovetur, si *folia* quædam *cardui benedicti* in illa aqua tepida per breve tempus macerantur, vel drachma dimidia salis cujusdam *digestivi*, amaricantis, ut tart. vitriolati arcan. duplic. salis absinthii, aliusve similis, in vomitu præsertim inani, ubi materia vitiosa ob tenacitatem a ventriculo avelli adeoque expelli nequit, semel iterumve exhibetur. His postea *ventriculum roborantia*, quæ §. V. & VI. laudavimus, una cum motu frequenti & modica diæta subjungenda.

XXI.

Curatio vehementioris.

Si vero *cardialgia a congestionibus sanguinis* & inde natis spasticis ac valde dolorificis ventriculi constrictionibus, sicut haud raro in hypochondriacis ac hystericis hominibus fieri solet, ortum habet, *Vomitoria*, quia sæpe nihil quicquam mali in ventriculo hæret, *non conducunt*; sed iis potius hi spasmi ac dolores in ventriculo, jam per se atrocissimi, ita interdum exacerbantur, ut simul motus convulsivos ac tremores horrendos per totum corpus concitent, atque sic cardialgiam omnium vehementissimam, qua ægri haud raro interficiuntur, inducant. Hinc præstat primo *ad sanguinem hic congestum* revocandum & abducendum *largam* satis ejus *copiam per venas extrahere*, mox vero simul ægro *medicamenta antispasmodica* & cumprimis pulveres antispasmodicos, resolventes ac temperantes, ex tart. vitriol. nitro, cinnabari, lapid. cancrorum citratis aut similibus, vel cum potu aqueo calido, vel cum aqua fœniculi, melissæ, menthæ sæpius porrigere, quibus etiam spir. C. C. cum tinctura tartari remixta, ad guttas L LX. & ultra subinde aptissime interponitur. His si *enema emolliens & anodynum* intestinis injectum & *vesi-*

ca

ca lacte vel aqua calida, [in quibus florum chamomillę, manipuli duo incocti sunt] repleta ventriculo calide imposita adjunguntur, sępissime hęc cardialgię species optime mitigatur ac tandem tollitur, relicta tamen ut plurimum ingenti virium debilitate, a qua sæpe non nisi longo temporis spatio liberari possunt. *Equitatio* tamen multum hic prodest.

XXII.

Curatio si in febribus vel a vermibus.

In cardialgia, quę in *febribus* acutis *stomachicis*, Capitis quinti, affligit, cumprimis, si eam nausea comitetur, vel lene *evacuans ex rhabarbaro*, aliove blande laxante dandum, vel & ipsa *rad. hypecacoannæ* modica dosi exhibenda, hisque deinde remedia temperantia, febribus acutis apta, sunt subjungenda. Quando *cardialgia a vermibus* in ventriculo inducitur, difficulter quidem ea cognoscitur; attamen si vermes hic adesse per signa quędam cognovimus, curatio contra hos potissimum erit instituenda, sicut suo loco mox docebimus.

XXIII.

De Flatuum & Ructuum molestiis.

Flatuum caussa. 1.

Flatuum & ructuum copia multis tam molesta est, ut medicam opem implorare cogantur. Ut plurimum pro causa agnoscunt *debilem ventriculum* non bene concoquentem, & *cibos crudos*, ac *flatulentos*, nominatim fabas, pisa, lentes, brassicam, rapas, raphanos, carnes duras aut pingues, atque in universum *nimiam ventriculi* cibis quibuscunque *repletionem*, quos ventriculus digerere satis nequit, hinc hi in cruditates ac pituitam, hę vero in flatus degenerant, pręsertim dum tonus ventriculi & intestinorum illa pituita ita debilitatur, ut aer vi sua elastica majus spatium affectet, atque sic sępe

non

non ſine magno incommodo per os ſuperius & inferius prorumpat; vel, ſi prorumpere non poſſit, *ægris magnas anxietates*, ſpirandi difficultatem aliaque mala inducat.

XXIV.

Cauſſa. 2.

Altera flatuum cauſſa ſunt *congeſtiones ſanguinis in vaſis venæ portæ* & præſertim ventriculi atque inteſtinorum, in ſanguineis, hypochondriacis atque hyſtericis, quibus inteſtina, dum ſanguis venæ portæ hepar commode tranſire nequit, ad motus ſpaſticos irritantur, a ſpaſmis tandem diuturnis debilitantur, tonus eorum relaxatur, ita ut aer contentus vim ſuam elaſticam exerceat, ventriculum & inteſtina valde diſtendat, diaphragma & pulmones urgeat, unde ſi ob cauſſam quamcunque expelli nequeant, *anguſtiæ atque anxietates præcordiorum*, *ſpiritus difficilis*, *dolores colici*, *cardialgia*, & per conſenſum ventriculi cum capite, *dolores capitis*, *vertigo*, *vigiliæ* aliaque mala inducuntur.

XXV.

Curatio prima.

In curatione autem *hæ duæ flatuum cauſſæ ac ſpecies probe a ſe invicem diſtinguendæ*; quia ut plurimum id, quod in hac prodeſt, in altera nocet. *Igitur in ſpecie* §. XXIII. *quæ a cruditatibus ventriculi oritur*, evacuatio primarum viarum per idonea purgantia §. IV. & VI. præ omnibus requiritur; ſordibus vero evacuatis, *ſtomachica roborantia*, aromatica, amara & carminativa §. V. exhibenda, in forma guttarum, pulveris vel infuſi, præſertim vinoſi. Speciatim vero hic *eſſentia carminativa Wedelii*, ſpiritus nitri dulcis, ſpiritus carminat. de tribus ſem. aniſi, fœniculi, carvi, ſaccharo obducta, pulv. flaved. cortic. aurant. cum vino calido, vel & poſt paſtum aquæ ſpirituoſæ aniſi, carvi, fœniculi, corticis aurantiorum, menthæ, vel vitæ Matthioli cochlear j. vel ij. deglutiri cum fructu poſſunt. Si præterea *modicam ſervant diætam*, flatulentos, & nimios cibos, una cum *vita ſedenta-*

ria

ria vitant, & contra *corpus sæpe exercent*, a flatuum incommodis liberantur, seque etiam eodem regimine ab illis quam efficacissime præservare poterunt.

XXVI.

Curatio si in febribus vel a vermibus.

Quod si vero *a congestionibus sanguinis in vasis venæ portæ* §. 24. & inde nata laxitate ventriculi atque intestinorum flatuum incommoda *oriantur*, quam molestiam hodie *flatulentiam hypochondriacam* appellare solent, & vel consuetæ sanguinis evacuationes naturales suppressæ vel artificiales neglectæ fuerint, illæ, si fieri potest, restituendæ, vel *sanguinis missio* instituenda; atque *si alvus obstructa, clystere* emolliente, vel blando laxante est aperienda, postea medicamenta antispasmodica, in cardialgia §. XXI. commendata, diligenter usurpanda. Quæ si parum sunt, ad *martialia remedia* secura, tam ad fluxus suppressos restituendos, quam ad tonum intestinorum ac ventriculi instaurandum, tanquam ad sacram anchoram est confugiendum: inter quæ primaria sunt *tinctura vitrioli martis Ludovici*, tinctura martis helleb. Wedel., præcipue vero *limatura martis subtilissime trita*, & ad gr. VI. VIII. X. vel cum elæosacch. cinam. vel cum extract. plantarum amararum sumpta, vel & crocus martis antimon. Stahlii cum pulveribus stomachicis, aromaticis vel elæosaccharo diu satis usurpata; vel & *aquæ martiales medicatæ*, cum victu conveniente & frequenti corporis motu, quæ in utroque casu fere præstantissimæ, sunt usurpandæ.

XXVII.

De Colico dolore.

Quid colicus dolor.

Post cardialgiam & flatus nunc etiam de *colico*

eo dolore speciatim adhuc acturus sum, *qui est dolor* plus minus *vehemens*, partim in ventriculo, partim in intestinis, atque interdum adeo atrox, ut ægri non solum vehementer clamare cogantur, sed &, sicut in cardialgia §. XXI. diximus, motibus convulsivis subinde corripiantur ac doloris atrocitatem vix perferre valeant, atque iis ipsis quam vehementissime intra breve tempus ita sæpe debilitentur, ut se vix commovere aut erigere valeant, atque diuturnus languor iis inde inducitur, qui paralysin quandoque post se trahit, & ejusmodi vehemens dolor a *Riverio*, *Sydenhamo* aliisque *colica Pictonum* appellari solet. Quoniam vero *sæpe mali sedes est in intestino colo*, doloris colici vel *colicæ* nomen obtinuit.

XXVIII.

Ejus caussa.

Caussæ ejus sunt 1. *cruditates pituitosæ* una *cum flatibus* a prava diæta, sicut de his modo diximus, ortæ. 2. *humores biliosi* acres, in cholericis, vel iis, qui ira vehementer perciti fuerunt, geniti. 3. *congestiones sanguinis* in plethoricis, hypochondriacis & iis, qui hæmorrhoidalibus morbis obnoxii sunt, atque ille sanguis per venam portæ commode transire, vel per hæmorrhoides exitum sibi facere nequit, unde hæc *colica hæmorrhoidalis* vocari solet, hincque spasmi & dolores illi concitantur. 4. *inflammatio ventriculi & intestinorum* dolores quoque colicos atrocissimos in abdomine producere solet. *Occasionem* sæpe his doloribus præbet *potus frigidus*, corpore præsertim calente assumptus; incessus per pavimenta frigida, lapidea ac humida, *pedibus nudis*, fructus *horæi frigidi* copiosius comesti, *sanguinis excretiones consuetæ suppressæ*, vel non rite succedentes; hinc fœminæ mensibus instantibus vel suppressis, vel non rite fluentibus, sæpe dolores colicos modo leviores modo atrociores persentire solent.

XXIX.

In curatione igitur ad causarum diversitatem probe est respiciendum: si enim *a cruditatibus* §. 28. *ex diætæ erroribus natis*, aut biliosis vitiatis humoribus orta est, atque alvus obstructa, *clysma* ex speciebus emollientibus & carminativis, addito ol. chamomillæ, nitro & melle *injiciendum*, quo ipso sæpissime præsentaneum animadvertitur auxilium; postea vel etiam ubi æger clysma admittere nolit, *purgans ex rhabarbaro*, vel *sale amaro* cathartico, ad noxios illos humores eliminandos, dari debet. *Quando autem ægri hi vomitu* simul, ut sæpe fit, laborant, ut, quicquid detur vel assumant, sursum rursus ejiciant, *clysmata* tunc sunt *iteranda*, & natura in expellendis humoribus vitiosis potu frequenti aquæ tepidæ, vel infusi foliorum cardui benedicti, aut *florum chamomillæ* est juvanda, quod ultimum simul egregium anodynum est. *Opiata* vero, præsertim in principio, sunt vitanda; *sacculi* contra *paregorici* ex floribus chamomillæ & semin. 4. carminat. vel *vesica aqua vel lacte calido* repleta, in quibus flores chamomillæ vel matricariæ cocti sunt, ventri calide sunt imponendi. Interne postquam prægresso purgante, vel vomitu spontaneo primæ viæ purgatæ sunt, *aquæ carminativæ & spiritus* ejusdem naturæ §. 25. indicati, sæpius, donec dolores remittant, sunt porrigendi, ubi etiam sequens mixtura valde utilis est.

Curatio si a prava diæta.

℞. aqu. fœniculi
chamomil. ā. ℥iij.
essent. cort. aurant.
spirit. nitri dulcis ā. ʒj.
sirup. cort. aurant. ℥ß. M.

de qua detur quavis hora, & dolore paululum remittente, quovis bihorio cochl. j. vel ij. *spiritus salis ammoniaci anisati*, vel *essentia millefolii* cum essentia alexipharmaca ad guttas L. vel LX. data,

ta, hic etiam sæpe egregie prosunt: ita *infusum* quoque *florum chamomillæ* & *millefolii* loco theæ sæpius haustum in doloribus hisce leniendis valentissimum est. *Corpus simul a frigore*, quia perniciosissimum hic est, semper *probe defendatur*.

XXX.

Curatio biliosa. Quando *dolores colici ab humoribus biliosis* concitati sunt, ut plurimum perquam atroces esse solent; quo igitur in casu, præter remedia *evacuantia*, præsertim *ex rhabarbaro parata*, & clysmata sæpius injecta, *vena secanda*, ac *pulvis antispasmodicus* ex aquis aut infusis modo §. 29. laudatis, cum fructu sæpius exhibetur, atque *spiritus* etiam *nitri dulcis*, *spiritus anticolicus de tribus*, aut liquor anodynus mineralis Fr. Hoffmanni subinde dati, hic egregie benefaciunt. *Oleum amygdalarum dulcium* recens fibras valde irritatas ac spasmis contractas potenter quoque demulcet, si ad ℥j. vel ℥ij. cum vehiculo calido aliquoties per intervalla datur.

XXXI.

Ejus, quæ a congestionibus. Sed si *a congestionibus sanguinis* oritur, & vel mensium vel hæmorrhoidum negotium turbatum est, studendum ut hoc suis remediis in ordinem redigatur. Qua de re videatur Cap. IX. Ut vero interea, dum restitutio illorum fluxuum, [nisi forte instent] non tam facilis est, ægris dolores leniantur, atque malum tolerabilius reddatur, *opiata* atque *narcotica* ad hos dolores tollendos hic minime adhibenda; quia hæc obstructiones illorum fluxuum adhuc pejores ac pertinaciores reddunt, atque ægros vel in gravissimos alios morbos, vel in ipsum vitæ periculum conjiciunt; neque *carminativa calidiora*, ut spiritus vini, aquæ carminativæ inde paratæ, essentiæ calidiores; olea destillata carminativa aut aromatica, danda sunt; quia stimulante & calefaciente virtute dolores manifesto augent, atque intesti-

nis

nis inflammationes facile inducunt; verum potius *venæ sectio* est instituenda, *clysmata* §. 29. sunt injicienda, & *pulveres antispasmodici* vel per se, vel in potiunculis sæpius sunt ingerendi, atque externe ea quoque quæ §. 29. commendavimus, ventri applicanda. *Præservandi gratia* iis, qui sæpius jam his malis conflictati fuerunt, *sanguinis detractiones* postea bis vel sæpius in anno sunt instituendæ, sæpe *equitandum*, & ut menses vel hæmorrhoides rite succedant, studendum.

XXXII.

Curatio inflammatoria.

Colicus dolor, qui *ab inflammatione ventriculi* aut *intestinorum inducitur*, & ex ardoris sensu in abdomine, calore p. n. pulsu febrili celeri, & siti cognosci solet, *longe pejor est illo*, *qui a simplici congestione ortum trahit*, atque omnium fere *atrocissimus* atque periculosissimus, minusque adhuc *opiata* aut *carminativa calidiora* fert; sed potius requirit *venæ sectionem largam*, ut pleræque graviores inflammationes internæ, eamque haud raro semel iterumque repetitam; quia viscera affecta, hac omissa, facile alias in gangrænam & sphacelum mortiferum abeunt; & deinde eadem remedia, quæ pag. 120. ad inflammationes internas curandas proposuimus, sunt adhibenda.

Olei amygdalarum dulcium vel *olei lini* usus (§. 30.) ad dolores hosce atrocissimos leniendos ab ℥j. ad ℥ij. subinde exhibitorum, quamplurimis etiam quam maxime prodest. Miror hanc speciem satis frequentem a multis auctoribus Medicis silentio prorsus esse prætermissam.

XXXIII.

De Vermibus sive Lumbricis.

Vermium symptomata.

Vermes sive *lumbrici* ventriculi quoque & intesti-

stinorum morbum peculiarem faciunt, quo sæpe gravissima inducuntur symptomata, dolores scilicet ac rosiones ventriculi atque intestinorum atroces, convulsiones, epilepsia, atrophia, & haud raro mors: atque frequentius in infantibus ac pueris observantur, quam in adultis, quamvis & in his sæpe negotium facessunt.

XXXIV.

Signa vermium.

Eos adesse dijudicamus ex frequenti dolore rodente & pungente in abdomine, ægri plerumque pallidum aut livescentem faciei habent colorem, (quamvis & hic in quibusdam sit sanis simillimus) infantes in somno sæpe terrentur atque expavescunt, plerumque sunt voraces & pane delectantur, spiritus male olet atque peculiarem prorsus eumque adversissimum obtinet fœtorem; adest sæpe nausea, quasi vomendum ipsis esset, atque os multo phlegmate subinde repletur; haud raro vertigine etiam afficiuntur, atque in naribus digitis sæpe scalpunt; venter in infantibus plerumque tumidus est, & per alvum multum pituitæ tenacis albicantis interdum rejiciunt; quidam epilepsia, alii febricula, quam *verminosam* appellant, corripiuntur; certissime vero omnium, quando homines ægri vermes vel per os, vel per alvum semel aut sæpius jam rejecerunt, eorum præsentia dignoscitur.

XXXV.

Vermium species.

Tres præcipuæ dantur eorum species: quarum prima illa est, quæ lumbricorum terrestrium similitudinem obtinet, & quæ hinc proprie *lumbrici*, vel & *vermes teretes* appellantur: alteram *vermes plani* sive *lati*, qui ex multis quasi juncturis sive partibus planis constant, seminibus cucurbitæ aliquo modo similibus, constituunt, quos propterea *lumbricos latos* sive *planos* itemque *cucurbitinos* appellant, atque decem & plurium ulna-

ulnarum quandoque longitudinem habent; [a] tertia species *vermiculis in caseo obviis* haud absimilis est, & ut plurimum tantum in intestino recto deprehenditur, ubi ægris molestissimum pruritum ac tenesmum sæpe concitare solent. Interdum & *aliæ adhuc insectorum aut vermium species* in corpore humano observatæ sunt, quæ per os & anum excretæ fuerunt; quos vero Medici ad peculiaria vermium genera, quia usum forte nullum præstat, nondum, quod sciam, retulerunt, sed tantum ut insolita & rara insecta corporis nostri annotarunt. Ita & nos *de modo, quo generentur*, & qua ratione in corpus humanum perveniant, non hic disputabimus; sed potius modum, quo interficiendi atque ex eo ejiciendi sint, in usum ægrorum iis afflictorum, considerabimus.

XXXVI.

Curatio I. per amara.

Utrumque præstant primo omnis generis *amara*, vermibus plerumque adversa: ut *absinthium* & cumprimis ejus atque *centaurii minoris* summitates, præterea herba *scordii* & flores *tanaceti*, itemque semen *cinæ* sive santonicum, *cortex peruvianus* & *cascarillæ*, quæ cerevisiæ aut vino, præsertim malvatico vel canariensi infundi, & aliquoties in die aliquot cochlearia, vel ab adultis, aliquot haustuli sumi debent. Eodem modo & radic. *filicis* & *filipendulæ* cum successu usurpari possunt. *Aloe*, *myrrha*, semen *cinæ* & *corallina* valentissima quoque adversus omnis generis vermes corporis humani sunt remedia, quæ vel in pulvere ex aqua graminis, fumariæ, scordii vel absinthii, vel si ægri pulveres aversantur, cum *melle* in forma boli aut electuarii bis vel ter in die sumen-

(a) Vid. *Spigelius* de lumbrico lato, *Andry* de la Generation des Vers, & *Clerici* Hist. Lumbricorum, ubi eorum figuræ & longitudo videri possunt.

menda. *Succus nasturt. aquat.* rec. matutino tempore per aliquot dies, larga satis copia sumptus, vermibus quibuscunque & speciatim *planis* maxime adversatur.

XXXVII.

2. Per martialia & acida.

Præterea *martialia* & sigillatim *limatura martis* lumbricos & ascarides exturbant, si larga satis copia ægris per aliquod tempus exhibentur. Ipsæ etiam *aquæ martiales* & speciatim Pyrmontanæ, vermes quoscunque expellere solent. *Acida* quoque *remedia*, ut spiritus vitrioli, vel sulphuris, Elixir. vitrioli Mynsichiti, Elixir. propriet. Paracelsi & similia vermibus etiam valde sunt inimica, si per aliquod tempus apta quantitas ægris ex aquis laudatis exhibeantur: immo & ipsum *vinum* merum ægris his, tam adultis, quam pueris, in pastu datum, vel etiam cum laudatis vegetabilibus infusum, & horis medicis haustum ad vermes destruendos conducit.

XXXVIII.

3. Per mercurium.

Denique & remedia ex *hydrargyro* parata vermibus sunt infensissima, & cumprimis commode adhiberi potest, postquam uncia dimidia vel integra in aquæ graminis, absinthii, fumariæ, aut scordii, vel etiam vulgaris, libra una, in vase vitreato per horam quasi dimidiam coquitur; agitando interea sæpius hoc hydrargyrum bacillo ligneo, quæ aqua postea in vitro servanda, & infanti vel puero aliquoties in die cochleare unum, adultis vero duo vel tria danda, quod decoctum adhuc valentius redditur, si ei sirupi de cichor. cum rhabarb. ℥j. vel ij. adduntur. Eandem etiam virtutem obtinet *hydrargyrum*, si eadem ratione bis vel ter in die *cum lacte decoquitur*, atque infantibus ac pueris, qui lacte delectantur, mane a meridie & circa vesperam, adjecto pauxillo sacchari, aliquot unciæ calide devorandæ exhibeantur. Præterea supra jam Cap. XIV. monui, me

ele-

electuario ex *cortice peruviano*, *mercurio vivo*, conserva quadam & sirupo parato, puellam a vermibus & epilepsia satis jam inveterata, & ubi multa frustra prius adhibita fuerunt, liberasse. Denique & *æthiops mineralis* ad aliquot grana sæpe datus, & qui hoc adhuc præstat, *mercurius dulcis* præstantissima sunt anthelmintica, cujus ultimi granulum dimidium vel unicum infantibus, adultis vero granum unum vel duo, cum pulveribus supra laudatis, vel etiam cum extractis amaris in forma pilulæ unius vel plurium, bis in die dari commode possunt; atque sic sæpe fit, ut ab omnibus illis laudatis remediis vermes & teretes & lati non solum interficiantur, verum etiam quandoque integri vel destructi expellantur, ad quod igitur in usu horum attendere debent ægri adulti, in infantibus vero & pueris eorum parentes vel ancillæ.

XXXIX.

4. Per purgantia.

Si vero nulli vermes ab his remediis expelli observantur, opus est, ut *tertio vel quarto quovis die purgans* quoddam illis interponatur: pro quo autem talia eligenda sunt purgantia, quæ simul vermibus sunt adversa. Huic igitur scopo *mercurius dulcis cum aloe*, vel *scammonio* aut *diagrydio*, aut *resina jalapæ*, aut *trochiscis alhandali*, vel in pulveris vel pilularum forma, aptissimus est, observando, ut cuilibet ægro, pro ætatis & virium ratione, apta horum quantitas exhibeatur. Ita etiam aliquoties observavi, quod, dum ægris, tam pueris, quam adultis, de quibus, an vermibus laborent, ignoraveram, ob alias caussas & morbos pilulas ex mercurio dulci, resina jalapæ & extracto panchymagog. Crollii paratas, per aliquot dies continuos exhibuerim, magna copia lumbricorum, immo integri eorum nidi expulsi & rejecti fuerint.

XL.

5. Per remedia externa.

Externa quædam *remedia* quoque his in malis non prorsus rejicienda sunt, præsertim quia infantes &

pueri occurrunt, qui nulla remedia interna assumere volunt. Huic igitur scopo inserviunt *fel bubulum*, quod ventri bis terve in die calide probe inungendum, vel hujus loco oleum colocynthid. vel unguent. de arthanita sive de cyclamine, vel ol. absinth. coct. cum ol. destillat. absinthii & tanaceti roboratum, vel & *succus recens radicis cyclaminis*, qui a veteribus valde hic commendatur: quibus interne *decoctum mercurii cum lacte* commode addi potest, quia hoc non ut medicamentum, sed ut alimentum assumunt.

XLI.

De Ascaridibus.

Ascaridum curatio.

Si *ascarides* in intestino recto nidulantur, id quod ex molestissimo pruritu circa anum & in intestino recto, ut & ex tenesmo sive frequenti desidendi stimulo, quam maxime vero ex observatis & visis ejusmodi bestiolis, vermiculis in caseo generatis similibus, in ægrorum excrementis dignoscitur, ad eas interficiendas & expellendas conducunt *primo laudata martialia* §. 37., & *purgantia* mercurialia §. 39., ac deinde *clysmata* injecta *ex anthelminticis*, ut decocto ex herb. absinth. sem. cinæ, myrrhæ & hydrargyro in aqua parato, cui olei absinthii cocti vel alterius olei ℥jß. vel ℥ij. addi & in anum tepide injici potest. Vel & *clyster ex solo oleo* olivarum vel lini, vel amygdalarum, aliove simili paratus aliquoties injiciendus, qui omnes ascarides interficit, dum nulla ejusmodi insecta olea perferre aut in iis vivere possunt, sed ab iis cito interficiuntur.

XLII.

De Tenesmo.

Tenesmus quid & caussa.

Tenesmus est molestus ac sæpe dolorificus desidendi stimulus in intestino recto, quo tamen parum vel nihil per alvum excernitur. *Excitatur* sæpe *ab ascaridibus* in hoc intestino habitantibus; vel *ab acri urina* in dysuria aut stranguria, vesicam & intestinum rectum, ob artum nexum vehementer stimulante; vel & *a calculo in vesica*; vel *ab acri* materia quæ *in dysenteria* intestinum rectum irritat ac rodit, & denique in *hæmorrhoidum negotio*, quando sanguis noxius vel abundans in hoc intestino congeritur, vasa ibidem valde distendit atque exitum ibi molitur, quo, præter dolorem, tenesmus sæpe inducitur molestissimus.

XLIII.

Ejus curatio.

Quando *tenesmus ab ascaridibus* oritur, tunc sublatis & enecatis iis, ut §. 40. docuimus, & hic tollitur. *Si ab acri urina*, hujus acrimonia, ut Cap. XII. §. 19. dictum, est temperanda. Si *a calculo in vesica*, non curatur nisi hoc ablato; mitigatur tamen externe clysmatibus emollientibus & lenientibus cum lacte paratis, vel suppositorio ex butyro non salito, in anum sæpius demisso. Interne simul ea sunt exhibenda quæ ad calculi vesicæ dolores mitigandos supra pag. 176. commendavimus. *Si ab hæmorrhoidibus cæcis* vel *instantibus*, eadem enemata & suppositoria, quæ modo laudavimus, conveniunt, vel & oleum amygdalarum dulc. aut liliorum alborum, aut verbasci, vel unguentum de linaria aut nutritum, quæ dolentibus partibus illinenda; vel *fotus emolliens & leniens* ex foliis hyoscyami vel flor. verbasci cum lacte coctus ano imponendus. *Si in dysenteria* inci-

cidat, calor eum optime lenit; hinc quoties alvus exoneranda, aut tenesmus urget, *vas aqua calida* impletum iis supponatur; vel *clysma emolliens* cum lacte paratum, adjecto oleo olivarum, lini, papaveris albi, verbasci, hyperici vel liliorum alborum cum vel sine theriaca, subinde applicetur; vel & splenium decocto herbæ hyoscyami vel altheæ, aut florum verbasci & chamomillæ cum lacte imbutum, ano superimponatur; & pro doloris modo sæpius reiteretur.

CAPUT XVII.

De Morbis sexus fœminini præcipuis.

I.

Morbi hi quotuplices.

SUnt, præter morbos hactenus propositos, sexui utrique plerumque communes, quidam adhuc *morbi sexui fœminino*, & quidem 1. virginibus, aut fœminis, non gravidis; vel 2. gravidis; vel 3. parturientibus, vel denique 4. puerperis *proprii*, quorum quidem nonnullos jam supra variis in locis exposuimus; verum sunt adhuc quidam mulierum morbi, de quibus hactenus nondum egimus, & qui seorsim adhuc hic considerari merentur.

II.

Menstruorum vitia.

In *virginibus*, *viduis*, & *mulieribus* non gravidis *sæpe menstrua deficiunt*, aut *obstruuntur*, sive *supprimuntur*, vel non satis, & tunc sæpe cum dolore excernuntur, vel non debito tempore & tardius veniunt; vel *nimium fluunt*, aut etiam justo citius redeunt; unde omnis generis mala eaque sæpe gravia symptomata oriuntur: quæ si *ab obstructione* aut non satis largo ipsorum fluxu proveniant, ut capite IX. p. 141. docuimus, emmena-

go-

gogis, venæ sectione in pede, pediluviis, balneis, fricationibus pedum frequentibus, ac motu, &c. curanda; *sin vero nimis fluunt*, fluxus temperantibus aliisque idoneis remediis est moderandus; quemadmodum hac de re capite VIII. pag. 135. jam actum est: sicut & de *hysterico malo* p. 169. de *chlorosi* pag. 192. & *fluore albo* pag. 221.

III.

De Sterilitate mulierum.

Sterilitatis fœminarum caussa.

Sterilitas fœminarum, quandoque non harum, sed virorum subinde culpa contingit, quando ejusmodi vitia in his observantur, de quibus supra, Cap. XV. §. 26. diximus; sed si talia absunt, ut plurimum caussa est in mulieribus, & *dependet vel a mensibus*, ob caussam quamcunque *non rite succedentibus*; vel ab iisdem *nimium* & perpetuo fere *fluentibus*; vel *a cachexia*, *fluore albo*, aliave corporis aut uteri prava constitutione; vel *a vaginæ vitio*, quando hæc vel nimis arcta, aut concreta, vel tumore, membrana morbosa, aliove malo obsita vel clausa est. Potest etiam oriri ex *ore uteri interno coalito*, aut *tubarum Fallopii*, vel *ovarii vitio*, aliove uteri malo interno, atque in sensus non incurrente; quæ propterea ut plurimum nec cognosci nec curari queunt.

IV.

Curatio ejus.

In curatione igitur ad caussas probe respiciendum: nam si a *mensium anomalia*, hi secundum methodum Cap. VIII. & IX. propositam, in ordinem sunt redigendi; *sin a fluore albo* aliove malo corporis habitu, hæc vitia sunt curanda, ut Cap. VIII. proposuimus: ubi inprimis pilularum Beccherian. diuturnus usus, una cum decocto ligni sassafras aut guaiaci, cum ess. succini ac scor-

dii, vel & *aquæ minerales* ac *thermæ*, interne & externe adhibitæ, multum ſæpe præſtare ſolent, ſi legitime uſurpantur.

Quando vitium adeſt in uteri vagina male conſtructa, ſive ea ſit nimis arcta, ſive concreta, aut carunculis vel tumore obſita, arte chirurgica hæc vitia ſunt tollenda.

Si *vitium ſimile in ipſo utero, ovario aut tubis Fallopianis*, quia nec viſui nec manibus acceſſus datur, plerumque eſt immedicabile. *Aquæ medicatæ* tamen, tam frigidæ quam potiſſimum *thermæ*, ſæpe tam in menſium anomaliis, quam fluore albo, & malo corporis habitu, quam & in malis nobis prorſus occultis corrigendis, ut modo dictum eſt, multum haud raro boni præſtant, & mulieres multæ, ut experientia ſæpe docuit, poſt earum uſum conceperunt, quæ diu antea fuerunt ſteriles.

V.

De Gravidarum noxis.

Gravidarum mala quæ & earum cauſſa.

In *gravidis* vero multis quam plurima quoque occurrunt ſymptomata; quorum pleraque, *primis* potiſſimum *menſibus*, ex ſanguine menſtruo retento, atque ſic inde nata plethora, mihi oriri videntur: *ut cibi appetentia læſa* aut imminuta, vulgo *appetitus proſtratus*, aut *depravatus*, quem *picam* & *malaciam* vocant, itemque *nauſea*, & *vomitus frequens*; in aliis *animi deliquia*, *dyſpnœa*, *hæmorrhoides*, *hæmorrhagia uteri*, & *abortus*, &c. Alia vero *ultimis menſibus*, a mole ſive magnitudine fœtus, ſecundarum, & aquarum, quibus fœtus innatat, ſenſim increſcentium, variaſque corporis actiones lædentium, proveniunt: inter quæ, præter enarrata, *tumores pedum*, *varices*, *tenſiones abdominis*, ſpirandi difficultas, *obſtructio alvi*, *flatuum* moleſtiæ

ac tormina, *hæmorrhoides dolentes aut fluentes*, *difficultas urinæ & alvi fere præcipua sunt*: quæ omnia e mechanicis rationibus deduci, atque ex eis satis commode explicari possunt.

VI.

Curatio eorum, quæ primis mensibus.

In *curatione* igitur symptomatum *primorum mensium*, & cumprimis *nauseæ*, *vomitus*, *anorexiæ*, vitandus victus inordinatus ac nimius; & e contrario, conducunt diæta modica, potus tenuis, motus moderatus, at frequens, blanda roborantia, stomachica, carminativa & cardiaca, cum blandis acidis, ut essentia cortic. aurant. & gentianæ, cum spiritu nitri dulcis, elix. viscerale Hoffmanni, vel etiam in calidioribus & biliosis, spir. nitri dulcis solus, vel elixir. vitrioli Mynsichti. Contra in paullo frigidioribus, aqu. embryon. aqu. cinamomi, cinam. cydon. aliave cordialis, & in pastu haustulus vini generosi confert.

In *animi deliquiis*, *dyspnœa*, *hæmorrhagia uteri*, &c. *missio sanguinis* in brachio instituta, hæc symptomata minuere solet; quæ vero in valde plethoricis, si res exigit, post aliquod tempus semel iterumque interdum repetenda. Nonnullis etiam in primis mensibus, præsertim si victus inordinatus præcessit, aliave *signa adsint cruditatum in ventriculo*, lene medicamentum *alvum ducens*, immo & si *vomitus indicia* adsunt, *emeticum* etiam blandum conducit, & roborantia postea his subjungenda. *In appetitu depravato*, *si terrea appetunt*, hoc acidum peccare in ventriculo indicat: hinc terrea, attamen securiora sive blandiora, ipsis sunt danda; contra *si acida*, alcali aut calor peccat, adeoque acida ipsis etiam modice sunt concedenda & suadenda. Denique si *salsis* aut *aromaticis* delectantur, pituitam in ventriculo abundare hæc significant; hinc præmissis lenibus & aptis *purgantibus*, qualia sunt pilulæ Beccherianæ aliæque similes, vel rhabarbarina, vel *aquæ* aut *salia amara* laxantia, &c. vel

etiam

etiam pro indicantium ratione, blando *emetico*, salia media, medicamenta amara & aromatica, ad cruditates has viscidas destruendas, ipsis sunt exhibenda, observata simul apta victus ratione.

VII.

Quæ mediis & ultimis.

In symptomatibus, *quæ mediis & ultimis mensibus*, a mole & magnitudine fœtus atque uteri & sæpe simul adhuc a plethora proveniunt, ac speciatim *in tumore pedum ac varicibus*, ut & *dyspnœa* ac *palpatione cordis*, in sanguineis conducit maxime *missio sanguinis* in brachio, deinde blanda diaphoretica & diuretica, quotidianæ *fricationes pedum*, motus moderatus, sed frequens corporis, diæta modica, atque antea §. VI. indicata *remedia roborantia*, vitando simul otium, necessaria sunt; *in pituitosis* vero venæ sectio omittenda.

VIII.

De Alvo obstructa Gravidarum.

Alvi obstructio.

Speciatim propter *alvum obstructam*, præ omnibus *potus sufficiens*, aqueus vel tenuis, ut theæ, coffeæ, cerevisiæ tenuis, vel aquæ cum pauco vino est commendandus, ac præterea *victus mollis*, humidus, leniens, vitando siccum, adstringentem, durum, flatulentum, necessarius est; & si hæc ex fonte diætetico desumpta forte non sufficiunt, *clysma* emolliens subinde adhibendum, aut lenissimum remedium alvum ducens, vulgo *laxans* dictum, ut *Potiuncula* ex tamarindis, foliis sennæ & manna vel *magnesia*, vel *pilulæ* blande aperientes, ut *Beccherianæ* aliæque similes, vel *sal* quoque *amarum* purgans modica, attamen sufficienti, copia iis exhibendum.

IX.

IX.

De Flatuum molestiis.

Flatus.

In *flatuum molestiis*, & inde sæpe natis *tormini-bus*, *anxietatibus* aut *dyspnœa*, præter victum modicum, & evitationem alimentorum flatus inducentium, modoque §. VIII. dicta aperientia ac laxantia, *stomachica* & *carminativa* antea §. VI. laudata atque imprimis essentia cortic. aurantiorum, essentia carminativa Wedelii, spiritus nitri dulcis, vel carminat. de tribus, aqua embryonum, cort. aurant. vel carminativa quantitat. modica subinde sumpta, egregie conveniunt.

X.

De Urinæ difficultate.

Urinæ difficultas.

In *urinæ difficultate*, elevatione ventris gravidi, quia uterus cervicem vesicæ comprimit, plerumque succurri satis potest; ut &, præsertim si hæc non sufficit, *cataplasmate* ex *chærefolio* & *cepis assatis* pubi imposito, itemque liq. terræ foliatæ tartari, vel tincturæ tartari, vel & subinde solius aquæ petroselini aut chærefolii, vel *emulsionis* ex nucleis persicorum vel amygd. amar., cum aquis his paratæ, potu prodesse possumus; *diuretica vero fortiora*, quia facile sanguinem nimis exagitant ac fœtum pellunt, sæpe nocent. In malo contra graviori, *cathetere* potius urinam e vesica emoliri præstat.

XI.

X I.

De Ventris tensione.

Dolor abdominis.

In *tensione & dolore cutis atque musculorum abdominis*, a foetu & utero vehementer extensorum inductis atque hinc multis perquam molestis, externe ad *has partes emolliendas ac leniendas*, pinguia, oleosa & emollientia, ut unguent. dialth. vel ol. amygdal. dulc. aut liliorum alborum, butyrum recens, aut *pinguedines variæ* blandiores, ut caponum, anserum, medulla pedum vitulinorum aut bubulorum, abdomini sæpius calide illita, optime prosunt.

X I I.

De Hæmorrhoidibus dolentibus.

Hæmorrhoidum vitia.

Hæmorrhoidum cœcarum dolores & tumores pulveribus temperantibus aut antispasmodicis & potui tenui, aquoso interne; sed *externe* sanguinis missioni, applicatisque eis, quæ pag. 181. ad hæmorrhoides inflammatas aut dolentes commendavimus, ac speciatim etiam *decocto foliorum hyoscyami* vel *sem. lini* cum lacte aliquoties applicato, egregie cedere solent. Sed si *hæmorrhoidum adest fluxus*, hic similiter moderandus laudatis pulveribus temperantibus, venæ sectione in brachio, usu moderato infusi herbæ & flor. *millefolii* ac quiete corporis: qua de re uberius consilium ex pag. 135. peti potest.

XIII.

De Uteri hæmorrhagia, & Abortus metu.

Uteri hæmorrhagia, & abortus.

Hæmorrhagia uteri, & inde metuendus *abortus*, periculosissimus gravidarum affectus, vel a *plethora* & orgasmo sanguinis, vel ab *ira* aliisve affectibus animi gravioribus, vel a *solutione placentæ ab utero*, lapsu, saltu, ictu vel alia quacunque de caussa, sive interna sive externa facta, dependet, ubi sanguis sæpe tam larga copia ex utero profluit, gravidæque haud raro brevi tam insigniter inde debilitantur, ut sæpius, nisi in tempore adhuc auxilium feratur, ob sanguinis hunc fluxum enormem pereant. Igitur *si ab orgasmo*, vel *plethora*, vel etiam ab *ira* oriatur, conducit præ omnibus quies corporis & animi, pulveres vel mixturæ temperantes, sanguinis missio in brachio, aer & potus moderate frigidus, & abstinentia ab omnibus calidis & calefacientibus aut spirituosis, ut & ab ira ac venere. At *in malo graviori*, potio Sylvii adstringens, pulv. stypticus Heurnii, immo alumen ipsum ad modum *Mynsichti* & *Helvetii* paratum, aliave adstringentia & opiata moderata, qualia supra pag. 128.129. de fluxibus sanguinis nimis commendata sunt, conveniunt, quibus ipsis etiam tunc *abortus sæpe præcavetur*.

XIV.

Curatio chirurgica.

Si vero ab his hic sanguinis fluxus non remittat, *placentam ab utero solutam esse* indicat, quæ huic nulla ratione rursus agglutinari adeoque nec medicamentis fluxus hic cohiberi potest: hinc, quia gravida semper inde redditur debilior, & quidem, ut aliquoties jam observavi, brevissimo subinde temporis spatio, atque hoc in statu metuendum, matrem cum fœtu brevi esse perituram,

ram, ſicut plura ejuſmodi novi exempla, *fœtus una cum ſecundinis, ſive vivus adhuc ſit ſive mortuus*, perita manu mature & caute *educendus*, quocunque etiam geſtationis tempore hoc fuerit, ſicut in Chirurgia noſtra peculiari capite [*a*] id uberius docuimus; quo ſolo ſæpe mulieres hæ, ſi juſto id adhuc fiat tempore, ſervantur; nam alias mater & fœtus ſimul certo pereunt; vel ſi feliciter adhuc res pro matre cedit, & ſanguis ac dolores partus fœtum immaturum expellunt, *abortus fit*, atque fœtus perit.

XV.

De Abortu facto.

Quid facto abortu faciendum.

Abortus vero jam factus nullam admittit curationem, dum fœtus, iſque ut plurimum jam mortuus, in uterum refundi nequit; verum quia mulieres a prægreſſa eaque ſæpe adhuc durante ſanguinis per uterum profuſione, præſertim ſi ſecundæ in utero reſtiterint, *valdæ debiles ſunt, & adhuc magis debilitantur*, ita ut cum ſanguine animam ſimul haud raro emittant, ad hunc fluxum compeſcendum & vires reſarciendas oportet primo, ſi *ſecundæ haberi poſſunt, eas extrahere*; deinde ut ſtrenue in lecto, in loco moderate frigido, conquieſcant; poſtea ut analepticis, aquis ſcilicet roborantibus atque modice adſtringentibus, & nominatim aqua cinamomi cydoniata, aq. meliſſæ, vel emulſionib. cardiacis, aut *pulveribus temperantibus* cum coralliis aut ſpec. de hyacintho; itemque tinctura coralliorum, infuſo millefolii, juſculis nutrientibus, hauſtulo vini & cumprimis rubri, reficiantur.

XVI.

(*a*) Part. II. Cap. 154.

XVI.

De Abortu præcavendo.

Quomodo abortus præcavendus.

Quando alia, quam hæmorrhagia uteri, indicia in gravidis *abortus metuendi aut futuri*, *per vehementia tormina aut dolores* partus *spurios*, nulla adhuc apertura uteri oris interni præsente, in ventre ac lumbis se manifestant, intus carminativa, extus aqua embryonum vel in pauperibus spiritus vini ventri cum splenio aut pane mellito calide, dum ægra super lecto decumbit, imponenda, atque *clysmata* emollientia & carminativa una cum quiete corporis adhibenda sunt. Si hæ mulieres sunt *plethoricæ*, etiam venæ sectio hic conducit. Si caussa horum malorum *est ira*, temperantia & nervina cum quiete prosunt; sin *a passione hysterica*, antihysterica & antispasmodica danda. Quando *a tussi* vehementiori metuendus abortus, tussis curanda, contra quam noctu *pilulæ de styrace* vel de cynoglosso ad pauca grana datæ, proficiunt. *Febres acutæ* etiam sæpissime sunt abortus caussæ; ubi vero raro præcaveri potest, & curandum hic maxime remediis febri debitis, ut minimum, mater servetur, quæ alias sæpe simul cum fœtu hic perit. Ubi vero jam *uteri* adest *hæmorrhagia*, id, quod §. XIII. agendum præcepimus, est faciendum. Ad eas vero, *quæ jam semel aut sæpius abortum passæ sunt*, ab abortu præcavendas, quia hic *sæpissime a nimia sanguinis copia*, exitum moliente provenit, graviditate facta, circa finem secundi aut tertii mensis, quando forte alias antea abortum fecerunt, *sanguis* e brachio mittendus, & temperantia, una cum modicis adstringentibus, ut coralliis, per aliquod tempus adhibenda; quæ etiam postea sin-

ſingulo trimeſtri, vel in valde ſanguineis, ſingulo bimeſtri ſpatio, iteranda, ſervata modica diæta, vitatiſque calefacientibus, motibus quibuſcunque & affectibus animi vehementioribus. *Abortus* etiam in quibuſdam fit *ex nimia vel gravidæ, vel fœtus debilitate*; quo in caſu cauſſa debilitatis inveſtigata removenda, atque internis & externis alimentis ac medicamentis roborantibus §. XV. & modo laudatis, præcipue vero aq. meliſſæ ac cinam. vel aqua embryonum interne & externe ægris his ſuccurrere, & ſi morbi alii hujus debilitatis cauſſæ ſunt, eos prius vel ſimul curare oportet. Si *cachexia* quædam *abortus frequentioris cauſſa*, hæc purgantibus, cachexiæ cuilibet contrariis, & ſpeciatim etiam *aquis medicatis* aut thermis, quæ hic præſtantiſſimæ ſunt, curanda.

XVII.

De Partu difficili.

Puerperarum mala.

In puerperis *partus difficilis* potiſſimum occurrit, qui vel matris, vel obſtetricis, vel infantis culpa contingere poteſt ac ſolet. *Matris culpa*, ſi apertura uteri facta & fœtu rite ſito, *vires* tamen ac *dolores ad partum* ſeu fœtum expellendum neceſſarii, ei deficiunt vel prorſus deſunt, præſertim ſi aquis jam ruptis omnes dolores etiam in robuſtis ceſſant, fere ſemper partus difficilis & ſitus fœtus p. n. eſt metuendus; præterea ſi *vitium in partibus* ejus genitalibus adſit; vel *ſi parturiens vires & niſus ad expellendum* fœtum, ut quandoque ob varias cauſſas contingit, adhibere, nolit. Haud raro etiam *alvus adſtricta* partum reddit difficilem.

Si dolores & vires deficiunt.

XVIII.

In virium ac dolorum naturalium defectu, quando

do fœtus in ſitu diſpoſitus eſt naturali, & apertura oris interni uteri adeſt, id quod ab obſtetrice vel Medico digito eſt explorandum, [a] exhibenda ſæpius ſunt corroborantia, analeptica & leniter pellentia; ut ſunt primo *hauſtulus vini* generoſi, cum vel ſine cinamomo aut mace, vel frigidus vel &, pro re nata, calidus, ſemel iterumque, ſi negotium non ſuccedit, repetendus; vel *aquæ pulegii, meliſſæ, liliorum alborum, cinamomi, florum cheiri, lilior. convall. perlarum, &c. cum pauxillo elæoſacchari* aut ſirupi cinamomi vel caryophyllor. aut confect. alKermes incompleta; vel cum talibus aquis, ſi majori ſtimulo opus eſt, detur *apta doſis pellentis medicamenti, ut hepatis anguillæ* pulvis, vel boracis, cinamomi, myrrhæ, aut antherar. liliorum alborum; non neglecto potu conveniente, eaque poſt horam unam vel alteram, ſi partus non ſequatur, ſemel iterumque aut ſæpius repetatur: naribuſque ſpiritus aut aquæ roborantes cephalicæ ſubinde admoveantur, donec tandem partus ſequatur. *Cavendum tamen ab abuſu* aut largiori calefacientium ac pellentium horum uſu, quia eis puerperis febres acutæ ac *purpuratæ* ſæpius inducuntur, adeoque caute cum iis mercandum. *Clyſteres* ſtimulantes etiam ſubinde, præſertim alvo obſtructa, multum hic valent, adeoque ubi fortiori ſtimulo opus, & hi non omittendi. *Manus obſtetricis* vel Medici periti in vaginam uteri immiſſio, & oſſis coccygis repreſſio, multum ad dolores excitandos & partum promovendum facere quoque poteſt. *Ubi vero dolores veri ſunt vegeti*, & ſitus fœtus bonus, res naturæ relinquenda.

Si eas adhibere nolit.

Quando puerpera vires ad expellendum fœtum adhibere nolit, vel precibus atque exhortationibus, vel

(a) Vid. Chir. noſtræ Inſtit. Tab. XXXIII. fig. 1.

vel interdum, si immorigera, minis etiam ad officium suum est adigenda.

XIX.

Si vitium in partibus genitalibus.

Si vitium in partibus mulieris genitalibus, & *os uteri vel nimis angustum* vel durum, ut sæpe solet in primiparis, præsertim senioribus, vel nimis siccum, fotibus vel linimentis emollientibus, butyro vel oleo sæpius inungendum, vel vapore balnei relaxandum, digitisque & manibus prudenter immissis sensim diducendum ac dilatandum, eisque fœtui exitus promovendus. Sin *tumor*, *caruncula*, *membrana vaginam* claudens, vel coalitus in vagina adsint, manu chirurgica & scalpello hæc curanda.

XX.

Obstetricis vitia.

Sæpe quoque obstetrix est caussa partus difficilis, præsertim eo, quando gravidas parturientes *præmature*, tempore nimirum graviditatis nondum expleto, nullis adhuc veris partus doloribus præsentibus, & cumprimis *nulla etiam adhuc facta apertura oris uteri interni*, digitis exploranda, [*qua sola dolores veri a falsis certe distinguntur*] ad labores impellit aut cogit: unde solum, vi summa diu & frustra ad pariendum adhibita, mulieres vires consumunt ac debilitantur, & tamen, natura invita, suis conatibus nihil efficere possunt; eoque ipso & fœtus & mater, culpa imperitarum ejusmodi, quam sæpissime interficiuntur, vel saltem in varios morbos & vitæ periculum coniiciuntur. Hinc, ubi modo dicta partus requisita & cumprimis *justa apertura oris uteri nondum adsunt*, a laboribus potius abstineant, & presertim si justum etiam pariendi tempus nondum adsit, nulla pellentia danda, sed quieti ejusmodi mulieres gravidæ committantur; deinde analepticis, carminativis, aquis præsertim roborantibus §. XVIII. vel aqua melissæ, menthæ, embryonum, cortic. aurant. vel cinamomi, cum vel sine vino, vel jusculis etiam

re-

reficiantur, tempusque partus naturale ac debitum & gravida & obstetrix cum patientia expectent, negotiumque hoc non præcipitent. *Natura enim hic vult duci*, non cogi.

XXI.

Fœtus vitia.

Si fœtus caussa partus difficilis, isque vel ob caput nimis magnum, vel ob monstrosam figuram, vel quod frequentissimum, *ob situm ineptum sive præter naturam*, tunc medicamenta *pellentia* non modo *sunt frustranea*, sed omnino noxia: quia periculosa sanguinis profluvia, inflammationes internas & febres acutas, præsertim purpuratas, ut supra jam diximus, §. XVIII. sæpe concitare solent; verum plerumque *fœtus tunc per pedes* perita manu, sive vivus sive mortuus sit, mature ac prudenter *invertendus & educendus*, sicut in Institut. chirurg. nostr. Cap. de Arte obstetricia, abunde docuimus. *Si vero integer haberi nequit*, antequam putrescat, per frusta potius quam cautissime, ne mater lædatur, extrahendus.

Post partum quemvis laboriosum puerperis, quia plerumque valde sunt debiles, & animi deliquiis sæpe tunc afficiantur, haustulus vini aut cerevisiæ calidæ, aut aquæ analepticæ §. XVIII. est exhibendus, atque, ubi opus, semel iterumque repetendus.

XXII.

De Fœtu in utero mortuo.

Quid cum fœtu mortuo faciendum.

Quando *fœtus in utero mortuus* est, studendum, ut antequam putrescat, & mulieri hoc ipso gravia mala inducat, inde ejiciatur. Si tamen *extra partus tempus*, membranis fœtus nondum ruptis, & *aquis nondum effusis*, *moritur*, naturæ res relinqui commode potest, quia fœtus membranis integris, & aquis adhuc inclusis, ob aeris denegatum accessum

non putrescit: nam suo tempore sponte partus dolores veri oriuntur, quibus peregrinus ille hospes tandem expellitur. Si *vero in partu moritur*, postquam membranæ fœtus jam ruptæ sunt, accedente aere cito putrescit, & mala pessima, nisi brevi emittatur, concitat. Ita *si in situ est naturali, & partus dolores adsunt*, hi cardiacis prudenter sustentandi, donec his ipsis vel sponte, vel obstetrice juvante protrudatur. *Sin vero hi dolores desunt*, vel etiam fœtus est in situ p. n., optimum consilium est, ut quam primum vel *manibus*, vel ubi hæ non sufficiunt, *ferramentis*, de quibus videnda est Chirurgia, educatur.

XXIII.

De Secundis relictis.

Secundæ relictæ.

Si *post fœtum editum secundæ* non mox sequantur, quas tamen obstetrix tunc ut plurimum apte educere potest ac debet, sed adhuc in utero hæreant, puerpera, antequam hæc ediderit, non facile e sella dimittenda; sed vel conatibus & nisibus parturiendi continuatis eas expellere studeat, obstetrice ejectionem manibus leniter adjuvante: vel si hæ sic fœtum brevi non sequantur, sicut tamen sæpe fieri solet, & parturienti adhuc vires sunt, *manu* mox, in uterum, *juxta ductum funiculi umbilicalis ad placentam usque* immissa, eaque prehensa, vacillando ac blande motitando, ab utero solvenda, & si fieri potest, caute educenda: *sin vero nimis arcte utero adhæreat*, ut sine vi ac laceratione earum aut uteri inde solvi nequeat; vi haud evellendæ aut dilacerandæ, quia *evulsio violenta* sæpissime inflammationem & *gangrænam uteri* & *febres pessimas* & cumprimis etiam *purpuratas* hisce puerperis inducit; verum potius per aliquod tempus, horulam forte

forte dimidiam expectando, manum vero in utero, ne os ejus se claudat, servando, sponte ab utero separatur, ut sine vi tandem educi queat. Ita & si *mox post partum nimis debilis sit puerpera*, prius potu, jusculo vel aquis roborantibus, refocillanda, & quies aliqua ipsi concedenda, donec vires aliquas recuperavit, ubi tunc, si sponte interea sub doloribus post partum non prodierint, manu & digitis blande motitando solvenda & protrahenda. Sed si fœtu nato *secundæ solæ* ob imperitiam obstetricis intus remanserint manuque mox ab ea, sicut fieri debuisset, eductæ non sint, uterique os jam denuo clausum sit, ut manui aditus non amplius pateat, eadem *medicamenta, quæ menses aut partum promovent* §. XVIII. (quia hæc & secundas pellunt] & hic adhibenda, ubi cumprimis etiam pilulæ Beccherianæ singulo vesperi sumptæ valde prosunt, eisque secundinæ emolliendæ: id quod subinde feliciter adhuc obtinetur; sæpius vero ob neglectam earum maturam extractionem in utero *putrescunt*, febres aliaque mala accedunt & *puerperæ inde moriuntur*, vel minimum in istiusmodi *febres*, præsertim *inflammatorias* & *purpuratas*, incidunt periculosissimas.

XXIV.

De Doloribus post partum.

Dolores post partum.

Si *doloribus post partum corripitur puerpera*, qui sæpe vehementes sunt, & *vel a parte secundarum vel integris etiam secundis relictis*, vel a magnis *frustis sanguinis in utero concretis*, vel a *partu difficili* prægresso, vel *a lochiis non rite succedentibus*, vel etiam *a flatibus* concitari solent, præsertim *si venter mox a partu fascia idonea vel longo mantili, non probe fuit ligata*, vel *frigori* qualicunque se expo-

poſuit, ligato prius decenter ventre, conducit potus diluens, aqueus, calidus, ut thea cum croco, infuſum flor. chamomillæ, vel ſeminis carvi, loco theæ hauſtum, vel juſcula cum ſemine carvi cocta, vel flores chamomillæ aut abſinthii aut flav. cort. aurantiorum ʒ j. cum juſculo calido aut cereviſia cocti ac hauſti, quod primum *Foreſti* fuit ſpecificum, vel & eſſent. florum chamomillæ, eſſent. cortic. aurant. cum ſpiritu nitri, vel eſſent. carmin. Wedelii, aliaque ejuſmodi cum infuſo aliquo prædictorum calido ſumpta, corpore contra frigus probe defenſo. *Oleum amygd. dulc.* ad ℥j. vel ℥ij. ex vehiculo calido ſubinde uſurpatum, multis optime quoque conducit. *Si calor p. n. ſimul ſentiatur*, detur ſæpius pulvis temperans, ex lap. cancr. cinnabari, nitro & croco; vel potiuncula temperans, non omiſſis in malo vehementiori pro re nata, *clyſmatibus* emollientibus & carminativis, ut & *ſacculis* carminativis, aut *veſica aqua vel lacte calido*, in quo flores chamomillæ cocti, repleta, ventri imponendis. Ceterum *præſtat primis diebus alvum eſſe obſtructam*, lochiis rite fluentibus, quam nimis laxam, *quæ valde hic ſuſpecta* eſt; adeoque & *purgantia fortiora* hic vitanda: blanda tamen, ut pilulæ Beccherianæ ac ſimiles non nocent.

Haud raro *etiam hi dolores oriuntur poſt violentam ſecundarum ex utero evulſionem*, ita ut uterus inde inflammetur, & febres acutæ peſſimæ hac ratione inducantur. **Sed de his mox §. XXVI. plura.**

XXV.

De Lochiorum vitiis.

Quomodo *lochiorum nimius fluxus* eorumve *suppressio* sint tractanda, Cap. VIII. & IX. jam docuimus. Hoc solum hic adhuc addo, quod *si cum febre acuta lochia fluant cum doloribus*, hæc ut plurimum uteri læsionem, præsertim a placenta vi evulsa, indicare, quam inflammatio, gangræna uteri & mors sæpe sequuntur.

Lochia peccantia.

XXVI.

De Febribus acutis Puerperarum.

Quando vero *ex suppressis lochiis*, ob frigus admissum, vel *animi affectus*, ut sæpe fit, vel & *ex evulsis* per vim secundinis, *febres acutæ*, *purpura puerperarum*, sive *febris miliaris*, *inflammationes internæ*, *ut pleuritides*, *peripneumonia*, *phrenitides*, *anginæ*, *hepatis*, *ventriculi*, *uteri*, *mammarum*, aliarumve partium nobiliorum *inflammationes*, oriuntur, conducunt, ut in aliis febribus acutis & inflammationibus, pulveres temperantes, resolventes, diaphoretici, acido citri saturati, cinnabarini, nitrosi, essentiæ diaphoreticæ, ut scordii & croci, diluentia aquea, potus largus aqueus, potiunculæ diaphoreticæ & moderate cardiacæ, aliaque in febribus continuis & inflammationibus internis supra commendata. Sæpius etiam lene *emeticum* ex hypecacoanna, si caussæ, ut ira prægressa, aliæve id exigant, utiliter exhibetur. *Clysmata* quoque ano; *fomentationes* vero *ope vesicæ* aqua vel *lacte calido repletæ*, partibus dolentibus aut inflammatis, vel

Febres acutæ & inflammationes internæ.

cataplasmata in uteri inflammatione *ad gangrænam præcavendum* ex rad. præsertim symphyti, sigilli Salomonis & althæa, in lixivio fortissimo aut vino coctis, eidem calide sæpius applicata prosunt (*a*); atque in *plethoricis*, præsertim *ubi lochia suppressa* sunt, in principio *sanguinis missio in pede* est instituenda, & lochia leniter pellentia, ex succino aut myrrha temperantibus sunt addenda.

XXVII.

De Febri lactaria.

Febris lactaria.

Febris lactaria, quæ circa tertium vel quartum diem, lacte ad mammas congesto, oriri & per unum alterumve diem durare plerumque solet, vel sponte solius naturæ actione, ope sudoris transit, vel diaphoreticis quoque & diluentibus aqueis, præsertim calidis, modo §. XXIV. indicatis, ac regimini diaphoretico ut plurimum cedit, præsertim si simul diæta servatur tenuis, & infans mammis sæpius admovetur. Quando autem puerperæ non lactant, tenui diæta & diaphoreticis res potissimum est expedienda, lac simul, si quod adest, leniter subinde, ne subsistat & coeat, exprimendo.

XXVIII.

(*a*) *Hoc cataplasma* in Actis Nat.Cur.vol.II. pag.329. & a Cel. *Vverehofio* in doctiss. suis obs. de febrib. pag. 294. contra uteri gangrænam valde laudatur; prodest tamen quoque hic *cataplasma* ex flor. chamomillæ, meliloti & sambuci in vino vel lacte coctum.

XXVIII.

De Mammarum inflammatione.

Mammarum tumor & inflammatio, qui a lacte stagnante, primis plerumque post partum diebus, immo & haud raro tardius oriri solet, interne, iisdem remediis diaphoreticis, quæ §. XXIV. commendata sunt; externe vero, resolventibus, maxime spiritu vini cum linteis, calide sæpe applicato, vel empl. diachyl. simpl. vel de sperm. ceti, addita camphora, aliisque in Chirurgia (*a*) laudatis, sæpe resolvitur, cumprimis si lac subinde vel ab homine vel caniculo exsugitur, vel manibus leniter exprimitur. Si vero inflammatio jam ad *suppurationem* spectat, tumor quantocyus emollientibus, vel cataplasmatibus, vel emplastro diachylo cum gummis, maturandus, postea aperiendus, pus ejiciendum, abscessus unguento digestivo depurandus, & tandem balsamicis, ac nominatim balsamo peruviano aut de Meccha, rursus consolidandus.

Mammarum tumor.

XXIX.

De Papillis dolentibus & fissis.

Papillæ dolentes & fissæ lactantium curantur vel balsamicis, ut oleo ovorum & ceræ, vel mucilag. sem. cydon. sæpe illitis; vel sæpius insperso pulvere gummi arabici; vel aqua Reginæ Hung. superimposita, aliisve in Chirurgia nostra laudatis.

Papillæ fissæ.

XXX.

(*a*) Cap. de Mammarum inflammatione.

XXX.

De Lactis abundantia & defectu.

Lactis vitia.

Lactis abundantia nimia, præsertim ubi foetus mortuus, vel puerperæ lactare nolunt, minuitur victu tenui, parco, sudoris largi tolerantia, eaque lenibus sudoriferis sustentata, itemque purgantibus ac lochia pellentibus, ut pilul. Beccher. & Elixir. propr. quibus addi potest lap. galactites in dorso appensus.

Defectus vero *lactis curatur* victu humido multo ac bene nutriente, ut omnis generis bonis sorbitionibus & jusculis, lacte, præsertim cum flor. sambuci cocto, ovis sorbilibus, gelatinis, emulsionibus, cerevisia calida cum vitellis ovorum & saccharo, stomachicis quoque & digestionem promoventibus atque cumprimis pulveribus ex *seminibus carminativis*, anisi, fœniculi, carvi & saccharo, sæpius assumptis; *frictione* quoque *mammarum* frequenti, appenso lapide galactite, aut mercurio vivo ad mammas: quæ ultima tamen, si quid præstant, stimulo magis sive blanda irritatione ad mammas, quam alia quadam occulta facultate, id efficere videntur.

XXXI.

De Urinæ incontinentia post partum.

Curatio

Hoc malum a læsione, laceratione, debilitate, relaxatione vel paralysi cervicis vesicæ oriri solet, & malum est molestissimum atque simul ut plurimum per medicamenta curatu difficillimum. Interea tamen *roborantia*, & *traumatica* principio sæ-

sæpe aliquid proficiunt, ut infusa herbarum traumaticarum, Essent. traumat. Wedel. tinct. terræ japon. chinæ & cascarillæ, immo & tincturæ martiales; item externe *fotus herbar.* illarum cum vino rubro, vel aqua ferrariorum facti, sæpius applicati, *Balnea* etiam & cumprimis *thermarum*, vel ex *aquis martialibus* parata, egregia sunt; quæ tamen simul & interne hoc in malo usurpari cum fructu possunt. Quod si vero hæc omnia parum sint, *machinis chirurgicis* vitium hoc adhuc leniri sæpe potest: qua de re videantur Instit. chirurgicæ.

XXXIII.

De Mulierum morbis chirurgicis.

De ceteris morbis mulierum, quæ manum vel scalpellum chirurgi requirunt, quales sunt *vagina uteri concreta*, *procidentia uteri*, *partus difficilis* ex situ foetus p. n., *fœtus mortuus*, *secundæ* fœtum sponte non sequentes, *calculus vesicæ*, *cancer mammarum*, aliisque in chir. Instit. nostris satis prolixe egimus, sicut etiam jam supra Cap. XII. de Cancro medice tractando præcepimus,

MONITA PRACTICA

Circa Morbos Mulierum.

1. In morbis mulierum semper quærendum, *an menses rite fluunt*, & secundum horum constitutionem curatio est instituenda.

2. *In fœminis extra matrimonium viventibus, & de pudicitia aliquo modo suspectis*, cavendum, ne, dum de mensium obstructione conqueruntur, & consilium desiderant, eis forte gravidis per medica-

camenta pellentia, vel venæ sectionem in pede abortum concitemus.

3. Idem observandum in *mulieribus gravidis* ne modo dictis abortum ipsis procuremus.

4. *Gravidis ad abortum pronis*, bona diæta, & missio sanguinis matura in brachio, magna ad eum avertendum sunt remedia.

5. *Ad roborandum fœtum & gravidam debilem*, conducit subinde haustulus vini generosi, vel aquæ melissæ vel cinamomi cum vino, aut embryonum, cochlear unum vel alterum; atque in hystericis, aquæ hystericæ vel epilepticæ Langii.

6. *Contra diarrhœam & tormina gravidarum*, a quibus abortus sæpe metuendus, eadem modo dicta & vesperi parum theriacæ aut diascordii conducunt.

7. *Tussi gravidarum*, præter alia contra tussim laudata pectoralia, M. P. de styrace paucis granis noctu data, medetur.

8. *Dolores partus veri* a spuriis apertura oris uteri interni optime distinguuntur.

9. *Parturientibus nulla pellentia danda*, nisi *os uteri internum percipitur apertum*, & fœtus sit *in situ naturali*; alias nocent.

10. *Frigus quodcunque* & parturientibus & puerperis est *pestiferum*.

11. *Si fœtus per tres quatuorve dies in partu hæret*, ut plurimum mortuus est, præsertim si fœtet, aut curicula a cute recedere observatur.

12. *Puerperæ, ut graviter vulneratæ tractandæ*: hinc quiescant per 8. vel plures dies in lecto, tenuem servent diætam, vitent calefacientia & carnes, primis præsertim diebus, ita a multis morbis se præservabunt. In fine lenis purgatio conducit.

CAPUT XVIII.

De Morbis Infantum ac Puerorum & 1. de morbis a meconio retento, torminibus, vigiliis, ictero, epilepsia, &c.

I.

Infantum recens natorum mala a meconio.

INfantes *recens nati*, *ob meconium*, pituitam, aliasve sordes in primis viis hærentes, nisi mature ejiciantur, sæpe *torminibus* sive *doloribus ventris* & inde concitatis perpetuis fere *clamoribus*, *singultu*, *ictero*, *vigiliis*, *inquietudine*, *pavore*, *terrore* & sæpe *convulsionibus* atque *epilepsia* ipsa corripiuntur, quibus malis multi infantes, nisi in tempore ipsis succurramus, pereunt: quapropter, quia *omnia hac mala plerumque ab eadem hac caussa dependent*, eadem etiam potissimum ratione, expurgando scilicet retentum hocce meconium, curari sæpe possunt. Ad quod vero expellendum, egregie conducit primum illud lac tenue sive aquosum puerperarum recentium, si ipsæ lactant infantem, quod *colostrum* appellatur, si illud infantibus sugendum conceditur, quod instar seri lactis ad illud expurgandum optime confert; vel si hæ mulieres non lactent, dum, ut ditiores solent, vel lactare nolunt, aut non possunt, jejunium duodecim circiter horarum his infantibus convenit, & interea *semel iterumque exhibitum lene alvum laxans*, ex pulveris jalappæ gr. ij. aut rhabarb. gr. iij. aut IV. cum vel sine granulo, pro malorum diversitate, mercurii dulcis, vel in forma pulveris, vel cum sirupo rosarum solutivo, vel sirupo de manna, aut de cichor. cum rhabarb. aliove simili, in forma linctus. Vel horum loco *vinum dulce* etiam

iam cum melle dari apte potest, quod infantes quoque purgare atque sic meconim evacuare solet; & si hæc forte non sufficiant, atque infantes clamare pergant, auri fulminantis gr. j. & *clysmate* e sero lactis, vel decocto avenæ, cum melle & sapone parato, harum sordium exitus est promovendus.

Nonnullis in locis in hunc scopum infantibus *olei amygdal. dulcium* ℥ß. *cum pauxillo sacchari penidii* exhibent, cui vero priora, tanquam valentiora, præfero.

II.

De Morbis Infantum ab alvo obstructa & flatibus retentis.

Mala ab alvo obstructa.

Si infantibus post hæc successu temporis, ut sæpe contingit, *fæces alvi fiant duriores*, atque inde *alvi obstructio* & *flatuum retentio* ejusmodi, qualia modo enarravimus, concitet symptomata, prosunt vel clysmata emollientia & carminativa vel & eadem [§. 1.] laudata remedia, donec alvi sufficiens sit facta evacuatio, & postea subinde ad *acre* sive *acidum a lacte corrupto* ortum, obstructionemque haud raro producens, corrigendum atque absorbendum, pulvis aliquis absorbens ex conchis vel lapidibus cancrorum, aut matre perlarum, cum pulvere seminis anisi quod hic egregium, mixtus, modica copia ipsis sæpe porrigatur, quibus varia & pessima illa mala, *ab acido lactis corrupti* plerumque provenientia, ut plurimum optime curantur. *In malo vehementiori* etiam *matres lactantes, vel nutrices*, expurgari & postea medicamentis acido & flatibus contrariis, quæ modo commendavimus, aliisque morbo adversis uti, atque ab acidis in victu quoque, ut

& a

& a flatulentis cibis abstinere debent. *Vitanda vero* quam maxime in infantibus, & præsertim his in malis sunt *opiata*, (nisi magna ob doloris vehementiam urgeat necessitas, & *præmisso clysmate* aut *purgante*] itemque *acida quæcunque*, quæ etiam a matre lactante vel a nutrice, ut modo diximus, tunc serio sunt fugienda; nam *omnibus in morbis infantum, tam ratione victus quam medicamentorum, simul ad nutricem* est respiciendum.

III.

De Morbis a lacte corrupto.

Morbi a lacte corrupto.

Infantes præterea, quia lac sugunt, aut & simul, ut multis in locis mos est, cibis vel pultibus nutriuntur lacteis, *a lacte in ventriculo ob quamcunque caussam corrupto*, coagulato & acido reddito, & modo dicta & varia adhuc alia sæpe patiuntur symptomata: *fæces enim alvi fiunt virides*, acres, acidum spirantes & subsequuntur inde frequenter *vomitus*, *tormina ventris sævissima*, *alvi fluxus*, *inflationes abdominis*, *anxietates*, *clamores*, *metus suffocationis*, *convulsiones*, *pavores*, *epilepsia*, aliaque: quæ vero mala optime rursus curantur, primo per evacuationem & postea per correctionem cruditatis sive materiæ corruptæ, acidæ. Illud fit 1. idoneis *purgantibus* §. I. eisque si opus, per intervalla repetitis; 2. medicamentis *acidum absorbentibus*, ut terreis & *carminativis* blandis, modo §. II. laudatis; 3. *clysmatibus*, antea §. I. quoque jam indicatis; 4. *oleo amygdalarum dulcium* interne subinde dato; 5. *oleis & sacculis carminativis* externe abdomini adhibendis. Quibus ipsis etiam *epilepsia* in hac ætate, & ab eadem caussa tunc sæpe proveniens, optime profligatur; quam ob rationem *pulvis Marchio-*

Epilepsia a lacte corrupto.

ahionis forte & *specif. cephal. Mich.* cranium humanum, ungulæ alcis, aliaque adhuc multa acidum destruentia sive absorbentia, tantum inter medicamenta antepileptica nomen adepta sunt, quia ob virtutem acido contrariam, illud his casibus destruunt, præsertim si pulveribus prædictis *pulvis lumbricorum terrestrium* admiscetur, & sic, destructa caussa, etiam curatur epilepsia: atque hanc ob caussam *spiritus* C. C. ad gutt. iij. IV. V. quoque hic haud raro valde prodest, & inter præcipua antepileptica habetur.

IV.

De Pavore in somno.

Pavoris curatio.

Speciatim *pavores infantum prodromi sæpe sunt epilepsiæ*, atque convulsivi motus, a caussa irritante, inducti esse videntur. Oriuntur sæpissime in somno atque valde suspectum est symptoma; si tamen in vigilantibus incidunt, adhuc pejoris esse solent indolis. In minoribus infantibus *utplurimum a lacte corrupto* & acido vehementiori in ventriculo mihi oriri videntur; in adultioribus vero etiam a vermibus induci possunt. Quando igitur *a lacte corrupto*, iisdem remediis, quæ §. III. modo commendavimus, curanda; sin vero *a vermibus*, hi ut mox infra §. XXIX. & seq. docebimus, tollendi.

V.

De Vigiliis nimiis Infantum.

Vigiliarum.

Hæ vel *a torminibus*, vel *ab alvo obstructa*, & flatibus ac *doloribus* inde inductis, ortum ducunt, & sicuti sanitas infantum præcipue ex bono ac

tran-

tranquillo ſomno dijudicatur, ita contra ex perpetuis vigiliis, ploratu & clamoribus eos ægrotare haud temere credere poſſumus. Vigiliæ igitur vel *ex corrupto lacte in ventriculo* & inteſtinis oriuntur, vel ſi alvus ſimul eſt obſtructa, etiam ſæpe *a flatibus*. In his malis igitur præ omnibus ſemper alvus aperta, an clauſa ſit, videndum, & *ſi clauſa vel adſtricta*, clyſma iis primo & deinde adhuc *purgans* exhiberi debet, prout ſupra diximus §. I. & III. poſtea, purgatione facta, ad acrimoniam lactis corrigendam, & flatus diſſipandos, abſorbentia & carminativa antea laudata §. III. ac ſpeciatim *pulv. ſeminis aniſi* ſæpe danda, adhibitis ſimul externe ventri oleis carminativis, & niſi tormina hinc ſopiantur, ut quieſcere poſſint, clyſteres repetendi. Quibuſdam poſt purgationem *oleum amygdalarum dulcium* ad ℥ij. aliquoties datum egregie benefacit, & tormina, vigiliarum cauſſas, demulcet; in malo graviori, ſi hæc parum ſunt, & *convulſiones metuuntur*, aquæ epilep. Langii pauxillum vel ſpiritus ſalis ammoniaci aniſatus, vel ſpir. C. C., vel liq. C. C. ſuccin. ſolus, aut cum pauxillo eſſ. caſtor. mixtus ad guttas V. vel VI. ſubinde eſt exhibendus. *Ad opiata* vero & theriacalia non facile accedendum, niſi neceſſitas tandem ea urgeat. *Nutrices* ſibi *caveant ab acidis & flatulentis*, itemque a frigore: e contrario purgantia & carminativa, ut eſſent. carmin. vel ſpiritus ſalis ammoniaci aniſatus & antiſpaſmodica potius iis ſæpe ſunt porrigenda.

VI.

De Singultu infantum.

Curatio ſingultus.

Hoc malum etiam ſæpe vehementer infantes affligit ac debilitat, atque *ex pituita acri* & potiſ-

ſimum *acida* circa ventriculi orificium ſuperius hærente, atque hoc una cum diaphragmate per conſenſum irritante, provenire videtur. *Ad hoc vero acre corrigendum* atque hac ratione ſingultum tollendum, *abſorbentia terrea* ſæpius data conducunt; & ſpeciatim ex *Joelis* commendatione, in quovis ſingultu pulv. ex corall. præp. & C.C. uſto, addito vel pulv. aniſi aut ol. aniſi vel caryophyllorum, aut macis gutt. j. vel ij., vel & in malo vehementiori, circa noctem pauxillo *theriacæ*, egregie prodeſt. Quod ſi vero malum ſit pertinacius, pituita illa acris rad. hypecoann. gr. j. aliove idoneo *emetico* eiicienda.

VII.

De Aphthis.

Aphthæ quid.

Aphthæ ſunt cruſta quædam albicans, os vel ex parte vel totum intus, labra ſcilicet, gingivas, genas, linguam, palatum & fauces obducens, immo per œſophagum & inteſtina omnia ad anum uſque ſæpe ſe extendens, ubi vero periculoſiſſimæ ſunt & infantes plerumque conſumunt. A multis cum *Celſo* pro *ulceribus* habentur, atque in adultis quoque haud raro obſervantur. *Earum natura & cauſſa* mihi nondum ſatis perſpectæ eſſe videntur; interea tamen a vitioſa humorum conſtitutione eas provenire veriſimile eſt. *Lactis nutricum vitio* hoc malum plerumque adſcribi ſolet; ſed vidi infantes, qui dum matres lactare non poterant, neque nutrices ipſis dabantur, ptiſanæ potu & cibis molliſſimis alebantur, & tamen aphthis correpti ac mortui ſunt. Linguæ motum, lactis e mammis ſuctionem & deglutitionem difficilem reddunt; hinc infantes mammas ſugere recuſant, & inquieti ſunt; forte ob dolores,

res, quos infantulis movent. *Calor p. n.* etiam ac *respiratio aucta* in eis ut plurimum quoque percipiuntur, qui de calore interno sive *febricula* testantur. *Si paucæ* sunt, sæpe adhuc tolluntur; sed *si copiosæ*, difficillime sanantur.

VIII.

Curatio.

Interea tamen in curatione fervoris humorum & acrimoniæ correctioni atque evacuationi erit studendum, quem in finem infanti dari potest sirup. de cichor. cum rhabarb. ℥ij. cum pulv. jalapæ gran. ij. vel iij. vel & mercur. dulc. gr. j. aut ij. Postea quotidie mane *animæ rhabarb.* exhibeatur cochleare unum parvulum, & postea *pulveres* & *mixturæ* vel & julepi *temperantes* pro febricula & calore p. n. interno moderando porrigendi.

Externe commendatur *raparum* in aqua decoctarum *succus* expressus, addito tantillo sacchari vel mellis, præsertim rosati, quo ope linteoli ac digiti aliquoties in die os intus abstergatur, quod & aqua salviæ & rosarum, addito melle, commode fieri potest; aut & melle rosarum solo, vel cum sirupo mororum mixto, cui parum spiritus vitrioli, ut efficacius reddatur, addendum, sæpius mundetur; vel *melle rosarum* mucilagine *seminis cydon.* soluto, ope penicilli vel linteoli os probe extergatur. *Oleum myrrhæ* per deliquium, addito pauxillo sacchari vel mellis, eodem modo usurpatum, quandoque benefacit.

Nutrici, præmisso purgante, *anima rhabarbari* largiter danda ac simul *absorbentia*, acido citri vel aceto saturata, itemque essentia alexipharmaca ratione febriculæ cum infuso theæ aut cum cerevisia tenui exhibenda.

IX.

Aphtharum curatio in adultis.

Adultis, qui aphthis laborant, interne quoque *anima rhabarbari*, essent. trifolii fibrini, tinctura antimonii aliaque diaphoretica & antiscorbutica sæpius danda. Externe, *pro gargarismate* & ore

colluendo ipsis conducit *decoctum veron*, vel alterius similis herbæ vulnerariæ cum vino, addito melle rosato, & pauxillo spiritu vitrioli ad lenem acorem; vel *serum lactis* cum lap. prunellæ & postea partes affectæ melle rosato cum spiritu vitrioli largiter imprægnato sæpius illinendæ. Sunt qui os sæpe his in malis *colluendum* vel abstergendum suadent *aceto* vel simplici vel *destillato*, ac melle rosato imprægnato, quod etiam quibusdam benefacit.

X.

De Intertrigine infantum.

Intertriginis curatio.

Est *excoriatio partium genitalibus vicinarum*, *inguinum* præcipue ac *scroti*, ut & in rimis sive plicis colli, sub axillis aliisve subinde locis, ab *acrimonia urinæ ac sudoris producta*, infantibus ingratum pruritum, immo dolores, clamores, vigilias atque inquietudinem concitante. *Ad hoc vitium tollendum*, partes ita affectæ abluantur aliquoties in die aqua tepida, & postea inspergantur pulveres exsiccantes, ut farinæ volatilis in sartagine ferrea parum tostæ & probe exsiccatæ; vel cretæ, C. C. usti, lap. alabastr. & cumprimis tutiæ, lapid. calaminaris & cerussæ, qui nodulo ex linteo paulo laxiori inclusi locis affectis sæpe inspergantur.

Si malum est gravius atque vera exulceratio adest, prædictis pulveribus addatur aliquid sacchari saturni, vel loco horum unguento de cerussa camphorato partes læsæ inungantur. Ita etiam si parum *vitrioli albi* in aqua simplici vel plantaginis solvatur, eaque intertrigo ulcerata aliquoties abluatur, egregie eam siccat & sanat.

XI.

XI.

De Naribus obstructis infantum.

Nares infantum sæpe a *muco crasso* ita obstruuntur, ut difficulter *respirare*, *sugere ac deglutire* naqueant; cum ad has actiones rite perficiendas nares apertæ & aeris liber per eas transitus requirantur: hinc infantes *inde valde fiunt inquieti & clamant*, quia hoc ipsis est perquam molestum; *ad quod* vero *vitium curandum*, præter idoneum *purgans*, revellendi caussa datum, solutio vitrioli albi gr. ij. vel iij. in aquæ majoranæ ℥ß. post filtrationem cum linteolo naribus per intervalla immittatur, vel loco hujus.

℞. aq. majoran. ℥i.
vitriol. albi
elater. ā gr. ij. M.

& eodem modo applicetur: quæ mixtura *liquor errhinus est VVedelii*, humores viscidos sine sternutatione egregie liquans & educens. Si simul externe oleum amygdal. dulc., oleo destillato majoranæ impregnatum, *radici & alis nasi illinitur*, resolvuntur inde sordes narium, & respiratio tandem libera rursus redditur.

XII.

De Achoribus, Favis, Crusta lactea.

Vitia hæc quid sint.

Intelliguntur his nominibus *exanthemata scabiosa capitis* in infantibus, & si ea sunt in facie, speciatim *crusta lactea* appellari solent, quæ impurum & acrem sanguinem pro caussa habere videntur, quem natura hic expellit, & qui, antequam

erumpit, sua irritatione haud raro epilepsiam inducit. *Subinde a vitio matris vel nutricis* oriuntur, vel ab horum prava diæta, vel etiam *a victus erroribus ipsorum infantum*, præsertim jam paullo adultiorum, quando pluribus alimentis, & sæpe mali succi, obruuntur, quam commode concoquere & subigere possunt. Si hæc mala vel sponte vel ineptis remediis, præsertim externis repellentibus, tractata recedunt, aut nigricantem induunt colorem, res est periculosissima: quia infantes gravibus malis ac præcipue asthmate vel epilepsia corripiuntur & inde ut plurimum moriuntur.

XIII.

Curatio. In *curatione* igitur hic naturæ ductum sequi debemus: adeoque præ omnibus vitandum, ne medicamenta externa, præsertim repellentia, adhibeantur; sed *potius internis agendum*, quæ sanguinem corrigunt ac temperant, noxiumque per diaphoresin sensim expellunt. Hinc, *expurgatis prius primis viis*, pro hoc scopo exhibenda & nutrici & infanti essentia alexipharmaca, vel ess. fumar. lignorum & tinctura antimonii, bis mane, & a meridie pulveres aliquoties ex lapidibus cancrorum vel conchis præparatis cum antimonio diaphoretico, succino & cinnabari; quibus, si suspicio impuritatis venereæ subest, mercurii dulcis exigua portio addenda, interpositis subinde lenibus purgantibus, præsertim si alvus non respondet. *Quando hæc mala retrocedere* videntur, vel re ipsa jam retrocesserunt, aut nigrescunt, quod pestiferum esse modo diximus, liquore C. C. succinato ex vehiculo calido sæpe assumpto, dataque essentia alexipharmaca nutrici, efficiendum, ut rursus expellantur; ubi simul *frigus evitandum*, & infantes calore probe fovendi, donec rursus prodeant.

XIV.

Externa. *Externe omnia omittere* ac negligere præstat, quam incongrua, & præsertim unguenta *e sulphu-*

re

re vel *mercurio* parata, aut lotiones repellentes ac frigidas adhibere: quia his ad viscera interna repelluntur & vel mors vel alii morbi graves his ipsis concitantur. Si tamen tandem, mundantibus internis diu usurpatis, externe aliquid desideratur, *oleum ovorum recens*, vel *butyrum recens* non salitum, vel *medulla ossium* vitulinorum, vel *cremor lactis* ad emolliendas crustas & ulcera sananda adhiberi optime possunt. *Malum sæpe est pertinax*, atque patientia tunc & parentum & Medicorum indiget; *nutrici* vero tunc subinde purgantia quoque, quotidie autem per satis longum tempus alexipharmaca & sanguinem purificantia danda sunt, victusque bonum regimen servare debent.

X V.

De Tussi & Respiratione difficili cum catarrho.

Caussa harum.

Ex *frigore* vel *prava aeris constitutione* infantes sæpe his malis afficiuntur, quibus serum faucium, bronchiorum, & asperæ arteriæ vel acrius vel spissius redditur, atque hæc ipsa symptomata concitantur; quibus plerumque etiam *coryza*, immo & *febricula* juncta sunt. Quia igitur a frigore & transpiratione læsa plerumque oriuntur, in curatione studendum ut abundans materia noxia per alvum primo educatur, postea transpiratio diaphoreticis restituatur, & lympha vel acris vel spissa corrigatur.

X V I.

Curatio.

Igitur primo *idoneum purgans* & infanti & nutrici, præsertim si & hæc tussi laboret, detur; deinde *infusum specierum pectoralium* cum saccharo canto, ut thea, utrique aliquoties in die exhibeatur; præterea Elixir. pectorale Wedelii, vel spiritus salis ammoniaci anisatus, vel utraque mixta,

ta, vel & essentia alexipharmaca apta copia cum hoc infuso assumantur. His interponatur subinde *pulvis pectoralis* ex sperm. ceti recenti [quod hic prestantissimum] pulv. bez. aut Marchionis cum flor. sulphuris, vel etiam lapid. tantum cancrorum, rad. irid. florent. & sacchaṙo canto paratus, qui vel cum thea vel aqua aut julepo pectorali dandus. Aut loco hujus pulveris *linctus* quoque *pectoralis* ex sperm. ceti, oleo amygdalarum dulcium recente, liq. C. C. succinato & sirupo pectorali confectus sæpius exhibeatur. In *graviori* pectoris *catarrho*, *asthmate* & *ronco pulmonis* spiritus salis ammoniaci, vel liquor C. C. succinatus solus, repetitis sæpe vicibus, ad guttas V. VII. vel plures datus, haud raro huic malo tollendo sufficit; qui & *nutrici* tunc optimo cum successu exhibetur. Immo *in nimia pituitæ copia* in pulmonibus, & inde nato *suffocationis metu*, etiam lene *emeticum*, ex tartari emetici, vel sulphuris antimonii quarta parte gr. valentissimum est, & pro deploratis fere habitos ex orci quasi faucibus jam sæpius eripuit; cui *clysteres* quoque deinceps apte subiungi possunt. *Pulvis* denique *seminis anisi* & iridis florent. cum saccharo canto ac pauxillo sperm. ceti recentis, cui & olei anisi guttæ aliquot commode admiscentur, sæpe exhibitus, hic etiam valde prodest.

XVII.

De Diarrhœa infantum.

Caussa & curatio. Hac in diarrhœa, æque ac in adultorum, natura aliquid supervacanei, vel acris & noxii, quod intestina nimium irritat, expellere satagit. Oritur hoc vitium sæpe a *nimia aut frequentiori lactis serosioris* & acrioris suctione; vel *ob læsam a frigore transpirationem*, atque ad primas vias translationem.

Ergo

Ergo hic alvi fluxus minime mox adstringentibus aut opiatis cohibendus, sed potius vitiatorum humorum excretio evacuantibus primo juvanda ac promovenda, deinde roborantia & modice adstringentia his subjungenda. Utrique scopo, ut in diarrhoea & dysenteria adultorum Cap. XIII. §. X. & XIV. *rhabarbarum* vel in pulvere, vel in essentia, apta dosi datum, omnium optime convenit, & cumprimis essentia sive *anima rhabarbari*, per aliquot dies mane & circa vesperam danda, donec alvi fluxus remittat. His interponi apte possunt pro acrimonia, quae hic ut plurimum a lacte corrupto acida est, corrigenda, *absorbentia terrea*, & praesertim subadstringentia, ut corallia, C. C. ustum, cryst all. mont. praep. &c. quae simul tunc diaphoreticam virtutem exerunt, quae & *nutrici exhibere* consultum est. In malo graviori, ubi haec parum sunt, vel pulveribus illis aliquot grana pulveris *corticis cascarillae* addi, vel decoctum hujus aut etiam *corticis peruviani* forte, vel extracti horum part. j. in aquae plantaginis, menthae aut cinamomi cydoniatae part. IV. soluti, ad guttas L. LX. vel cochlearis unius parvuli singulo trihorio vel quadrihorio danda. *Externe balsama stomachica* ex oleo nucis moschatae expresso, oleis destillatis carminativis & stomachicis impraegnato, ventriculo totique abdomini calide saepius inungenda. *Nutrix* a frigore ac nimio potu abstineat, atque modica ac temperante utatur diaeta.

XVIII.

De Urina suppressa, ejusque difficultate.

Caussae & effectus.

Urinae difficilis excretio aut ejus omnimoda *suppressio* in infantibus [a] ab humoribus viscidis, lactis

(a) De adultorum jam supra p. 251. egimus.

ctis vel aliarum rerum vitio ortis, & renes obstruentibus, vel a vesicæ tono relaxato, vel sphincteris ejus spasmodica constrictione oriri videntur: unde dolores, convulsiones & alia mala sæpe proveniunt. Quare humores illi spissi ac viscidi incidendi & fluxiles reddendi, tonus vesicæ laxatus roborandus, atque ad constrictionem excitandus ac stimulandus, & spasmodica cervicis vesicæ constrictio antispasmodicis & emollientibus, relaxanda.

X I X.

Curatio.

Præstare hoc possumus primo *salibus mediis*, ut tartaro vitriolato, arcano duplicato, &c. vel per se ad ℈j. datis, vel cum *semine lycopodii* æquali copia, tanquam diuretico & antispasmodico in pueris præstantissimo, quæ ex *aqua petroselini*, *cheræfolii*, vel *alkekengi* data, & si opus, post temporis intervallum repetita, optime prosunt: atque his subinde haustulus solius aquæ petroselini aut cæterarum laudatarum aquarum interponendus, quibus haud raro solis sæpius usurpatis urinæ fluxus restituitur. *Emulsio ex amygdalis amaris* vel *nucleis persic.* cum aqua petroselini aliave simili facta, est quoque hic valde egregia. *Pubis regio* infantibus his frequenter *calide fricetur* oleo scorpionum, oleo juniperi, succini & anisi roborato, eique postea *cataplasma ex cepis assatis* superimponatur calide; vel ex cepis, allio, herba chærefolii & petroselini; quibus etiam oleis renum regio, quando forte caussa in his latet, calide fricanda; atque hæc etiam remedia *in calculis parvis expellendis*, valde proficua sunt. Si denique hæc omnia parum sunt, & symptomata urgent, *cathetere* apto urina e vesica est emolienda; id quod longe facilius fit in puellis quam pueris. Plura de *urina adultorum suppressa* vid. supra, Cap. XII. §. XIV. p. 257.

XX.

De Atrophia sive Tabe itemque Rhachitide infantum.

Caussa & sedes.

Hi morbi ut plurimum apud infantes *ex chylo & sero viscido*, in mesenterio congesto, glandulas mesenterii obstruente, atque ne chylus ad sanguinem rite pervenire queat, impediente, oriuntur: hinc venter partim a *tumore glandularum mesenterii obstructarum*, partim a *laxitate intestinorum*, a multa pituita inducta, plerumque vehementer intumescit, reliquae autem *partes tabe quasi consumuntur*. Quoniam vero de his morbis supra pag. 188. & seq. jam actum est, plura hic de iis non proponemus.

XXI.

De Dentitione difficili.

Dentitionis symptomata.

Mense sexto, *septimo* & sequentibus *dentes* ut plurimum infantibus ex alveolis suis per gingivas prodire incipiunt; ubi autem saepe ob *dentitionem difficilem*, praesertim quando dentes canini erumpere debent, oriuntur *gingivarum tumor* & *inflammatio*, unde *dolores*, *clamores*, *vigiliae*, *febres*, *convulsio*, *epilepsia* & saepe mors consequuntur. Quando igitur ejusmodi symptomata in illis incidunt, arduum profecto saepe est divinare aut conjectura assequi, unde aut qua ex caussa haec mala oriantur, cum & ex aliis saepe proveniant, & qua ratione curatio recte instituenda: eoque factum mihi esse videtur, ut veteres jam conquesti sunt atque exclamaverint, *difficile esse in-*

fan-

ſantibus mederi, quia quid, aut ubi, aut unde patiantur, nobis dicere vel revelare non poſſunt. Hinc quam ſagaciſſime, quantum fieri poteſt, ponderanda ac perpendenda ſunt omnia phænomena, donec ex iis vel certe, vel veriſimiliter minimum, utrum mala illa a dentitione difficili, an a lacte corrupto, an alia ex cauſſa ortum trahant, perſpiciamus.

XXII.

Signa. Indicatur vero ea mala *a dentibus exitum molientibus provenire*, ſi infantes multum clamantes [quo quippe clamore dolores ſuos nobis ſignificare ſolent] *digitos ſæpe in os intrudunt*, *papillas nutricum* vel digitos alterius perſonæ intra eorum maxillas inſertos, fortiter mordent, ſi ſaliva ſolito largius ex ore effluit, in gingivis maxillarum, ubi dentes primi erumpere ſolent, tubercula inæqualia & digitis & oculis, itemque calor p. n. & in ore & in toto corpore, ac ſpeciatim in pulſu percipiantur. Accedit quod ſimul ſæpe ſubito ſine cauſſa externa expaveſcant, & præſertim in ſomno, atque ut plurimum *alvi* ſimul *fluxu laborent*; quod ultimum tamen longe melius eſt quam ſi alvus, ut haud raro fit, ſit conſtipata.

XXIII.

Curatio. Quando igitur ex his aliiſve indiciis mala illa a dentibus concitari judicamus, ea non melius curantur, quam iis, *quæ dentium eruptionem promovent*, hoc eſt, quæ gingivas duras, craſſas ac tumidas emolliunt & atterunt, inflammationem earum reſolvunt, caloremque p. n. blande temperant: ut ſunt *interne pulveres* & *mixturæ aquoſæ*, *temperantes*; *externe* vero oleum amygdalarum dulcium cum ſirupo violarum, aut papaveris rhœad. vel ſirupus florum papaveris, vitrioli ſpiritu leniter impraegnatus, ſi ſæpe gingivæ iis fricentur. Interponantur his ea *quæ gingivas atterunt*, ut ſunt *corpora dura*, glabra, ſicut *dens lupi*, *cryſtallus* vel *agathus politus*, vel fruſtum *ma-*

tris

tris perlarum læve, aliave similia, quæ infantibus sæpe in manus dentur, ut ea in os inserant, vel ad mandendum ea in os ipsis immittantur. Ita & *frustum cutis recentis lardi* sic usurpatum utrique scopo sæpius egregie satisfacit. Specifice multi hic commendant ac laudant *cerebrum leporis* cocti, aut *sanguinem cristæ galli* recentis pro gingivis his ipsis illinendis.

XXIV.

De Epilepsia infantum.

Epilepsia curatio.

Epilepsia infantum recens natorum ut plurimum vel *a meconio* non satis expurgato, vel post hæc a *lacte corrupto* & acido, ut jam supra §. I. & III. diximus, vel a *dentitione difficili*, vel ab imminentibus *variolis*, vel *a vermibus* oritur. Si *a meconio*, curanda ut §. I., si *a lacte corrupto*, ut §. II. & III. docuimus; sin vero *a dentitione difficili*, facienda primo ea sunt quæ §. XXIII. modo proposuimus, sed præterea *epilepsiam & convulsiones inde sæpe oriundas* egregie & avertit & minuit, immo sæpe tollit, præmissis & interpositis prædictis, spiritus C. C. vel liquor C. C. succinatus, tanquam egregia *nervina* & *antispasmodica*, ad aliquot guttas aliquoties in die exhibiti, qui & vertici, cervici, temporibus atque naribus cum fructu sæpe adhibendi; itemque *pulveres absorbentes*, supra §. II. & IV. laudati, ac speciatim pulvis ex lumbricis terrestr., pulvis item Marchionis, & specificum cephalicum Mich., non omissis, præsertim *si alvus obstructa*, lenibus purgantibus & clysmatibus sæpius jam indicatis, eisque alvus semper aperta, quod hic utilissimum est, servetur. Quando vero his symptomata non cedunt, *scal-* *tumor gingivæ*, ubi dens erumpendus latet, *scal-*

pel-

pello, ad dentem usque subtus latentem transversim incidendus, id quod sine periculo fit & saepe omnia tollit symptomata; quo etiam in casu, quia inflammatio in gingivis adesse solet, *venæ sectionem, ut efficacissimum & quasi infallibile* remedium hic laudat celebris *Sydenhamius*; id quod tamen non semper esse experientia edoctus sum. Quando *epilepsia a vermibus* ortum habet, vermes destruendi, sicut cap. XVI. §. 33. & seq. itemque infra in hoc capite §. 29. proposuimus; ea vero, *quæ imminentibus variolis* incidit, non adeo est pertimescenda; quia eis erumpentibus sponte cessat. Adeoque nihil aliud requirit, quam ipsæ variolæ, blande scilicet temperantia & eruptionem promoventia, sicut hac de re uberius supra Cap. IV. & speciatim pag. 67. & 68. proposuimus.

XXV.

Mala a nimia repletione.

Quod si vero illa mala §. XXII. *clamores* nimirum, *vigiliæ*, *febres*, &c. non a dentitione oriuntur, plerumque a *lacte corrupto* vel & a nimia eorum *repletione*, præsertim cibis incongruis facta, provenire solent. Si *a lacte corrupto*, curatio ut §. II. & III. dictum, est instituenda; sin autem *a nimia repletione* ventriculi & cruditatibus inde ortis, eæ *purgantibus*, *ac clysmatibus* vel etiam, pro malorum diversitate, blandis *emeticis* evacuandæ & postea pulvere seminis anisi, anima rhabarbari aliisve stomachicis & carminativis remediis internis & externis ventriculus roborandus.

XXVI.

De Ophthalmia infantum.

Curatio interna.

Ophthalmia sæpius quoque infantes affligit, eosque haud raro, vel *suppuratione* inducta, vel *cornea alba* & *opaca* facta, cœcos reddit, nisi summa

ma cura tunc tractetur, atque in infantibus varias ob caussas nunquam periculo vacat. Oritur *sæpe a vitio lactis nutricis*, nimium forte acris, vel & hac ipsa scorbutica aut & quandoque venerea labe affecta. Adeoque in *curatione* tam *nutrici*, quam infanti danda sunt medicamenta idonea, tam *purgantia*, quam *alterantia*, catarrhis, scorbuto aut morbo venereo propria, & quidem purgantia hic cum mercurio dulci semper maritentur. Ex *alterantibus* vero conveniunt ess. alexipharm., essentiæ & decocta lignorum, infusum herbæ euphrasiæ cum rasura ligni sassafras, ad modum theæ sæpius haustum, pulveres diaphoretici ex lap. cancror., succino præparato, antimonio diaphoretico, radice valerianæ, semine anisi, fœniculi &c. compositi, quibus subinde, præsertim ubi scorbuti vel luis venereæ suspicio est, aliquid mercurii dulcis recte additur.

XXVII.

Curatio externa.

Externe oculi defendendi, ne ab acri lympha erodantur, & stases sanguinis hic factæ resolvendæ: id quod commode fieri potest *collyriis ex aquis ophthalmicis*, & cumprimis euphrasiæ, flor. cyani, valerianæ, fœniculi, chelidon. majoris, calcatripæ, &c. Si unciæ uni vitrioli albi, vel sacchari saturni gr. ij. & camphoræ sem. melon. tritæ gr. j. vel spir. vini camphorati ʒj. addantur, eisque sæpe oculi tepide eluantur atque abstergantur. Quidam his aquis *amyli albi*, *tutiæ* vel *lapidis calaminaris* præparati aliquot grana addunt, vel & *aliquid aloes*, iisque eadem ratione utuntur. In quibusdam casibus parum pulveris mercurii dulcis addo. Præterea *amuleta* ex radic. imperatoriæ aut valerianæ cum camphora sæpe etiam hic multum prosunt, & in malo pertinaciori *vesicatoria* cervici aut brachiis, immo & in paullo adultioribus, ipsi vertici feliciter adhibentur; vel & si omnia hæc parum sunt, *fonticulus* in brachio excitatur.

Si

Si *adhuc ubera ſugunt*, attamen ad annum accedunt, vel eum jam ſuperarunt, ſæpe eos fere ſponte a pertinacibus oculorum inflammationibus curatos vidi, poſtquam ſolum a nutrice, licet ſaniſſima viſa ſit atque etiam revera fuerit, remoti fuerunt. *Diæta* quoque hic magni eſt momenti, adeoque tam a nutrici, quam pueris probe obſervanda.

XXVIII.

De Maculis oculorum, Nebula, Albugine.

Curatio. Hæc vitia, de quibus jam Cap. XIV. egi, etiam ſæpe in infantibus ex ophthalmia in tunica oculi cornea oriuntur, & vel eam comitantur, vel etiam ſedata inflammatione adhuc reſtant, atque viſum vel ex parte vel ex integro tollunt. Ita etiam ſæpiſſime in *variolis*, vel etiam poſt has, bene licet ſuperatas, incidunt. *Si inflammatio adhuc adeſt*, iiſdem remediis internis potiſſimum & externis §. 36. & 37. eſt continuandum, *purgantiaque* idonea ſæpius interponenda, ubi etiam externe trochiſcos alb. Rhaſ. ℨß. in aquæ cujuſdam ophthalm. ℥iij. ſolutos, egregios deprehendi, itemque aquam ophthalm. Quercet. ex croci metall. aliquot granis in aquæ ophthal. ℥j. infuſis, paratam, oculiſque ſæpius inſtillando & abſtergendo adhibitam. *Si maculæ illæ albæ ſine inflammatione reſtant*, præter aquas has quotidie *pinguedo viperarum* bis vel ter oculis ad gutt. j. vel ij. inſtillanda, vel *pinguedo aſciæ piſcis*, aut *ſperma ceti liquidum*; quibus ipſis ſæpe, ſi non nimis denſæ ſunt, tolluntur. *Quando a variolis ortæ*, & adhuc recentes ſunt, frequens purgatio cum mercurio dulci inſtituenda, atque deinceps interna & externa modo laudata quam ſolertiſſime adhibenda; ſi vero hæ *maculæ jam in-*

vete-

veteratæ, vix aut raro tolluntur, & acrioribus potius oculus omnino destruitur, quam emendatur. Sciendum enim, *quod mala hæc sæpe admodum sint pertinacia*, quæ moram & patientiam parentum & ægrorum requirunt, qui monendi, ne mox, si malum brevi haud cedat, ad agyrtas confugiant, qui vitia hæc sæpe acribus valde medicamentis aggrediuntur, atque vi quasi ea eradicare volunt: verum eis oculos sepæ omnino corrumpunt. *Ita nec Medicus mox ad acriora* eamdem ob caussam accedat, sed blandis patienter continuet, vel & quandoque per aliquod tempus a medicamentis externis prorsum abstineat; neque desperet prorsus de mali curatione, quando oculi fabrica nondum destructa est: nam tempore haud raro sponte hæ maculæ in pueris dissipantur, & præstat tranquilla potestas, quod violenta nequit; *natura enim hic non vult cogi*, sed blande duci.

XXIX.

De Vermibus sive Lumbricis.

Vermes quotuplices & effectus.

Quando infantes magis adolescunt & alimentis crassioribus nimisque copiosis, pane scilicet, farinosis, carnibus, caseo, saccharatis, crudis & difficulter digerendis vescuntur, præsertim si debilioris, frigidioris & pituitosi sint temperamenti, altero, tertio & sequentibus annis VERMES sive LUMBRICI sæpe in ipsorum ventriculo & intestinis generantur, iique ut plurimum, teretes, *lumbrici* ob similitudinem dicti, (rarius *lati*, vel *ascarides*) qui plerumque multæ pituitæ involuti, in ventriculo aut intestinis, cum multis gravibus symptomatibus haud raro hærent. Rarius vero in infantibus robustis & vegetis observantur, sed plerumque ut jam dixi, in debilioribus, frigidiori-

ri-

ribus, teneris, pituitosis. *Efficiunt vero vermes* irritatione sua, rosione ac morsu *dolores ventris*, *nauseam*, *vomitus*, *diarrhœas*, *animi deliquia*, *pallorem*, *pulsum debilem*, *inæqualem*, *intermittentem*, *pruritum narium*, *tormina & clamores*, *borborygmos*, *febres*, *tabem*, *insultus epilepticos*, &c. sicuti jam supra Cap. XVI. §. 23. & seq. ubi de vermibus adultorum actum est, indicavimus. At consumptione chyli producunt in infantibus sæpe *voracitatem*, *debilitatem*, *maciem*, *alvum adstrictam*, immo quandoque *ipsa intestina perforant*, & abdominis cavum ingrediuntur, sicut aliquoties in cadaveribus eorum incisis observavi: quo ipso tumores ventris, atroces cruciatus, epilepsiam aliaque sævissima mala & plerumque morte ipsam inducunt.

XXX.

Diagnosis eorum.

Cognoscuntur ex ætate, temperie frigida, pallido ut plurimum faciei colore (quamvis hic sæpe fallat) palpebris lividis, concavis, pruritu narium frequenti, voracitate, terroribus in somno, cæterisque §. 29. enarratis symptomatibus, & cumprimis quoque *singulari spiritus sive oris fœtore* aliisque supra Cap. XVI. §. 34. adductis signis; quam maxime tamen etiam quando semel iterumque vermes vel per os vel per anum ab ipsis exiisse observati sunt. Quoniam igitur tam gravia mala, immo ipsam mortem infantibus & pueris sæpe inducunt, non negligendi, sed mature efficacibus remediis sunt curandi.

XXXI.

Curatio.

In *curatione* igitur pituita, tanquam nidus eorum, eique simul ipsi sunt destruendi, enecandi atque expellendi: id quod in adultis optime fieri Cap. XVI. §. 36. & sequ. docuimus, variis *amaris*, *martialibus*, *mercurialibus*, ac *purgantibus*, ex quibus vero Medicus ea hic seligere studeat, quæ infantibus ac pueris commodissime ingeri possunt: ut sunt *decoctum mercurii* in aqua vel lacte, aliquoties in die ipsis

ad

ad uncias aliquot datum; porro *infusum seminis cinæ* vel *florum tanaceti* in vino malvatico aut canarienſi, ad cochlearia duo vel tria pro doſi aliquoties in die; præterea *ſemen cinæ* cum melle ſubactum; vel *mercurii dulcis* gr. j. cum ſaccharo aut pulvere quodam grato aut inſipido exhibitum; quibus ſimul *externa* Cap. XVI. §. 39. nominata addi, atque *purgantia* §. 38. recenſita ſubinde interponi; immo & *clyſteres ex lacte*, præſertim quando purgantia ſumpſerunt, ad eos deorſum invitandos, iniici debent, ſervata ſemper diæta modica.

XXXII.

De Variolis & Morbilis.

Capite quarto, pag. 65. & ſeq. ſatis actum eſt, adeoque lectorem ad illud remittimus. Hic ſolum adhuc monere volui, quod in infantibus *variolæ ſæpius cum epilepſia incipiant*, quæ vero hic nihil mali denotat aut infert, ſed eis vel ſponte vel ope diaphoreticorum erumpentibus, ceſſat.

DE HERNIIS infantum, ac ſpeciatim *umbilici, inguinum* & *ſcroti*, infantibus & pueris valde frequentibus, de *hydrocephalo, calculo veſicæ, ani procidentia, ranula linguæ* aliiſve infantum morbis, manuum auxilium deſiderantibus, vid. Inſtitutiones noſtræ chirurgicæ.

MONITA

Quædam practica circa morbos infantum.

1. *Difficile eſt mederi infantibus*: primo quia, quid patiantur, quidve doleat, & ubi, dicere ne-

queunt; deinde quia medicamenta vix aut ægre assumunt.

2. In morbis infantum quibuscumque primorum dierum præcipue explorandum, *an meconium satis sit expurgatum*; quod si non sit, hoc quam primum adhuc est expurgandum.

3. Subsequenti tempore in eorum morbis *ad lac corruptum* & acescens, postea *ad dentitionis tempus*, & denique in paullo adultioribus *ad variolas & vermes* est attendendum.

4. In infantum morbis semper, *an alvus sit aperta*, inquirendum, & ut sit, probe curandum.

5. *Ad nutricem semper* simul respiciendum, eique & diæta & remedia morbo præsenti congrua sunt ordinanda.

6. In *febribus acutis*, temperantia, ut in variolis, ipsi danda, atque aliquid camphoræ appendendum. Nutrices quoque temperantibus & in victu vegetabilibus utantur; a carnibus vero abstineant.

7. In *intermittentibus*, primæ viæ purgandæ, postea ess. rhab. sæpe detur: & si hæc intra aliquot dies non fugatur, decoctum forte cort. chinæ frequenter exhibeatur.

CAPUT XIX.

De Venenis.

I.

Veneni definitio difficilis.

VEnenorum cognitionem eorumque curandi rationem, quia tam multi eis pereunt, Medico summe necessarias esse existimo, etiamsi hæc doctrina in plerisque libris practicis prætermissa & neglecta sit. Sed *quid venena sint*, aut quid per ea proprie intelligatur, quamvis plerisque, & cumpri-

primis præcipitanter judicantibus, facile videatur; tamen prudentibus ob magnam eorum diversitatem, & cumprimis quia multa, immo pleraque eorum certa ratione atque prudenter adhibita, præstantissima etiam sunt, aut fieri possunt medicamenta, multa e contrario nobilissima medicamenta, sinistre aut imprudenter adhibita, fieri possunt ac solent venena; definitionem perfectam dare, quæ omnibus conveniat, jam dudum atque adhuc hodie multis eruditis difficillimum visum est, adeoque donec quis forte perfecta exhibeat, sequens descriptio pro aliqua eorumdem idea formanda sufficere poterit.

II.

Quid venena.

Intelligo autem per venena, corpora naturalia, quæ parva mole intra corpus nostrum assumpta, vel alia ratione, ut per morsus aut vulnera, aut sub fumi aut vaporis specie ipsi applicata sive ingesta, nunc brevi, nunc tardius, gravia eaque sæpe horribilia symptomata, principes corporis nostri actiones lædentia, invertentia, & mortem ipsa frequenter inducunt. Græcis *toxica*, immo & *pharmaca*, sed addito plerumque adjectivo *deleteria*, vocantur: quia pharmaca etiam medicamenta significant.

III.

Divisio eorum.

Dividuntur hinc 1. in *celeria* & *tarda*; 2. in *rodentia*, *corrodentia*, sive *caustica*; 3. in *acida* & *alcalica*; 4. in *obstruentia*, vel ob vim vasa minora vehementius *adstringentem*, vel ob qualitatem humores nostros sanos *nimis inspissantem*, ut per subtiliores ductus arterias & nervos fluere nequeant; 5. in *narcotica* sive *stupefacientia* ac *soporifera*; 6. in *mineralia*, *vegetabilia* & *animalia*; 7. quædam etiam horum venenorum dici possunt *naturalia*, ut plerumque sunt venena vegetabilium & animalium, atque nonnulla etiam ex mineralibus; quædam vero *artificialia*, quæ vel per ignem sive artem chemicam, ut pleraque mineralia, vel

mechanica quadam ratione conficiuntur, ut *adamas*, *cryſtallus*, aut *vitrum* rudi modo contuſa & ingeſta, quæ ob ſpicula ſua acuta, pungentia ac ſcindentia ventriculum & inteſtina lædunt, vulnerant, ac deſtruunt; vel *apex cultelli*, culter ipſe, *aciculæ*, aliæve ſimiles res mechanice præparatæ atque vel imprudenter vel caſu deglutitæ. Quædam vero eaque ſumme pernicioſa venena *putrefactione* etiam generantur. Quæ venena *ex regno minerali*, natura vel arte producuntur, *acidæ ut plurimum ſunt indolis*, ut ſpiritus ſulphuris, vitrioli, aqua fortis, &c. magna copia ſumpti, mercurius ſublimatus, præcipitatus, butyrum antimonii, & alia §. VIII. quæ vero *venena regno vegetabili vel animali* ortum debent, ut plurimum *alcalicæ ſunt naturæ*; ita ut nullum nunc vegetabile acidum mihi ſuccurrat, quod venenatæ ſit indolis, ſed *omnia vegetabilia venenata alcalica ſunt*, eaque vel *rodentis* ſive *causticæ indolis*, ut aconitum, helleborus, euphorbium, tithymalus aliaque plura §. VIII. recenſenda; vel ob vim *inſpiſſantem*, ſive *obſtruentem* vel *narcoticam* noxia deprehenduntur; adeoque vegetabilia acidi ſaporis tuto tam in eſca, quam in medicamentis adhiberi ſolent.

8. Ventres etiam a qualitate vel nimis *calefaciente* aut *frigefaciente* venena in *calefacientia* & *frigefacientia* diviſerunt; quæ diviſio, licet a quibuſdam ut inutilis prorſus rejiciatur, certo tamen modo & certis in malis retineri poteſt, dum quædam refrigerantibus, alia calefacientibus remediis curanda. Priſci quamplurimis venenis *qualitates occultas* adſcripſerunt; quarum vero naturam maxima ex parte hodie ſatis manifeſte demonſtrare poſſumus ut ex ſequentibus uberius patebit. Quoniam vero omnia illa venena gravia mala & quam ſæpiſſime ipſam mortem concitant, de præcipuis una cum eorumdem medendi ratione hic nunc acturus ſum.

IV.

Antequam vero ulterius hoc in argumento progrediar, diversa hæc venena §. III. *adhuc paullo intimius hic* perscrutanda atque *exponenda esse existimo*, ut natura eorum & quomodo agant, melius perspecta, in curatione eorum, ad ductum sanæ rationis, tanto curatius, ac certius progredi queamus; cum veteres variique adhuc recentiores in eis curandis empirico fere tantum modo, & sæpius sine omni ratione egerint, & quidquid antecessores contra hoc vel illud venenum laudaverunt, id & ipsi ad eorum ductum commendaverint.

Natura eorum exponenda.

V.

RODENTIA igitur venena sunt corpora acria, fluida vel solida, gradu quidem acrimoniæ diversa, sed ita tamen acria, ut in ventriculum & intestina, vel sub cibi, potus aut medicamenti nomine delata, vel etiam casu aut per errorem ingesta, particularum suarum figura acuta, rigida, ancipite, pungente & scindente, hæc viscera irritent, pungant, vellicent, secent, inflamment, erodant, exulcerent, ac tandem *gangræna* & *sphacelo* inductis corrumpant ac destruant. Hinc quia in partibus internis fere ut *medicamenta caustica externa* in cute agunt, hæc venena *interna rodentia*, *corrodentia*, *caustica* & *adurentia* dicuntur. Itaque *effectus illorum in corpore* humano sunt, ut primo irritatis, & arrosis ab eis fibris faucium, œsophagi, ventriculi atque intestinorum nerveis, oriantur in hisce partibus ardor, inflammatio, dolores acutissimi, nauseæ, spasmi, vomitus, singultus, convulsiones, tremores, fluxus alvi serosi, subinde cruenti, quandoque & purulenti, ac fœtidissimi, pro illorum venenorum varietate. Deinde autem, *quando partes eorum in sanguinem penetrarunt*, non solum acrimonia sua, irritando vasa sanguifera, varias in œconomia corporis & præsertim cordis, arteriis, pulsu, respiratione, ac sensibus turbas &

Rodentia quomodo agant.

febres concitant, verum etiam sanguinem & serum pervertendo, coagulando ac destruendo, gravissimis symptomatibus, doloribus, anxietatibus interitum tandem corpori inferunt.

V I.

Sunt vel acida vel alcalica.

ACIDA *vel* ALCALICA hæc §. V., *rodentia sunt venena*, utraque acerrima, atque eadem fere ratione & solidas & fluidas corporis nostri partes, afficiunt: tamen, quia contrariam fere curandi rationem exigunt, probe a se invicem sunt distinguenda: dum *acida alcalicis*, *alcalica vero* venena *acidis* potissimum remediis destruuntur.

V I I.

Natura acidorum.

VENENA igitur ACIDA pleraque, si non omnia, sunt *artificialia*, ut *spiritus omnes acidi*, ex mineralibus parati, justo majori copia assumpti, ut spiritus sulphuris, & qui hujus soboles sunt spiritus vitrioli, & aluminis, item spiritus nitri ac salis, & quæ rursus ex his fiunt, aqua fortis, aqua regia, oleum vitrioli, butyrum antimonii. Præterea *sales metallici*, ut mercurius sublimatus, mercurius præcipitatus, albus, ruber, viridis, turbith minerale, arcanum corallinum, vitriolum, præsertim veneris, argenti, qui lapis infernalis vocatur, aliaque ex his producta acriora, quæ partes quas attingunt, sua acrimonia lædunt, irritant, erodunt, discindunt, destruunt & speciatim *sales metallici horrendas nauseas*, *vomitus*, *anxietates*, *tremores*, *convulsiones* pessimaque alia mala inducunt.

V I I I.

Alcalicorum.

ALCALICA *vero venena* sunt partim *naturalia*, partim *artificialia*. *Naturalia* in vegetabili potissimum regno deprehenduntur, ut *aconitum* sive *napellus*, *helleborus* uterque, *cicuta* (*a*) & *œnanthe* *suc-*

(*a*) De *cicuta* effectib. vid. *VVepffer* de cicuta aquatica.

succo viroso, croceo [*a*), *laureolæ sive mezerei* *accæ*, *grana coccignidii* etiam dictæ, scammonium, tithymali, euphorbiæ, apocyna, colocynthis, helleboroides Boerh. cristophoriana, ranunculi & clematitides urentes, nicotiana, fungi quidam acres venanati, corona imperialis bulbi hyacinthi, colchici, &c. Quo & certo modo *arum*, *arisarum* atque *omnia fortiora purgantia* & *emetica* referri possunt, si nimia copia ingeruntur: quia in omnibus his sapor acris, *sal acre alcalinum* indicans, linguam, fauces, œsophagum, immo & ventriculum & intestina acrimonia sua arrodens & inflammans percipitur. Deinde adhuc varia *venena* sunt *alcalica sponte* vel *arte producta*, ut primo *quæ putrefactione oriuntur*, ex oleis putrefactis olivarum, amygdalar. multisque aliis, itemque ex putrefacto butyro, lardo, pinguedine aliisque animalium partibus ac humoribus putredine corruptis, quæ assumpta acerbissima sæpe mala concitare solent.

Deinde *quædam venena alcalica ignis vi producuntur*, ex sale alcali, (ut cineres sunt clavellati) & calce viva, quæ *lapides caustici* appellari solent, externe in chirurgia sæpe utiles. Præterea ad venena alcalica etiam pertinent *nonnulla animalia*, & præsertim insecta, ac nominatim *cantharides*, quæ interne sæpe gravia mala inducunt, ac denique *morsus animalium*, *venenatorum* vulgo dictorum, ut scorpii, apum, vesparum, aranearum, serpentum, speciatim viperarum & canis rabiosi.

IX.

Mechanicorum.

Tandem ad venena *rodentia* & scindentia, *mechanica illa* §. III. *adamas* scilicet, *crystallus* & *vitrum* rudius contusa, aciculæ, cuspis cultelli & similia etiam referenda; quæ vero quomodo agant, su-

(*a*) De hac vid. notabilis observ. in *VVielii* obs. Med. 43. quæ gustata brevi duobus mortem intulit.

ſupra iam indicavimus, curatuque ſunt difficillima.

X.

Obſtruentia venena. quae?

Ad OBSTRUENTIA VENENA pertinent *gypſum*, *calx* aliaque corpora calciformia, *creta*, *praeparata ex plumbo*, ut plumbum uſtum, *lithargyrium*, *ceruſſa*, *tutia*, *lapis calaminaris*, *minium* & ſimilia, item *ſaccharum ſaturni* & *vinum lithargyrio impraegnatum* aliaque ex *plumbo* vel ſaturno, aut & ex *ſtanno* producta: quae vaſa & praeſertim lactea, aliaque in ventriculo & inteſtinis abſorbentia, una cum glandulis harum partium vehementer adſtringunt, obturant, eoque ipſo dolores colicos acerbiſſimos, convulſiones, debilitates, paralyſes, animi deliquia, tabem & atrophiam aliaque funeſta mala inducunt: immo & *fumus & pulvis plumbeorum* reſpiratione attracti, aſthma, tabem aliave mala metalla haec tractantibus [a) & figulis (b) concitare ſolent. Ad obſtruentia etiam a nonnullis *meſpila immatura* aliaque ſimilia fortiter adſtringentia referuntur. Deinde corpora illa, *quae vim habent humores noſtros nimis inſpiſſandi*, ut oſcula vaſorum minorum & ſpeciatim lacteorum aliorumve abſorbentium in primis viis tranſire nequeant: ſicut ſunt *fungi quidam venenati*, glutinoſo viſcido ſucco abundantes, *viſcum* arboreum varium, *ſemen pſyllii*, ſanguis tauri & ſimilia varia.

X I.

Narcotica qua.

Inter NARCOTICA & ſtupefactiva ſive *ſoporifera* primarium eſt *opium* adeo decantatum, deinde *hyoſcyamus*, *ſolanum* & inprimis *furioſum*, *Bella donna* dictum, *ſtramonium* ſive *datura*, *cynogloſſum*, *mandragora*, *lolium*, *lupulus*, *cannabis* &c. *ſpiritus*

(*a*) Vid. **Stockuſius** in libello de lithargyrii fumo noxio. (*b*) *Timaus* in caſib. Med. Lib. VII. caſ. X. & *Ramazzini* de morb. artif.

tus vini & omnia *inebriantia*; in quibus ſal alcalicum, acre, idque volatile, cum narcotico ſulphure prædominatur, quod non tam vi rodendi, ut cetera §. VIII. nocet, verum motus in ſanguine auctos, poſtea nimios, atque ope horum primo hilaritatem, vires auctas, ſtimulum in venerem, tandem ſoporem, ſentiendi facultatem ablatam, deliria, ſtuporem, ſpaſmos, convulſiones, fatuitatem, alioſque pravos effectus producere videtur; id quod uberius ex curatione horum malorum probatur: dum *efficaciſſima remedia* contra ſoporem alioſque effectus opii, ſolani, hyoſcyami, lolii & ebrietatis, ſive ea vino ſive ſpiritu vini, ſive etiam cereviſia inducta fuerit, ſunt acida, ut *acetum*, *ſuccus citri*, cremor tartari, aliaque *fere quæcumque*, larga ſatis copia aſſumpta.

X I I.

Animalium venena.

ANIMALIUM VENENA pleraque morſu potiſſimum nocent, ut *ſerpentum*, *viperarum*, *ſcorpionum*, *tarantulæ*, *aranearum*, *apum*, *veſparum*, *canis* aliuſve animalis *rabioſi*, quando ſcilicet ipſorum ſaliva venenata, dentibus adhærens, cum ipſo ſanguine per vulnus morſu factum communicatur, *quod venenum non acidæ*, *ſed alcalicæ* & ſpeciatim *ſaponaceæ* eſſe indolis, varia ſua dent phænomena, & præcipua eorum, *viperæ* nimirum & *animalium rabioſorum*, funeſtiſſima inducunt ſymptomata, immo ſæpe mortem. *Cantharides* vel juſto majori copia intus uſurpatæ, vel extus ad veſicas excitandas largius aut diutius adhibitæ, in quibuſdam *ardore veſicæ*, ut ipſe obſervavi, & quandoque ipſum mictum cruentum *cum gravibus doloribus* inducunt; id quod a ſale alcalico valde acri ac volatili, quo omnia fere ejuſmodi inſecta abundant, deducendum eſt. *Ova barbi piſcis comeſta*, licet piſcis ipſe ſine noxa aſſumatur, vehementia tormina, choleram aliaque veneni vel purgantis fortioris aſſumpti ſymptomata inducere aliquot exemplis oſten-

ostendit TIMÆUS; [a) id quod & *mytulos* comestos nonnullos quandoque facere, præter alios, adhuc nuper peculiari scripto Medicus doctus Brunsvvic evicit. [b) *Hirudines* sive *sanguisugæ* in potu aquæ vel alia ratione forte deglutitæ, œsophago vel etiam ipsi ventriculo se affigere, hasque partes vulnerare, vomitum cruentum & mortem ipsam inducere possunt. (c) Tacemus nunc multa *alia animalia*, quæ a veteribus Græcis aut Romanis *inter venenata sunt relata*; quia apud nos vix vel numquam occurrunt.

XIII.

Diagnosis veneni accepti.

Hominem venenum sumpsisse vel *accepisse*, nisi forte id iam effatu ægri vel adstantium constet, difficillime cognosci potest; quia sæpe sponte in hominibus oriuntur morbi ac symptomata, & cumprimis *cardialgia*, *colica*, *cholera*, &c. qui similibus fere malis stipantur, ac si a sumptis vel datis venenis orirentur. Interea *tamen conjecturis probabilibus aliquem venenum accepisse generatim suspicamur*; quando quis antea sanus, mox a cibo, potu vel medicamento sumpto, sævis obruitur symptomatibus, ac speciatim virium subita prostratione, magna cordis anxietate, respiratione molesta, inusitato ac vehementi ardore in faucibus, animi deliquiis, cordis palpitatione aut tremore, doloribus vehementibus ventriculi atque intestinorum, sæpe nausea & vomitu enormi, cardialgia, faciei colore livido, lingua ac labris, corporis extremis & præsertim unguibus nigricantibus, vertigine, oculis torvis, deliriis, sudore

(a) In casib. Med. Lib. III. Cap. VII. (b) *Behrens* in Epist. de *Affection. a comestis mytulis*, ad celeb. *VVerlhof*. Hanov. 1735. 4. (c) Ejusmodi exemplum videri potest in *Timæi* casib. Med. Lib. VII. cas. XIX. Plura autem legi possunt in notis *Stentzelii* ad *Lindestolpium* de venenis, pag. 134.

re frigido, maxime circa frontem ac tempora & similibus; speciatim *a rodentibus sive causticis*, *cardialgia*, *ardore ventriculi*, *nausea & cholera enormi*, subinde etiam *alvi fluxibus* maxime dolorificis, iisque modo serosis, modo cruentis, cum anxietatibus præcordiorum, respiratione anxia & inquietudine, affliguntur, immo & haud raro intumescentia ventris & similibus. *Veneni alcalici assumpti signa sunt*, ardor linguæ, faucium & ventriculi, calor p. n. sitis vehemens, tormina ventris sævissima, nausea, hypercatharsis, singultus, respiratio anxia, gangræna & sphacelus intestinorum, fœtor, animi deliquia, & a nonnullis, ut cicuta, aconito, hyoscyamo, mentis alienatio, sensuum perversio, & convulsiones. *Veneni obstruentis* indicia & effectus præcipuos §. X. jam proposui. *A venenis narcoticis* sumptis delirant, rident, saltant, varias gesticulationes sæpe faciunt ludicras, in soporem profundum incidunt & convulsionibus etiam sæpe tentantur, &c.

XIV.

Venena vario modo afficiunt.

Pro diversitate vero ægrorum eorumque corporis habitus *non omnes æque vehementer eodem veneno afficiuntur*, sed quidam levius, quidam vehementius; quidam brevi sæpe moriuntur, quidam vehementer ægrotant, alii minus, aut omnino sine omni detrimento, vel saltem uno alterove vomitu evadunt, licet quandoque idem venenum & ex eodem vase assumserint. Hinc patet, *nullum certum aut definitum tempus actionis veneni*, ut quidam existimant & perhibent, *determinari posse*. *Dignoscere autem post mortem utrum quis veneno interfectus*, an ab alia caussa mortuus sit, nisi res venenatæ in ventriculo aut intestinis reperiantur, quoque difficillimum est: *interea tamen in eis, qui causticis interfecti sunt*, ventriculus intus *erosus* & sanguinolentus conspicitur, & sæpe arsenicum aut mercurius sublimatus, forma pulveris albi in

eo

eo reperitur; qui pulvis si prunis injectus allium redolet, arsenici indicium est. Sed cum hæc res ad Medicinam forensem pertineat, hic plura de ea non dicemus.

X V.

Prognosis.

Quod ad *prognosin* attinet, si venenum sumptum esse novimus illiusque natura nobis perspecta est, facilius æger ab eo liberatur ac restituitur, quam si illud ejusque indoles, hoc est vera caussa Medico occulta sit. Quæ *chemicis artibus* producta, quia *cito erodunt ac destruunt ventriculum*, ex vehementissimis sunt, ideoque ventriculus quamprimum vomitu tepida concitato, ab eis liberandus est. *Qui brevi ab assumpto veneno* materiam venenatam vel sponte natura, vel ope tepidæ aliorumve idoneorum remediorum, *evomunt*, facilius evadunt, quam ubi manet. *Venena quæ non mature* & mox in principio, idoneis remediis *expugnantur*, vel insanabilia fiunt, vel morbos lentos ac diuturnos, præcipue languores & paralyses insanabiles, post se relinquunt. *Quorum ventriculus*, quando venenum accipiunt, *cibis*, iisque oleosis vel pinguibus est *infarctus*, minus a venenis rodentibus afficiuntur; *hinc jejuni* plerumque vehementius & celerius inde læduntur, quam bene pasti. Quibus *gangræna & sphacelus* a veneno interne inductus est, pereunt. *Infantes*, *pueri & gravidæ*, præsertim teneriores, plerumque durius a venenis affliguntur robustis; licet quidam contrarium sentiant. Qui a sumpto veneno *sensus & motum amittunt*, aut tremore, convulsionibus & animi deliquiis sæpe tentantur, item quibus externa livent & frigent, cum summa cordis anxietate, respiratione difficili, oculis torvis ac turbidis, periculosissimo sunt in statu. *Mechanica* illa §. IX. & *obstruentia calciformia ac saturnina* difficillime & vix expugnantur, quamvis non cito, sed tarde occidant. *Qui ab animali rabioso*

morsi

morsi sunt, & tristes fieri atque male se habere incipiunt, lucem fugiunt & humida aversantur, in magno versantur periculo; nam *hydrophobia* tunc ut plurimum instat, qua plerumque moriuntur.

XVI.

Curatio generalis.

In *curandis* venenis, quia valde diversa sunt, *semper ad veneni*, si notum est, *naturam* §. V. ad IX. *respiciendum*, & secundum illorum naturam ac diversitatem per contraria curatio est instituenda: ita, si in tempore advocamur, & mox necessaria adhibemus, ut plurimum quam efficacissime ea superabimus. Attamen quia *venena non semper nobis mox patent*, præsertim si ab hominibus sceleratis clam ægris exhibita fuerunt, prudenti symptomatum perscrutatione & conjectura opus est. Quando enim quis ejusmodi insolitis symptomatibus §. X., vel plures simul, qui eodem cibo vel potu sunt usi, iis afficiuntur, quæ in veneni suspicionem Medico incutiunt, veneni ingesti magna est suspicio, adeoque *generalis indicatio hic est*, *venenum*, vel saltem acre irritans illud, quam primum fieri potest, & quidem per viam brevissimam, vomitu scilicet *esse ejiciendum*: *id* quod optime plerumque fit haustu largo *aquæ tepidæ simplicis* sæpius & copiose repetitæ, *irritatis* simul, si vomitus sponte mox non sequatur, *faucibus ope digiti* vel plumæ, quæ aqua a vetustissimis Medicis jam ut magnum antidotum adversus multa venena commendata est: dum partim evacuat, partim acre temperat, & expurgat, præsertim si, ubi dolores circa ventriculum adsunt acuti & rodentes, oleosa & pinguia, ut *olei olivarum* vel lini, vel amygdalar. dulc. vel butyri uncia circiter in quovis haustu & quoties vomitu rejicitur, ei admisceatur; vel & ubi veneni acerrimi suspicio est, *merum oleum* larga copia detur. *Loco aquæ simplicis* etiam *juscula vel decoct. hordei*

aut

aut avenæ, cum pinguibus illis vel ipsum etiam *lac tepidum*, dari apte possunt, donec omne venenum tam per superiora quam inferiora rejectum sit: id quod *clysteres* quoque ex his, vel etiam lacte & oleo parati egregie promovent. Postea quia ægri ut plurimum his valde debilitati sunt, *roborantia* & *cardiaca* quædam, tam ex culina & cella, ac præsertim bona juscula atque usus vini generosi, quam ex pharmacia, ægris danda

XVII.

Curatio si venenum cognitum.

Quod si vero *venenum sumptum sit cognitum*, & utrum e rodentium *acidorum* aut *alcalicorum*, an ex *obstruentium*, *adstringentium* aut *narcoticorum* sit genere, illudque haud adeo diu sit ingestum atque sic adhuc in primis viis hæreat, præmisso vomitu §. XVI. *remedia* ea præcipue sunt adhibenda quæ *simul naturæ veneni sunt adversa*, ut sic eis illud, quod forte omne eiici non potuit, tanto citius & melius enervetur atque tandem omnino per contraria sua corrigatur ac destruatur, ne nocere amplius queat.

XVIII.

Si acidum.

Igitur, ubi *venena ingesta sunt acida*, ut aqua fortis, spiritus, acidi minerales, mercurius sublimatus, præcipitatus, vel alia supra §. VII. nominata, *alcalica* aquæ vel jusculis pinguibus ac sorbitionibus §. XVI. laudatis, sæpeque assumendis, *admiscenda*, *vel etiam his interponenda*, ut oleum tartari per deliquium, vel cineres clavellati, lapides cancrorum, conchæ, corallia præparata, aliaque similia. Speciatim vero *arsenici antidotum* crystallus montana præparata, *mercurii* vero *sublimati*, oleum tart. per deliquium celebratur. CARDANUS quinque, qui hunc sumpserant, *solo lacte* frequenter dato servavit. [a) Vel loco horum

(a) Lib. de venenis III. Cap. 3.

horum *olea pura* largiter ingeri, vel illis etiam interponi possunt. *Si venena hæc etiam ad intestina transierunt*, id quod dolores sævi in eis percepti indicant, *clysmata* temperantia, & cumprimis ex lacte, melle & oleis parata atque sæpe injecta, evacuandi & temperandi scopo prosunt; ubi etiam *potiunculæ laxantes*, ex decocto passularum cum manna paratæ & aliquoties sumptæ, egregie conveniunt, qua de re uberius vid. *VVepfer*. lib. de *cicuta* aquat. Cap. 23. de curatione. Denique ad *doloris vehementiam* mitigandam ceteris remediis subinde aliquid *theriacæ* interponi potest.

XIX.

Si alcalicum.

Sed si venenum *sit alcalicæ rodentis & urentis* naturæ, ut *salia alcalica fortissima*, *helleborus*, [a] *aconitum* sive *napellus*, *œnanthe* succo viroso, *cicuta*, *euphorbium*, *tithymalus*, *colocynthis*, *elaterium*, *scammonium*, *laureola*, & similia, quæ intestina & fauces erodunt & inflammant, atque etiam mentem sæpe turbant; tunc præmisso vomitu, *aquosorum tepidorum largo potui* admiscenda, immo & interponenda sunt *acida copiosa* & speciatim *acetum bonum* quodcunque, quod cum aqua mixtum *oxycratum* constituit, propterea ab antiquis temporibus jam a tam multis scriptoribus, tamquam multorum venenorum potens antidotum, atque hoc non sine ratione, celebratur; deinde & *succi acidi fructuum horæorum* recentium, præsertim *malorum citriorum*, *limonum*, *aurantiorum*, *ribesiorum*, *berberis*, *cerasorum* acidorum, addito pauxillo sacchari vel mellis ad gratiam, vel & herbæ *acetosæ*, *granatorum* aliorumque similium, vel

(a) Præter multos veteres *hellebori antidotum præstantissimum* esse *acetum* vel *succum citri* aut limonum. LISTERUS quoque in comm. ad Aph. Hipp. Sect. V. aph. I. docet: unde patet *ejus virulentiam* in sale alcalico caustico consistere.

etiam *sirupi inde confecti*, ut acetositatis citri, ribesiorum, berberis, granatorum &c. largiter assumpti, donec acre alcalicum omnino sit destructum. Loco horum etiam *oxycratum cum melle*, vel ipsi *spiritus minerales acidi*, quo & *clyssus antimonii* pertinet, immo & ipsa *aqua fortis*, quæ nihil aliud est, quam spiritus nitri, & quæ largius sumpta sanis venena esse supra diximus, his in casibus, si modo satis aqua diluta sunt, fiunt antidota; sic ut mirandum non sit, quod veteres quædam pro venenis habita, ut aqua fortis & spiritus illi acidi, &c. subinde tamquam antidota contra alia venena commendaverint, (a) quod multi olim capere vix potuerunt. Speciatim pro *cicutæ antidoto* DIOSCORIDES laudat *vinum purum* largiter sumptum. In his venenis, quando ægri initio non vomunt, ut vomitus facilitetur, *tartari emetici*, vel *vitrioli veneris* grana ij. vel. iij. cum syrupo & aqua multa tepida dari apte possunt. *Decocti tamarindor.* cum cremore tartari & manna, itemque *seri lactis* potus copiosus, *lactis ebutyrati*, immo & *ipsius lactis*, hic etiam egregie confert, subjunctis in fine roborantibus & theriaca. *Purgantia fortiora* ejusdem fere sunt indolis, eorumque violentia in hypercatharsi vel hyperemesi his quoque cohibenda.

X X.

Si obstruens vel mechanicum.

Si venena sunt ex *obstruentium*, *inspissantium* sive *coagulantium* classe, ut viscum, semen spyllii, saccharum saturni, vinum lithargyrio corruptum, hæc diluenda, dissolvenda & evacuanda, diluentibus aqueis, incidentibus, attenuantibus, sero lactis, aquis medicatis, salibus mediis, immo *si saturnina*, ipsis mercurialibus, quæ plumbum solvere & mobile reddere valent. *Mechanica* & nomi-

(a) Ut *Plinius* Hist. Nat. lib. 27. Cap. 2. Aconitum.

nominatim *adamas* vix medelam admittunt, præsertim cum ipsum datum esse Medicus haud facile comperiet. Cetera autem vix aliter quam inviscantibus, pinguibus, oleosis, pultibus, ex oryza aut fagopyro, jusculis, emulsionibus & lacte corriguntur. *Calx* vel *gypsum* assumptum curantur vomitu aqua tepida cum oleo aut butyro excitato, postea diluentibus & mucilaginosis modo laudatis.

XXI.

Si narcoticum.

Sin ex *narcoticorum* & *soporiferorum* familia, §. XI. ut opium, hyoscyamus, cynoglossum, solana, Bella donna, &c. quæ sensus turbant, atque etiam *alcalico* & *sulphureo narcotico principio* gaudent, præmissis emeticis, §. XIX., & in plethoricis larga venæ sectione, ea quæ excitant, ut extus volatilia & *acetum*, præsertim calidum, naribus sæpe cum spongiola ac pulsibus adhibenda, intus vero sæpe *acetum* quoque calidum aut *succus citri*, *limoniorum*, vel *aurantiorum* & similes §. XIX. cum aqua calida, vel infuso theæ aut coffeæ sæpius danda, quæ valentissima horum, ut & inebriantium, ac sopore inde orto, sunt antidota, præsertim si ægri sæpius moveantur atque vellicentur, donec expergiscant, non neglectis excitandi gratia *clysteribus acribus*: denique in regimine sudorifero aliquandiu continendi.

XXII.

Venena in sanguinem ingressa.

Quando venena jam in sanguinem penetrarunt, id quod potissimum patet, si anxietates & palpitationes cordis adsunt vehementes & sensus plus minusve læsi, tunc *præter largum usum infusorum aquosorum calidorum* ut coffeæ, theæ, scordii, salviæ, contra venena acida, alcalica, theriaca, vel & spiritus salis ammoniaci, modica, sed sæpius repetita dosi exhibenda; *contra venena vero alcalica*, *acetum* simplex vel compositum quoddam, *succus citri*, limoniorum vel aurantiorum, vel mixtura simplex & similia, cum regimine diapho-

retico; quo scopo etiam *balnea*, a *Celso* aliisque jam commendata, egregie prodesse possunt.

X X I I I.

Postea roborandum.

Destructa vero sic tandem veneni violentia, id quod ex symptomatum remissione & sensuum restitutione potissimum patet; omnis generis roborantia, ut bona juscula, emulsiones, gelatinæ, mucilagines hordei, avenæ, fagopyri, oryzæ, ova sorbilia, theriaca, vinum generosum cum blandis aromatibus, aquæ cardiacæ, quies mentis & corporis conducunt.

X X I V.

De Ovis Barbi piscis, Mytulis venenatis, Cantharidibus & Hirudinibus assumptis.

Curatio venenorum ex regno animali.

Ova arbi piscis §. XII. comesta, si choleram cum ventris torminibus faciant, sicut in alia cholera, copioso potu jusculi vel aquæ tepidæ, cum vel sine oleo mixtæ, acrimonia irritans illorum est eluenda atque evacuanda; postea aliquoties theriacæ ℨß. cum vino mero calido, vel cum aqua menthæ aut cinamomi danda, donec symptomata quiescant.

Si qui theriacam metuant, vel ægri eam aversentur, vinum calidum cum pipere vel cinamomo exhibeatur. Ita si quis a *mytulis comestis brevi nauseam & dolores ventriculi sentiat*, proderit mox, sumpto quodam emetico, superingesta aqua vel mulsa tepida, vomitu eos e ventriculo expellere, & postea ventriculum theriaca ac vino mero calido, tamquam omnium fere venenorum antidoto, rursus roborare.

Si vero vomitus vel cholera jam adsit, ut in ovis barbi piscis posuimus, & hæc curanda. Si a *cantharidibus* assumptis mala metuuntur, proderit ipsas pro-

protinus vomitu, aqua tepida concitato, addito simul oxymelle vel simplici vel squillitico, rursus ejicere, vel & decocto tamarindorum cum cremore tartari per alvum expellere. *Sin vero jam ardorem ac dolores in vesica* induxerint, sive intus fuerint assumptæ, sive extus tantum applicatæ, *lac bubulum* largiter haustum præstantissimum eorum est antidotum, dolores brevi leniens, vel si in febribus acutis id contingat, *emulsiones* ex sem. 4. frig. largiter haustæ. Ad *hirudines* sive *sanguisugas* a puero *deglutitas* §. XII. interficiendas, TIMEUS cas. Med. Lib. VII. Cap. XIX. *muriam cum aloe bibendam*, & simul *decoctum anethi cum oxymelle* simplici vomendi scopo præscripsit; quæ profecto satis apta ad hunc usum videntur: interea tamen æger ille ex superveniente epiplepsia mortuus est. *Forte oleum olivar.* aut aliud quoddam hujus naturæ largiter assumptum, cum vermes aliaque insecta interficiat, etiam has certius occideret, & læsiones inde inductas reficeret.

X X V.

De Morsibus Viperarum & Serpentum.

Sequuntur tandem medelæ *illorum animalium, quorum punctura sive morsus* venenatus est, ut sunt *morsus viperarum*, quorumdam *serpentum*, itemque *scorpii*, *canis rabiosi*, aliorumque similium §. XII. *Viperæ* quidem comestæ, aut in medicina adhibitæ, nihil quicquam mali inducunt, sed *morsu tantum nocent*, (*a*) & gravissima brevi mala concitant; atque nisi celeriter succurratur, læsi inde

Eorum quæ morsu inferuntur.

(*a*) Ut jam *Celsus* L. V. Cap. 27. *Lucanus* Lib. IX. Pharsal. *Rhedius* obs. & exper. de *Viperis* aliique docuerunt.

pereunt. *Curatio* hactenus iis, qui communem cum viperis patriam habent; consueta & maxime commendata in ejusmodi læsionibus fuit, ut mox supra vulnus *ligatura* applicetur, deinde vulnusculum scalpello amplietur, *sanguis* probe digitis inde *exprimatur*, vel *cucurbitula* aut ore sani hominis, ad modum *Psyllorum* extrahatur: deinde vel aqua salsa, vel aceto & theriaca, vel & spiritu vini cum theriaca, venenum e vulnere probe eluatur; postea hoc aceto & theriaca repleatur, splenium vel linteum emplastri loco, eodem remedio imbutum, vulneri superimponatur, ut virus hoc tanto melius destruatur, idque primis diebus sæpius renovetur. *Linderus* [*a*] suadet, ut spiritus sulphuris vel vitrioli gutta, ad venenum hoc alcalicum tanto promptius destruendum, ejusmodi vulneribus instilletur. Interne vulnerato *theriaca quoque cum vini generosi* largo haustu, quod teste CELSO fere *omni veneno contrarium est* [*b*] vel etiam *cum aceto*, sæpius detur, injuncto postea *sudore in balneo*, vulnere aperto, qui deinceps promovetur & utiliter conservatur *infuso scordii*, *vel salviæ*, [*c*] addito aceto vel succo citri, sæpius assumpto: id quod per aliquot dies, donec symptomata periculosa præterierunt, repetendum atque continuandum, ac denique vulnus balsamo vulnerario glutinatur.

STENTZELIUS post *morsum viperarum & scorpionum*, facta prius vulneris dilatatione & purgatione, commendat ut demorsus *clyssi antimonii sulphurati* quovis hiborio ad gutt. XXX. vel XL. ex infuso oxylapathi sumat, ita ipsum ab omni incommodo liberum esse permansurum asseverat. [*d*] *Serpentum aliorum morsus* eadem ratione curandos præcipiunt.

XXVI.

(*a*) Lib. de venenis (*b*) Lib. V. Cap. 27. num. 2. (*c*) Forte & *echii* infusum hic proderit, cum nomen a græco ἔχις *vipera*, cum demorsis a vipera auxiliari existimetur. Tournef. Instit. 136.

XXVI.

Sed recentiores, ut de *radice mungos Kæmpferi* nunc nihil dicam, qui hanc pro certo contra hos morbos ſpecifico deſcribit, (*a*) *duo alia remedia*, tamquam certiſſima illorum antidota celebrant; quorum alterum eſt *axungia viperarum*, quam Clar. Anglus *Meadius* certiſſimum ad hos morſus remedium, ſi modo vulneri illinatur, nullaque alia medicina interna opus eſſe aſſeverat. [*b*] Alterum eſt *oleum ſimplex olivarum*, ab Anglis quoque obſervatum & eodem modo uſurpatum, quod & toti membro læſo illini poteſt; ſicut id uberius expoſuit cel. VATERUS, in diſſ. de Antidoto novo *adverſus viperarum morſus*, Vitebergæ 1736. edita. Magnopere optandum, ut experientia ſtupendus hic effectus tam vilis, domeſtici & ubique obvii remedii, uberius confirmetur & extra dubitationem vindicetur.

Novus hos curandi modus.

XXVII.

De Scorpii, Apum, Veſparum & Aranearum puncturis, itemque de morſu Canis rabioſi.

In *Scorpii punctura* veteres contritum ſcorpionem ad venenum ejus extrahendum cum fructu ſupra vulnus impoſuerunt [*c*]; id quod adhuc facere ſolent, ubi hæc animalia & læſiones ſæpe occurrunt. Alii *oleum ſcorpionum* cum oleo olivarum paratum, ut certum antidotum commendant, vulneri inſtillandum eive illinendum, id quod forte *oleum olivarum ſimplex* modo §. XXVI. ad viperæ morſus laudatum, quoque præſtabit, præ-

(*a*) In Amœnit. exoticis, pag. 577. (*b*) Lib. de venenis anglico, p. 29. (*c*) Teſte Celſo Lib. 2. Cap. 27. num. 5.

sertim si certum est, quod serpentum & viperarum morsus tam egregie sanet. Ad *apum*, *vesparum*, *&* *aranearum ictus* curandos, *acetum* vel simplex vel rutaceum, aut *cum theriaca*, *aut bolo* mixtum, imponere egregie prodest. Alii commendant ut locus læsus dissecto *pyro* tantum vel *pomo* bene fricetur.

In morsu canis aliusve animalis rabidi quid sit faciendum supra jam pag. 290. & in institut. chirurg. pag. 160. docuimus. KÆMPFERUS etiam hic *radicem mungos* ut infallibilem prædicat, in brutis æque ac hominibus, multis successibus comprobatam, loco modo §. XXVI. citato.

Qui plura de venenis scire desiderat, *ex veteribus* Dioscoridem, ex *recentioribus* MEADIUM, (*a*) LINDERUM, (*b*) STENTZELIUM [*c*] & Lindestolpium (*d*) evolvere potest.

CAPUT XX.

De Aquarum medicatarum natura & usu.

I.

Natura aquar. medicat. scitu necessaria.

AQuarum medicatarum natura & legitimus iis utendi modus, ob frequentem atque maxime salutarem hodie earum usum, & insignem in Medicina utilitatem, Medico probe debent esse perspecta. Hinc 1. nosse debet, eas esse vel *calidas*, quæ *thermæ* vocantur, ut in Germania *VVisbadenses*, *Emsenses*, *Aquisgranenses*, in Bohemia

(*a*) Lib. De venenis. (*b*) Lib. De Venenis, Lugd. Bat. 1708. 12. (*c*) In *Toxicologia* sive Lib. de Venenis Francof. 1733. 4. (*d*) De Venenis, (qui idem esse videtur ac *Linderus*) cum notis *Stentzelii*, Francof. 1739. 8.

mia *Carolinæ* & *Toeplicenses*, &c. atque in aliis Europæ partibus aliæ; vel *frigidas*. Utræque rursus sunt vel *aquæ tantum purissimæ*, ut ex frigidis *Peterswaldenses* in Silesia aliaque, & ex calidis, *Toeplicenses* in Bohemia, ambæ tamen magnæ in sanitatis negotio utilitatis. Vel *blando sale medio*, aut *alcalico*, & terra alcalica præditæ sunt, ut *Selserenses*, *Antonianæ*, sive Tœnnigstemenses; & *thermæ variæ*; vel simul *martialibus* particulis, & ipso vitriolo martis imprægnatæ sunt, *aquæ martiales* inde vulgo dictæ, *ut Pyrmontanæ*, *Sualbacenses*, *Egranæ*, *VVildungenses*, *Geismarienses*, *Driburgenses*, & multæ aliæ. Ideoque 2. unius cujusque *ingredientia* siva elementa scire debet; ut tanto melius de ipsarum natura & agendi ratione judicare valeat; 3. *quibus in morbis conveniant*, & in quibus minus; 4. *qua ratione recte usurpandæ*, dum a recto usu quamplurimum boni effectus dependent; 5. *quæ diæta* & quodnam regimen in earum usu ægris sint servanda; & 6. *quomodo symptomatibus* in earum usu subinde oriundis sit succurrendum.

II.

Elementa ipsarum.

Scriptores, qui de aquis medicatis olim scripserunt, easque obiter tantum examinarunt, ut *Tabernæmontanus*, *Thurneiserus*, *Hornickius*, *Sebizius*, aliique plures, præter aquam varia eis adscripserunt elementa, quæ revera iis non insunt: ut nimirum *vitriolum vulgare*, ob saporem atramento fere similem, *cuprum*, *sulphur* vulgare, *alumen*, *nitrum*, *ochram*, *succinum*, immo & ipsum *arsenicum*, pessimum scilicet illud venenum in nonnullis inesse, varias ob rationes crediderunt, atque sic multos tam Medicos, quam ægros ab usu earum saluberrimo temere deterruerunt.

Tot autem ac tam diversa elementa, in aquis medicatis saltem Germaniæ, non reperiri, sed eas longe simpliciores esse ac pauca tantum & quidem nul-

nulla prorsus noxia, sed mere salutaria ac tuta eis inesse elementa recentiorum industria detexit, *aquam* scilicet primo *purissimam*, & *terram subtilissimam*, alcalicam, deinde in quibusdam *sal* quoddam *alcalicum* vel *mixtum*, in aliis *martiales* particulas, & *vitriolum martis*, quod spiritum acidum sulphuris aut vitrioli subtilissimum continet, quæ aquæ propterea *martiales* & multis *acidulæ* vocantur, sicut ex infra dicendis uberius patebit. Interea vero sciendum aquas martiales *acidulas* dictas, non ob spiritum acidum, licet revera iis insit, suos effectus, ut multi putarunt, primario præstare, sed potius *ob elementa alcalica*, prout hoc sequentia docebunt experimenta; sic, ut *non satis apte acidulæ dicantur*: præsertim cum experientia doceat, eas in morbis ab acido & viscido oriundis, eisque quam pertinacissimis, optimo cum successu adhiberi, immo plerisque medicamentis aliis palmam præripere. Igitur ad nostram hanc sententiam primo de ita dictis acidulis sive aquis martialibus probandam, (nam de cæteris minus est dubium) *sequentia notanda experimenta*, quæ & simul cæterarum naturam illustrant ac demonstrant.

III.

Experimenta cum his aquis.

Aquæ martiales vel acidulæ *Pyrmontanæ*, *Sualbacenses*, *Egranæ*, *Spadanæ*, *Driburgenses*, *VVildungenses*, *Geismarienses*, aliæque similes, recens ex fonte desumptæ, sensibus externis varia ostendunt. 1. *Visu* percipimus gratam *pelluciditatem*, quæ tamen coloris lactescentis vel cœrulescentis aliquid *cum multis bullulis* continet; quibus a vulgaribus aquis valde distinguuntur; quæ vero, si pulvis gallarum eis iniicitur, colorem ex atro rubentem sive fuscum assumunt.

2. Si *naribus* ope vitri, recens ex fontibus haustæ, mox admoveantur, percipitur in eis *volatilis quidam vapor*, gratam in naribus vellicationem excitans, quem plerique olim pro *spiritu acido*,

do, volatili, alii pro *alcalico*, ſpiritui ſalis ammoniaci analogo, haberi voluerunt: quorum tamen neuter hucuſque per certa experimenta demonſtrari potuit; ſed nil niſi aer vel æther ſubtiliſſimus in iis contentus, qui bullulis illis incluſus, eſſe videtur, præſertim quando aquæ hæ ope vitri puri e fonte ſubito hauriuntur.

3. *Guſtu* percipimus *ſaporem acriuſculum*, gratum tamen, ad acidum vini Rhenani generoſi aliquo modo accedentem, quo a ſimplicibus aquis valde diſtinguuntur. Hinc jam ab antiquiſſimis temporibus fontem Sualbacenſem primarium *fontem vinoſum* incolæ appellarunt, præſertim cum & multos bibentes, quando ejuſmodi aquas bibunt, initio quaſi ebrios & temulentos ſæpe faciant.

IV.

Continuantur.

4. Multis, & præſertim iis, qui his aquis non aſſueti ſunt, *ſapor vitriolicus* videtur, vel ad *atramentum* aliquo modo accedens, id quod etiam non eſt ſine ratione, nam *revera vitriolum martis* ipſis ineſſe, idque ſaluberrimum, ſubſecutura experimenta oſtendent.

5. In aliis ſupra N. 1. nominatis aquis ſalutaribus, *quæ martem haud continent*, hic *vitriolicus* aut *vinoſus* ſapor non percipitur, ſed plus minus ve *ſalſus*, prout, magis vel minus ſalibus alcalicis aut mediis abundant, quemadmodum *id aquæ Selſerenſes*, atque plerarumque thermarum manifeſte docent.

6. Si *chemice examinantur* & *martialium aquarum* ſufficiens copia cucurbitæ immittitur cum alembico, ſuppoſito leni igne, prius aſcendit vapor, qui in guttas collectus, aqua eſt pellucida, ſimplex, ſine ſapore aut odore notabili, niſi levi empyreumatico, quæ in vaſe recipiente colligitur. Superficiei hujus aquæ & alembico ſe affigit interne *pellicula ſubpinguis*, varii & ad iridem accedentis coloris; *nullus vero ſpiritus*, neque acidus,

cidus, neque alcalicus, ullo modo sic percipi aut colligi potest.

7. Si destillando pergimus, nil aliud nisi aqua, ut antea, simplex semper transcendit, sed remanet *in fundo tandem cucurbitæ materia terrea, flavescens, & albicans, exigua copia*, in quibusdam tamen majori, in aliis minori, (*a*) saporis & odoris fere expers, quia maxima ex parte *est terra subtilissima* alcalica, ex *qua nullum alumen, nitrum, sulphur, succinum, ochra* aut vitriolum cupri, vel cuprum vel plumbum, vel aliud metallum, *multo minus arsenicum*, aut simile quid venenati aut noxii extrahi potest; verum accuratiori examine constat, in terra illa hærere sal aliquod amaricans, medium, ut, Anglicanum, Ebsonense, vel mirabile Glauberi, in quibusdam rursus majori, in aliis minori copia, [*b*] & simul, quod caput rei est, *martiales* quoque *particulas*, quæ verus crocus martis naturalis sunt, atque fusione igne follium in verum martem, quem magnes trahit, redigi potest, *nullum vero sal aut metallum vel minerale aliud*. In cæteris vero aquis medicatis, *quæ non vitriolicum* aut ferreum, *sed tantum acriusculum*, sive *salinum continent saporem*, ut Selserenses, & thermæ præcipuæ, præsertim Emsenses Carolinæ, & præterea *aquæ amaræ Bohemicæ Seidlicenses*, præter terram alcalicam, *nil nisi sal quoddam continetur medium amarum*, ad Glauberianum maxime accedens; aliæ vero, ut thermæ *VVisbadenses*, sal quoque medium, sed magis *ad vul-*

(*a*) Ex libra una aquæ Egranæ gr. XXXII. Selterensis gr. XXX. Pyrmontanæ gr. XXII. Sualbacensis & Spadanæ gr. X. Confer. *VVagener* de aquis Geismar. p. 64. (*b*) In Pyrmontanis in libra j. salis medii gr. vij. ad x. continentur; in Egranis & Selterensibus grana plura; in Sualbacensibus & Spadanis, pauciora.

vulgare ſive culinare accedens, continent; Tœpliceníes autem non niſi ex aqua ſimplici pura, ac levi conſtant, quamvis calide e terra propullulent.

8. Simulac *aquæ martiales igne multum incaleſcunt*, brevi perdunt illum gratum odorem & ſaporem, N. III. neque a gallarum pulvere amplius tinguntur: immo ipſe vapor exhalans nullum præbet vel odorem vel ſaporem.

V.

Alcali in eis probatur.

Si materia remanens ulterius examinatur, *naturam ſuam alcalinam* ſequentibus *experimentis manifeſtat*. Nimirum quando ei ſpiritus acidus, ut ſpiritus vitrioli, affunditur, effervеſcit, & ſpiritus acidus ſaporem ſuum acidum mutat: unde noſcimus terream hanc materiam eſſe acido contrariam, ſive acidum deſtruentem, hoc eſt, alcalicam, ut a Medicis & Chemicis vocari ſolet, a *qua virtute* & ab aqua magni ac fere *præcipui ſalutarium fontium effectus* merito *deducendi*.

V I.

Mars oſtenditur.

Ut autem præterea adhuc ſpecialius ſciatur *cujuſnam naturæ ſit hæc terrea materia*, ſi ſufficiente copia collecta & crucibulo indita in ignem fabrorum ferreorum ſatis diu, donec fundatur, immittatur, ſenſim per fuſionem, ſine alia re addita, mutatur in nigricantem ſive cineream maſſam, quæ in pulverem redacta *a magnete attrahitur*, *ſicut limatura martis*, & *ſaporem* ſimul *habet ferreum* atque ſubadſtringentem: unde conſtat, *revera martiales particulas quam ſubtiliſſimas*, hoc eſt, martem, *non cuprum*, *plumbum*, aut aliud metallum noxium his aquis ineſſe.

V I I.

Alcali uberius demonſtratur.

Præterea, *quod virtus harum aquarum non acida, ſed alcalica ſit*, *uberius docet*, ſi hæ aquæ cum ſirupo bono violarum miſcentur. Nam ſi acidulæ recentes, vel ſaltem nondum corruptæ, [id quod & de reliquis aquis medicatis valet] ei affunduntur,

tur, mox ejus *color cœruleus mutatur in viridem*; ſicut ab aliis alcalicis. Deinde *ſi roſæ, aut violæ, aut flores cyani* in hac *aqua coquantur*, colorem viridem acquirunt, qualem adipiſcuntur ab affuſo oleo tartari per deliquium tamquam principe alcalicorum. Porro *cum affuſo ſpiritu acido & etiam* cum vino rhenano *efferveſcunt*, ut alia alcaliaa, & *lac ab iis affuſis non coagulatur*; ſed potius iis affuſis diutius a coagulatione præſervatur. Ex his & pluribus aliis ejuſmodi experimentis ſatis probatum eſſe exiſtimo, naturam & virtutem harum aquarum eſſe alcalicam, id eſt, acido contrariam, diluentem, reſolventem, martialem ac roborantem, aperientem & diureticam, contentaque earum non adeo multa ut veteres putarunt, ſed pauca eaque valde eſſe ſimplicia, eaſque nihil de metallo noxio, multo minus venenati, neque cætera illa ſalia, ſulphura aut mineralia continere quæ vulgo ipſis olim attribuerunt.

VIII.

In martialibus ineſt vitriolum martis.

In martialibus tamen fontibus etiam *aliquid vitriolici* ineſſe docet ſapor vitriolicus, atramentoſus, & color nigricans, ſi gallarum pulveri affunduntur: *quod vero non eſt vitriolum vulgare aut cupri* ſive veneris, quod ventriculo & ſanitati valde eſt adverſum; ſed *vitriolum martis blandum*, ex martialibus ab acido ſulphuris vel vitrioli ſub terra ſolutis particulis conſtans, idque in modica copia, a quo varii ſalutares harum aquarum, de quibus infra, dependent effectus. *Probatur* vero, *ſpiritum ejuſmodi acidum his aquis ineſſe*, ex eo, quod, ſi ſal ex iis paratum ſufficienti copia colligatur, & cucurbita igne arenæ deſtilletur, ſpiritus acidus, ſpiritui ſulphuris vel vitrioli ſimillimus inde obtinetur, qui ſenſim præſertim in calore martem relinquit, alcalicas & terreas harum aquarum particulas ingreditur, atque cum eis ſal illud medium, amarum, quod in iis deprehenditur, conſti-

stituit, facitque sic, ut vitriolum nullum, [quod quidam male per calorem volatile fieri & avolare crediderunt, quasi ferrum volare possit] inde educi queat, licet revera iis infuerit. Atque huic sapor acriusculus, vitriolicus in recentibus & color nigricans, si cum gallis miscetur, immo tota mixtura, crasis, vis purgans, mixturæ conservatio, aliaque debentur phænomena & effectus, quos multi comprehendere & explicare non potuerunt: (*a*) atque propterea tam spiritum hunc acidum quam vitriolum martis in eis vel prorsus negarunt, vel tam volatilia ea statuerunt, ut a levissimo calore ea avolare crediderint, [*b*] quæ tamen minime volatilia existunt, sed fixa & solum transmutantur, eadem scilicet prorsus ratione, ut, quando in præparatione *tartari vitriolati Takeniani* solutio vitrioli vulgaris & salis tartari, vel cinerum clavellatorum commiscentur, spiritus acidus, quem vitriolum veneris continebat, venerem relinquit, & salia hæc alcalica ingreditur, ita ut vitriolum postea, quod revera paullo ante adfuit, non amplius reperiri & ostendi queat, licet non avolaverit.

I X.

In quibus morbis prosint.

Cognitis sic veris aquarum salutarium principiis, & ratione & experientia concludere possumus, eas generatim ad humores crassos, viscidos, tenaces, pituitosos, salsos quoscunque & cumprimis acidos, corrigendos, temperandos, fluxiles reddendos, atque ad obstructiones reserandas valere. Hinc *in morbis, qui a sanguine spisso*

(*a*) Conf. *Seipp* de Aquis Pyrmont. *VVagner.* de Aquis Geismariensibus, & Diss. nostra *de Aquis pyrmontanis.* 1732. edita. (*b*) Us Fr. Hoffmannus in dissert. de Aquis medicatis, & *Boerhavius*, Elem. Chem. Tom. II. Proc. 162. magni hi Medici & Chemici existimarunt.

spisso & viscido, quorum quamplurimi sunt, vel ab acido, *vel ab obstructionibus viscerum* oriuntur, egregie prosunt, & inprimis etiam propterea conducunt, quia vi sua evacuante, diuretica & purgante noxios simul & supervacuos humores ex corpore, vel per alvum vel per urinam, blande ac sine omni, si modice & recte usurpantur, virium prostratione expellunt. Ita in universum *etiam iis sunt valde salutares*, *qui ob vitam sedentariam* multas in corpore & præsertim primis viis cruditates sive vitiosos humores ac flatus accumulant, omnibusque illis, *qui nimio vini aliorumque spirituosorum potuum abusu*, sanguinem nimis æstuantem reddiderunt, vel aliam ob caussam de sanguine nimis fervido conqueruntur: nam his egregium refrigerium præbent.

X.

Speciatim capitis.

Speciatim vero egregie conducunt variis *in capitis affectibus*, inprimis *qui per consensum ventriculi* oriuntur; ut in vertigine stomachica & hypochondriaca, cephalalgia, morbis soporosis, comate, caro, apoplexiæ metu, melancholia, mania, epilepsia, memoriæ debilitate, catarrhis oculorum, visus debilitate, tinnitu aurium & auditu difficili, aliisque morbis capitis, qui a viscidis, pituitosis & acidis humoribus oriuntur.

X I.

2. In variis *pectoris affectibus*, a similibus caussis oriundis: ut in dyspnœa, asthmate, tussi, immo & in ipsa hæmoptysi, ubi nondum adest pulmonis exulceratio notabilis, ac deinique in cordis palpitatione.

In pectoris & infimi ventris.

3. In *affectibus infimi ventris*, ut in soda seu ardore ventriculi, in cardialgia, vomitu frequenti, diarrhœa, ventriculi debilitate, nausea, appetitu prostrato, pica, lumbricis, malo hypochondriaco, & præcipue in principio obstructionis hepatis aut lienis, vel saltem nondum inveterata;

terata; in ſcorbuto & cachexia nondum nimis inveterata, nimia obeſitate, ictero; ſic & in ſabulo renum & parvis calculis, in doloribus lumborum ſcorbuticis, in ardore urinæ, ſive ſtranguria, ac denique in colica, e pituita acida, bilioſis humoribus, aut flatibus oriunda. In variis præterea *uteri affectibus*, paſſione hyſterica, & uteri ſuffocatione, in chloroſi, ſterilitate, menſibus obſtructis vel nimis fluentibus; in hæmorrhoidibus obſtructis aut nimium fluentibus. Præterea *nec gravidis nocet*, ſed potius eis multis in morbis egregie tam præſervandi quam curandi ſcopo conducunt, ſi modo paullo parciori copia & circumſpecte bibantur.

XII.

In artuum morbis & febribus.

4. In *artuum morbis*, ut in *arthritide* tam ſimplici quam vaga ſcorbutica; in *podagra* non confirmata, in doloribus artuum quibuſcumque, in *paralyticis affectibus*, in impuritatibus ſanguinis & cutis, ut *ſcabie*, *pruritu cutis*, gutta roſacea, herpete, ſerpigine, *ulceribus pedum*, *œdematibus*, tumoribus & variis in doloribus iſchiadicis & rheumaticis.

5. Tandem in omnibus *febribus intermittentibus* egregie proſunt, quas continuato uſu, ſi modica ſimul ſervatur diæta, perfectiſſime plerumque tollunt & ſanant.

XIII.

Ætatis conſideratio.

Ratione ætatis hominibus *mediæ ætatis omnium quidem optime conveniunt*, nimirum ab anno 18 circiter uſque ad 60. *Juniores* vero, præſertim ii, qui ſunt infra annum decimum, ob teneriorem viſcerum compagem, eas, præſertim martiales, minus commode ferunt, ſic & *ſenioribus*, qui ultra ſexageſimum annum, rarius ſatis proficuæ ſunt, niſi forte ſint robuſtiores, & eis ceteroquin jam aſſueti. Interea tamen caſus & præſertim *hectici*, ubi etiam *pueri juniores* eis, maxime Selſerenſibus, aut Emſenſibus aliiſve ſimilibus & cumprimis cum lacte remixtis, optimo cum

successu sæpe usi sunt & adhuc uti possunt, verum copia longe minore quam adulti.

X I V.

Ubi minus prosunt.

Verum *raro proficiunt in ulceribus inveteratis pulmonum*, ut phthisi, aliisque symptomatibus, ab ulcere tali pendentibus, *cumprimis martiales fortiores*; attamen si ulcera nondum sint inveterata, & calidæ atque cum lacte temperatæ bibantur, tam *Selserenses* quam martiales, egregie sæpe *prosunt*. Sic & *in ulcere renum* aut *vesicæ*, moderate & calide adhibitæ, valde conducunt, atque inprimis hic ab HEERIO & Fr. HOFFMANNO, experientia edoctis, *Spadanæ* potissimum laudantur, si diu usurpantur.

In *hæmoptysi*, præsertim si ab exulceratione pulmonis oritur, aquæ medicatæ & sigillatim martiales, *frigidæ ut plurimum nocent*; *calidæ* vero, ut thermæ blandiores, v. gr. Emsenses, & aquæ Selseranæ, cum vel sine lacte, tepide haustæ multum *proficiunt*.

Abstinendum etiam a martialibus in dysenteria, in calculo renum & vesica majore, itemque in hydrope confirmato. *Selserenses* vero in dysenteria proficuæ sunt. In *œdemate* vero pedum & leucophlegmatia sive *hydrope leviori* & martiales & thermæ, sæpe egregie prosunt. In *affectibus venereis & gonorrhœa*, morbum quidem non sanant: attamen corpus ad faciliorem sanationem disponunt, ideo cum fructu hic etiam præparationis causa adhiberi possunt. In *gonorrhœa* vero *benigna* a laxitate partium proveniente, post multa incassum sæpe tentata, vi sua roborandi multum præstare solent.

X V.

Modus eis utendi.

Omnibus, qui aquis medicatis legitime uti volunt, & *plethorici sunt*, suadendum, ut aliquot dies *ante usum* earum, *sanguinem mittant*; ita enim aquæ hæ tanto facilius vasa intrare & postea reliquum sanguinem

guinem melius corrigere possunt, praecaveturque ne vasa ab aquis nimis distenta, nimio sanguine jam quasi infarcta, postea morbum aliquem producant, & deinde, ut mox dicetur, *idoneo purgante* utantur.

Si vero non sunt plethorici, venae sectione non est opus; attamen sicuti illis, quibus sanguis prius fuit missus, ad *cruditates* in primis viis *evacuandas*, quae effectum aquarum impedire possunt, maxime ubi vita sedentaria vel prava diaeta praegressa est, *idoneum purgans est praemittendum*, v. gr. ex pilulis nostris polychrestis, vel tartareis, Quercetani, Schroederi, aut Bontii, vel balsamicis gr. XIII. vel XV. ad XX. cum regimine. Vel *ex salinis*, tartarus vitriolatus, tartarus solubilis, aut cremor tartari ʒj. ʒjß. ad ʒij. cum aqua, vel cum ipsis aquis medicatis assumpta; quibus salibus, si aegri sint robustiores, grana aliquot pulveris jalappae addi possunt, vel quod hodie usitatius, *salia amara cathartica*, ut Anglicanum, Seidlicense, vel mirabile Glauberi, ab ℥ß. ad ℥j. exhibendum.

Si potiuncula desideretur, purgans Sydenhamii vel Managettae, aut nostra sequens apta erit.

℞. tamarindor. ℥ß.
fol. senn. el. ʒiij.
crem tartar. ʒß. ad ʒj.

ebull. per momentum in s. q. aquae simplicis.
Colatur. ℥iij. adde
mann. calabr. ℥j M.

Detur mane una vice cum regimine, vel

℞. fol. senn. el. ʒiij.
rhabarb. ʒj.
passul. min. ℥ß.
sem. anisi ℈j.
tartar. vitriolati ʒß.

infunde in s. q. aquae simplicis tepidae, stent per noctem in loco calido, mane leviter ebulliant, colaturae ℞. ℥iij. add. sirup. de cichor. cum rhabarb. ℥j aquam cinamom. ʒii. M.

Fugienda hic ſunt omnia *draſtica purgantia*, inprimis reſinoſa, ſcammoniata, helleborata, &c.

Si *indicationes ad vomitum* adſint, ut dolor & gravitas ventriculi, amarities oris, naſuea, conatus vomendi, aut qui alias facile vomunt, illis etiam aliquot diebus ante uſum harum aquarum *lene emeticum* egregio cum ſucceſſu datur: ut tartar. emet. gr. ij. vel rad. hypecacoannæ ℈i. aut gr. XXV., vel etiam aq. benedict. Rul. ℥j.ß aut ℥ij.

XVI.

Tempus. *Tempus anni*, quo aquæ medicatæ optimo cum ſucceſſu bibuntur, ſunt Junius, Julius & Auguſtus; verum ſi neceſſitas urgeat, jam menſe Majo, vel etiam Septembri adhuc, inprimis tempeſtate calidiori, commode uſurpari queunt, immo in certis caſibus etiam hyeme & autumno iis uti poſſumus.

Tempus diei aptiſſimum eſt matutinum, hora nempe ſeptima, immo ſi tempus favet ſexta, ut hac ratione aqua operationem ſuam ante prandium commode abſolvere poſſit. Non autem probamus morem illorum, *qui hora quinta vel quarta jam ad fontes currunt*, ob aerem plerumque tunc adhuc nimis frigidum, nebuloſum, tranſpirationi adverſum, tuſſes alioſque pectoris & capitis morbos facile inducentem, ut & ob ſomnum non ſufficientem, & præmature abruptum.

Nonnulli etiam a meridie hora quarta aut quinta, eodem modo, ut matutino tempore *has aquas bibere olim conſueverant*; verum hic mox apud nos hodie exolevit: nam corpus inde nimis defatigatur, & ſic incommoda potius quam commoda corpori infert, inprimis vero, qui debilem habent ventriculum, a potu harum aquarum pomeridiano abſtineant: in aliis vero, *ſi ſitis urgeret*, hauſtulus unus vel alter aquæ, pauxillo vini temperatæ, ſine noxa aſſumi poteſt, vel etiam, ut hodie moris eſt, *hauſtulus Coffeæ*.

XVII.

XVII.

Ratio bibendi.

Modus vero *quo aquæ medicatæ atque acidulæ optime bibuntur* ex mea ſententia ſequens eſt. Sumitur ſcilicet vitrum hujus circiter capacitatis, ut duo vel tria libram unam continere queant & primo die libram una, vel ℔jß, ſecundo duas, tertio die tres vel quatuor aſſumant, neque facile plus bibendum, niſi homines ſint valde robuſti; quia multi nimia copia ſibi nocuerunt; & tali menſura, quam commode ferunt, continuatur per 12. 14. vel 18. dies, immo per tres hebdomadas vel diutius, pro diverſitate morborum & ægrorum, atque ſic tandem ſenſim rurſus deſcendi ſolet, ſicut antea inceptum eſt, ut ſcilicet circa finem libras duas bibant, & denique una libra finem imponant.

XVIII.

Effectus harum aquarum.

Aquæ hæ in *nonnullis per urinam*, in nonnullis *per alvum*, in pleriſque per utramque viam operantur. Utraque operatio conſulta, ſalutaris & bona eſt, nec turbanda: non enim ſemper opus eſt, ut multum, ſicut plerique credunt, per alvum quotidie purgentur; ſed ſufficere poteſt, ſi modo alvus quotidie reſpondeat, aut ſolum bis vel ter exoneretur. In eis tamen, *ubi prorſus alvum non movet*, aut obſtructiones incidunt, unde incommoda metuenda, conducit, ut ſubinde ſalis cujuſdam cathartici ℥ß. mane in primo hauſtu ſimul utantur.

XIX.

Qua ratione bibendum.

Inter bibendum obſervandum, *ne aquæ confertim nimis*, nec *uno quaſi impetu ingerantur*, ne ventriculus iis obruatur ac lædatur: ſed poſtquam unum vitrum evacuarunt, per X. vel XII. horæ minuta, vel quartam quaſi horæ partem deambulandum eſt; tunc iterum unum aquæ vitrum aſſumendum, & ſic alternatim bibendum & deambulandum, donec integra portio intra ſpatium

circiter unius & dimidiæ, vel duarum horarum assumpta sit. Postea corpus leni ambulatione continuo exercendum usque ad tempus prandii. Si *interea alvus vel urina urget* non sunt cohibendæ, sed mox & mature exonerandæ, ne incommoda inde oriantur, & effectus aquæ impediatur.

X X.

Quando calide bibenda.

Qui *ventriculum habent nimis frigidum aut debilem*, & tempus simul est frigidum aut pluviosum, vel qui morbis pectoris laborant, aut aliam ob caussam frigidum potum perferre nequeunt, illi aquas medicatas in aqua calida leniter calefieri curent; nunquam vero nimium calefiant, quia alias naturalem odorem, saporem & vires facile amittunt, vel hæ saltem qualitates bonæ minuuntur.

X X I.

Quantitas aquæ.

Qui *tenerioris sunt constitutionis*, illis minor aquæ copia sufficit; simulac enim sentiunt, novem v. gr. vitra satis purgare, vel per urinam bene transire, non adscendant ad majorem copiam; quoniam hæc quantitas effectum sufficientem præstabit, & major copia læderet. In genere moderata operatio a parciori copia aquæ, si modo diutius continuatur, v. gr. tres hebdomadas, aut pro morborum varietate diutius, est efficacissima.

X X I I.

Ubi hæc aqua optima.

Tandem & notandum, *aquarum vires plerumque multo esse valentiores, si ex ipsis fontibus bibantur*, quam si ad alia loca transferantur: quia in multis naturalis compositio elementorum intra aliquot hebdomadas solvitur, saporque & virtutes pereunt, vel saltem valde imminuuntur. In Pyrmontanis tamen & Selteranis diutius plerumque durare solent, quam in plerisque aliis.

X X I I I.

Cautela quædam.

Motus in prodeambulando *nunquam sit nimis vehemens*, ne inde oriatur sudor; *sudores* enim contrarii sunt operationi per urinam & alvum, atque pro-

propterea facile varia incommoda inducunt. Inter bibendum *si flatus percipiuntur, aut ventriculus debilis* sit, aut forte doleat, subinde cortices aurantiorum vel sem. fœnic. carvi & anisi, saccharo obducta, comedi possunt.

XXIV.

Diæta.

Ut ab aquarum medicatarum usu optatus obtineatur successus, *sollicita victus ratio* est necessaria, & quidem prandium hora XII. Cœna vero hora septima instituatur, & prandio sit parcior.

Numquam autem ventriculus nimis cibo aut potu est replendus; sed parce & edendum & bibendum, atque semper cum aliquo appetitu surgendum.

XXV.

Cibi inepti.

In *universum ex cibis noxii* sunt omnia tenacia, exsiccata, fumo indurata, sale condita, pinguia, carnes vetustorum animalium, carnes suillæ, viscera animalium, anseres, anates, pisces limosi, saliti vel exsiccati: ut anguillæ, carpiones, aselli, haleces veteres, omnes fructus horæi, brassicæ, pisa, fabæ & lentes exsiccatæ, fungi, lacticinia, frigida, aut nimis crassa & coagulata, farinacea, pultes, acetaria, cucumeres, melones, ova dura, caseus, &c.

XXVI.

Cibi liciti.

E contrario *cibi liciti sunt* omnes, qui facilis digestionis, ut carnes juniores, bubulæ, agninæ, vitulinæ, pulli, galli, capones, columbæ juniores, feræ juniores, omnis generis aves sylvestres; ex piscibus omnes teneriores, ut truttæ, juniores lucii, omnis generis bona juscula, tum ex animalibus, tum vegetabilibus parata, ut ex hordeo, avena; præterea cerasa & poma cocta, spinachia, asparagi, fabæ, phaseoli & pisa recentia. *Panis* sit bene coctus, & non nimis vetustus.

XXVII.

Potus qualis.

Pro potu ordinario in pastu optime inservit vinum quoddam bonæ notæ, blandum, neque acidum, neque nimis forte, & quidem, si ob sitim id fieri possit, in prandio sine admixta aqua, ne ventriculus inde labefactetur; attamen in copia non excedendum, sed solum pro siti sedanda, ad ℔ß. vel ad summum, robustioribus ℔j. ad ℔iß. concedi potest. Quibus vero solum vinum sitim non compescit, ii parum aquæ, præsertim in cœna, admiscere possunt.

In regionibus, *ubi vinum non habetur*, vel ægri nimis pauperes sunt, ut solvere vinum nequeant, cerevisia bene cocta loco vini uti possunt.

XXVIII.

De motu & somno.

De *motu corporis* jam supra N. XXIII. dictum, quod frequens, sed lenis esse debeat: nocet enim nimius cursus aut saltatio vehementior præsertim calidioribus, aut tempestate nimis calida. Interea tamen *frigidis ac pituitosis*, paullo *fortior motus*, præsertim circa finem curationis, ad initium scilicet sudoris, me judice, concedi potest; temperamentis vero calidis minus. Magis autem *a nimia vita sedentaria sibi caveant*, inprimis mox post aquas assumptas, aut post pastum, ubi multi nimis cito lusibus sedentariis indulgent: inde vero matutino tempore aquæ non transeunt, sed remanent in corpore, aut post pastum cibus non bene digeritur, unde necessario *flatus*, *colici & ventriculi dolores*, *diarrhœæ*, *vomitus*, aliaque mala oriuntur. Ita etiam *post pastum somno se tradere noxium* deprehenditur, dum capitis gravitatem aliaque mala producere solet.

XXIX.

Interea tamen nonnullis in casibus *aquæ salutares etiam in lecto bibi possunt*, præsertim si necessitas id exigat, ut in arthriticis, paralyticis, hecticis morbis, mensibus nimiis, aliisque debilitatibus

bus laborantibus, &c. Immo *Slarius*, *Anglus Medicus*, etiam ſanis & vegetis perſuadere vult, ut aquas has in lecto bibant; quod vero multa incommoda ſecum fert, motuſque moderatus huic modo præferendus.

X X X.

Animi affectus.

Animi affectus, curæ nimiæ, ira, terror, triſtitia, maxime cavenda, ſed potius tempus ambulando, gratis ſocietatibus & colloquiis, vel luſibus ambulatoriis terendum. Sic & a venere eo tempore abſtinendum, vel ſaltem rariſſime exerceatur: quoniam jam corpus per multas evacuationes alvi & urinæ aliquo modo debilitatur, adeoque ſic nimis debilitaretur.

X X X I.

Quid poſt cœnam faciendum.

Poſt cœnam, quæ ſatis mediocris eſſe debet, & in qua vinum aqua temperari poteſt, rurſus per horam circiter leniter deambulandum, antequam ſomno quis ſe tradat, ita blandiori ſomno & quiete fruuntur.

Aer frigidus, *nocturnus*, ac præſertim pluvioſus, quantum fieri poteſt, *vitandus*, ne inſenſilis tranſpiratio impediatur, id quod valde noxium; dum catarrhos omnis generis facile concitare poteſt.

De ſymptomatibus frequentioribus, in uſu aquarum medicatarum occurrentibus.

X X X I I.

Alvi obſtructio.

Primo hic occurrit *alvi obſtructio*: quæ ſi accidat, facile tormina, dolores colicos, vomitus, & alia mala producit. In primis vero illi obnoxii ſunt melancholici, hypochondriaci & hyſtericæ. Contra quod ſymptoma *optime conducunt laxantia*, *inprimis liquida*, ſicuti potiunculam talem ſupra N. XV. dedimus; nempe ex tamarindis, foliis ſennæ & manna, vel ex ſenn. & manna, vel ex ſenna,

rhabarb. cum sirup. de cichor. cum rhabarb. vel decoct laxativ. Managettæ, vel salia media, ut tartarus solubilis, aut tartarus vitriolatus ℨj. ad ℨiß. vel salis amari catharctici ℨij. aut ℨiij. ad ℥ß. mane in primo aquæ haustu sumi potest. *Cavenda vero omnia purgantia fortiora*, præsertim *calidiora & resinosa*; quia facile magna tormina & hypercatharses concitare solent.

XXXIII.

Alvi fluxus.

Ita & *Diarrhœa* interdum ægros affligit; quæ vero adstringentibus non cohibenda, quamdiu æger nullam notabilem inde percipit debilitatem. Sæpe enim pravi humores sic expurgantur cum ægri levamine atque illa sæpe usu harum aquarum continuato, §. XI. curatur. E contrario ubi ægri inde debilitantur, nausea ciborum & magna forte simul tormina adsunt, prudenter sisti debet. Quod fieri potest primo, *si aqua medicata parciori copia & calide bibatur*, atque essentia stomachica ante & post pastum mediocrem assumatur. Sin vero hæc non sufficiunt, aquæ cinamomi, inprimis cydoniatæ, vel aquæ mastichinæ aliquoties in die aliquot cochlearibus utantur. Vesperi, si forte hæc parum sunt, theriacæ aut diascordii ℨj. aut theriac. cœlest. gr. ij. vel iij. exhibeantur, & *in malo vehementiori, ab aquæ potu per diem unum vel alterum prorsus abstineant*, donec melius rursus se habent.

Externe eadem ventriculo applicar. possunt, quæ alias in diarrhœa, e. g. balsam. stomach. vel emplast. ex theriaca, vel tacamahac. &c supra præscripsimus.

XXXIV.

Vomitus.

Vomitus etiam in usu harum aquarum, & speciatim initio nonnullos affligit; hic vero quoque dupli-

plicis est generis, vel *criticus* sive salutaris, vel *symptomaticus*. *Si criticus* est, fit cum ægri levamine, & humores noxii aquis his soluti, egregie sic expelluntur: ubi hoc solum observetur ne nimia copia ventriculum repleant, & subinde præter essentiam stomachicam, ante dictarum aquarum stomachicarum cochlearia aliquot assumant. *Si vero vomitus est symptomaticus*, & ex ventriculo debilitato, vel ob nimiam aquæ vel ciborum aut vini copiam ingestam oritur, parcior potus & victus instituendus, & similia stomachica assumenda. Sed si *oriatur ex nimia bilis aut pituitæ copia*, corpore antea non bene purgato; blanda *purgatio* conducit, & postea omnis generis bona stomachica, confortantia subjungenda. Interdum etiam vomitus in sequiori sexu oboritur *a thorace & vestibus nimis constrictis*: quo in casu *vestium reseratio* optimum est remedium; post hæc essentia vel aliud remedium confortans quoque exhiberi potest. *Si a graviditate*, similia remedia conducunt, servata simul parca diæta, potuque harum aquarum moderatiore, donec præterierint.

XXXV.

Tormina & colica.

Contra tormina & dolores colicos, si cortices aurantiorum, & reliqua supra dicta carminantia non sufficiunt, lene laxans dari potest: nam sæpe a retentis pravis humoribus oriuntur. Deinde essent. cortic. aurantiorum, aut essent. carmin. Wedel. bis aut ter in die, ad gutt. XXX. vel XL. dari debent. *In graviori malo, clysma ex decoct. flol. chamomill.* in lacte factum, cum pauco melle aut saccharo optime simul cunducit, & aqua medicata mane parca copia ac tepide bibatur.

XXXVI.

Menses aut hæmorrhoides nimia.

Si nimius mensium fluxus aut *hæmorrhoidum* in usu aquarum incidat, tunc per unum vel alterum diem a potu earum abstineant, & simul, si dolores adsunt

lumborum aqua vitæ mulierum, vel modo dicta carminantia ordinanda; vel saltem parcius bibant, quam alias, nimirum partem tantum circiter dimidiam. *Si vero hi fluxus sunt moderati*, aquarum usus continuari quidem potest, attamen paulo minori copia, & non nimis frigide.

XXXVII.

Febres intermittentes.

Sæpe etiam *febres intermittentes* in usu harum aquarum vel *recrudescunt*, vel ab umoribus noxiis, in motum quasi citatis, *recens oriuntur*; quæ autem nos non terreant: nam si modo laxantia salina subinde interponantur, potu harum aquarum prudenter continuato, & essentiis amaris, simul usurpatis, optime curantur.

XXXVIII.

Podagra & arthritis.

Idem faciendum, si *dolores podagrici*, *arthritici*, *ischiatici*, *dentium & similes* tunc incidunt: nam continuato usu harum aquarum peccantes humores partim expelluntur, partim corriguntur, ut peculiari curatione vix aut prorsus non indigeant. Medicus igitur *solum lene confortans ordinet*, e. gr. aquam vel essentiam confortantem, itemque pulverem antispasmodicum, & si dolores vehementiores sint, laudani liquidi Sydenhamii parum iis addendum, præsertim circa vesperam.

XXXIX.

De usu thermarum & aquarum amararum.

Aquæ thermarum, ut *Carolinæ*, *VVisbadenses* & *Emsenses*, fere simili ratione bibuntur. Aquæ vero *amaræ Seidlicenses* aut *Seidschuzenses*, parciori longe copia assumuntur: quia ob copiosius sal amarum purgans, quod continent, nimirum ℥ij. in libra una aquæ, majori alvum movendi vi pollent, optima methodus eis utendi est, ut haustulus quatuor circiter unciarum una vice, tepide matutino tempore, hauriatur, & postea partim ad saporem amarum ex ore abstergendum, partim melioris effectus caussa, haustulus Theæ vel Coffeæ superingeratur. Dein post breve temporis

ris intervallum, X. circiter vel XII. minutorum ſimilis hauſtulus aquæ amaræ & deſuper Coffeæ vel Theæ aſſumatur, hocque poſt aliquod temporis ſpatium tertia, & in robuſtioribus quarta vice repetatur, ita poſt brevem moram, alvus leniter & fere ſine omni incommodo aliquoties ſolvetur, multique humores noxii evacuabuntur.

XL.

Aqua amara quibus proſint.

Proſunt hæ aquæ quam maxime in *affectibus ventriculi & inteſtinorum*, ad cruditates & ſordes primarum viarum, itemque ad ſerum ſupervacuum blande evacuandas, & ſpeciatim in cachecticis ac ſeroſis morbis, hydrope recenti, & cumprimis leucophlegmatia, affectibus hypochondriacis, cardialgia, ciborum faſtidio, aſthmate, dyſpnœa, obſtructionibus alvi, flatulentia, cephalalgia, vertigine, morbis ſoporoſis, arthriticis, podagra, chiragra, laſſitudine artuum, febribus intermittentibus, ictero, hæmorrhoidibus obſtructis, & malis inde provenientibus. Ita quoque in menſibus ſuppreſſis, præſertim chloroſi, aliiſque hinc pendentibus mulierum morbis egregie conducunt. *Vermibus* quoque adverſantur, atque non ſolum adultis, ſed pueris etiam hoc in malo cum fructu ad ℥ij. iij. vel plures pro ætatis diverſitate, exhibentur.

XLI.

Etiam præſervandi ſcopo.

Præſervationis gratia Vere & Autumno per tres, quatuor aut ſex dies commode uſurpari poſſunt; *curandi vero fine*, pro morborum diverſitate, paullo diutius, nimirum per IX. XII. vel XV. dies, quovis anni tempore; ubi tamen ſubinde poſt triduum, per diem unum alterumve a potu hujus aquæ abſtinere, & poſtea denuo incipere ægrotantes poſſunt, ne nimis inde debilitentur, atque *diæta* eadem ſervanda, ut in aliarum aquarum medicatarum uſu docuimus.

XLII.

Ubi nocent.

Nocent in viscerum obstructionibus, nimium inveteratis, phthisi, hectica, hominibus debilioribus, valde emaciatis, spasmis, colica & asthmate convulsivo.

Plura de his aquis amaris qui nosse desiderat, evolvat Frid. *Hoffmanni* scriptum An. 1725. de eis editum, aut *Gœrizii* libellum Anno 1727. Ratisbonæ in 8. germanice evulgatum, qui adhuc uberius de eis egit, atque experimentis & observationibus quamplurimis earum utilitatem egregie & solide obfirmavit.

FINIS.

IN-

INDEX RERUM.

A

ABortus. Pag. 365. 366
Achores. 389
Acidorum venenorum curatio. 416
Aconiti veneni curatio. 417
Adamantis venenum mechanicum. 409
ejus curatio. 419
Albugo in cornea. 400
Alcalium venenorum curatio. 417
Alvi fluxus nimius. 258
in febribus acutis. 51. 83
Alvi obstructio sine febre. 230
- - - - - - in febre. 45
- - - - - - gravidarum. 362
Amaurosis. 277. 283
Amblyopia. 278
Angina, quid. 33. 105. 116
ejus curatio. 116
Anginæ in febribus curatio. 54
Animi deliquium. 301
Anorexia. 332
Anxietatis in acutis curatio. 53. 91
Apepsia. 339
Aphonia. 326
Aphthæ. 386
- - - in acutis. 54
Apoplexia. 293
Appetitus prostratus. 332
- - - - - - - post febres. 56
Apum punctura. 423
Aquæ fortis assumptæ curatio. 416.
Aquæ medicatæ. 424
Aranearum punctura. 423
Ardor ventriculi. 340
- - - - - - - in acutis. 49
Arsenici assumpti curatio. 416
Arthritis. 182
Articulorum rigor. 330
Ascarides. 356
Asthma. 227. 228
Atrophia. 395
Auditus difficilis. 160
Aurium dolores. 105. 156
- - - susurrus & tinnitus. 157

B

BArbi piscis venenum. 420
Bellæ donnæ veneni curatio. 410
Bubones pestilentiales. 48
- - - venerei. 210. 212
Bulimus. 336

C

CAchexia. 186

Cal.

Calculus renum. 176
- - - vesicæ. *ibid.*
Cancer. 249
- - - penis. 212
Canis rabiosi morsus. 423
Cantharidum assumptorum curatio. 420
Capitis dolor. 155
- - - - - - - in acutis ut curandus. 52
Cardialgia. 342
Cardialgiæ in acutis curatio. 53
Catalepsis. 290
Cataracta, sive suffusio. 285
Catarrhus infantum. 391
Causus. 33
Cephalalgia. 155
Chiragra. 182
Chlorosis. 192
Cholera. 260
Ciborum fastidium. 332
Cicutæ assumptæ curatio. 417
Cœliaca passio. 261
Colicus dolor, s. colica. 347
Colocynthidis assumpti curatio. 417
Congestiones. 150
Convulsio. 313
Convulsionum in acutis curatio. 55
Cordis palpitatio. 317
Coryza. 255
Crusta lactea. 389
Cynoglossi veneni curatio. 419

D

Daturæ venenum. 410. curatio. 418. 419
Delirii in acutis curatio. 52. 53
Delirium sine febre. 288
Dentitio difficilis. 395
Dentium dolores. 205. 159
Diabetes. 271
Diaphragmatis inflammatio. 106. 118
Diarrhœa. 258
- - - in acutis curatio. 51. 83. 90
- - - infantum. 392
Dolor capitis. 155
- - - colicus. 347
- - - dentium. 105. 159.
Dolores post partum. 373
Dysenteria. 262
- - - febri acutæ superveniens. 52
Dyspepsia. 339
Dyspnœa. 227
Dysuria. 233

E

Elaterii largius assumpti curatio. 417
Empyema. 265
Epilepsia. 305
- - - infantum. 397
Erysipelas. 105
Euphorbii assumpti curatio. 417

Exan-

Exanthematum febrilium curatio. 46. 47

F

FAmes canina.. 336
Fauces inflammatæ. 117
- - - - - - - in acutis. 53.
Favus. 389
Febres in universum. 13
Febris acuta. 29
- - - - - - - stomachica. 74
- - - - - - - puerperarum. 375
- - - biliosa. 34
- - - castrensis. 34
- - - catarrhalis. 34. 48
- - - continua. 29
- - - dysenterica. 35
- - - ephemera. 32
- - - epidemica. 34
- - - erysipelacea. 35
- - - exanthematica. 29. 45. 46. 57. 94
- - - hectica. 35. 95
- - - hungarica. 35. 49
- - - inflammatoria. 35
- - - intermittens. 14
- - - intestinalis acuta. 35. 74
- - - lactaria. 35. 376
- - - lenta. 35. 95
- - - lochialis. 35
- - - maligna, quid. 29. 32. curatio. 38. 46. 47
- - - mesenterica acuta. 35. 74
- - - miliaris, sive purpurata. 33. 70
- - - pestilens, quid. 34
- - - petechialis. 33. 70
- - - phthisica. 35
- - - purpurata. 33. 70
- - - quartana. 15. 28
- - - quotidiana. 15
- - - scarlatina. 34. 72
- - - soporosa intermittens. 28
- - - stomachica acuta. 35. 74
Febris tertiana quid. 15
- - - urticata. 33
- - - vulneraria. 35
Febrilium symptomatum curatio. 45
Flatuum molestiæ. 345. 363
Fluor albus. 221
- - - - - - - venereus. 223
Fluxus in genere. 253
- - - a motu turbati. 273
Fœminarum morbi. 358
Fœtor corporis. 280. 287
- - - narium. *ibid.*
- - - oris. *ibid.*
Fœtus in utero mortuus quando & quomodo ejiciendus. 371
Fungi venenati. 409
Furunculi. 105

Gan-

G

GAngræna & sphacelus. 56. 111
Glandulæ induratæ. 244
Glandis penis ulcera. 212
Glaucoma quid. 278
Gonorrhœa maligna. 209
- - - benigna. 213
Gravidarum noxæ. 360
Gustus læsus. 286
Gutta serena, sive amaurosis. 277. 283.

H

HÆmoptysis. 132
Hæmorrhagiæ. 122
Hæmorrhagiæ acutarum tractatio. 50
Hæmorrhagia narium. 131
- - - - - - - suppressa. 140
- - - - - - - uteri. 365
Hæmorrhoides cœcæ. 180
Hæmorrhoides dolentes. 364
- - - - - - - nimiæ. 135
- - - - - - - suppressæ. 147
Hellebori largius assumpti curatio. 417
Hemeralopia. 279
Hepatis inflammatio. 106 120
- - - obstructio. 171
- - - scirrhus. 172
Hirudinum deglutitorum curatio. 420
Hydrophobia. 290
Hydrops. 194
- - - ex quartana. 28. 197
Hyoscyami veneni curatio. 419
Hypercatharsis. 68. 70
Hyperemesis. 260
Hypochondriacum malum. 166
Hystericum malum. 169

I

ICterus. 199
Iliaca passio. 231
Imagines oculorum. 285
Impotentia virilis. 327
Incontinentia urinæ. 272
- - - - - - - post partum. 378
Incubus. 282. 290
Infantum morbi. 381
Inflammatio in genere. 104
- - - diaphragmatis. 106 119
- - - hepatis. 106. 120
- - - intestinorum. *ibid.*
- - - lienis. *ibid.*
- - - mammarum. 105. 377
- - - præputii. 210
- - - pulmonis. 106. 119
- - - renum. 106. 120
- - - tonsillarum. 105. 117
- - - ventriculi. 106. 120

vesi-

- - - vesicæ. *ibid.*
- - - uteri. *ibid.*
- - - uvulæ. 105. 117
Intertrigo infantum. 388
Ischiaticum malum. 186
Ischuria. 233

L

LActis abundantia. 378
- - - defectus. *ibid.*
Languor virium. 324
Laureolæ veneni curatio. 417
Leucoma oculi. 278
Lienis inflammatio. 106. 120
- - - obstructio. 171
- - - scirrhus. 172
Lienteria. 261
Linguæ paralysis. 326
Lipothymia. 301
Lithargyrii venenum. 418
Lochia nimia. 135
- - - suppressa. 146
Loquelæ læsio. 326
Lues venerea. 209. 214
Lumbrici. 351

M

MAculæ oculorum. 400
- - - in cornea. 286
- - - volantes ante oculos. 285
Malum hypochondriacum 166
- - - hystericum. 169
- - - ischiaticum. 186
Mammarum inflammatio. 377
Mandragoræ venenum. 410
Mania. 288
Marasmus senilis. 324
Mechanica venena quæ. 409
- - - eorum curatio. 418
Melancholia. 289
Memoria debilis. 292
Menses nimii. 135
- - - parcius fluentes. 144
- - - suppressi. 141
Mercurii sublimati sumpti curatio. 416
Mictus cruentus. 135
Morbi infantum. 381
- - - - - - ab alvo obstructa & flatibus retentis. 382
- - - - - - a lacte corrupto. 383
Morbilli quid. 33. curatio 69
Morsus canis rabiosi. 423
- - - viperarum & serpentum. 421
Motus læsiones. 324
Mulierum morbi. 358
Myopia. 286
Mytulorum veneni curatio. 420

Nar-

N

Narcotica venena quæ. 410. eorum curatio. 419
Narium obstructio infantum. 389
Nausea. 335
Nebula in cornea. 400
Nephritis. 106. 120
Noctambulus. 290
Nodi venerei. 220
Nyctalopia. 279

O

Oblivio. 292
Obstructiones generatim. 223
Obstructio alvi sine febri. 230
- - - - - - - in febri. 45. 46
- - - - - - - gravidarum. 362
- - - hepatis. 171
- - - lienis. *ibid.*
- - - narium in infantibus. 389
- - - vasorum. 243
Oculorum inflammatio. 105. 115. 278.
- - - morbi. 283
Oculus lacrymans. 256
Odontalgia. 105. 159
Oedema. 193
- - - post intermittentes. 27
Oenanthes assumpti curatio. 417
Olfactus læsus. 286
Ophthalmia. 105. 113. 278
- - - infantum. 398
Otalgia. 105. 156

P

Palpitatio cordis. 317
Papillæ dolentes. 377
- - - fissæ. *ibid.*
Paralysis. 297
- - - linguæ. 326
Paraphrenitis. 106. 119
Partus difficilis. 368
Passio cœliaca. 261
- - - iliaca. 231
Pavor infantum in somno. 384
Penis ulcera sive cancer. 212. 213
Peripneumonia. 106. 119
Pestis quid. 34
- - - curatio. 47
Phlegmone. 105
Phrenitis. 33. 105. 112
Phthisis. 163
Plethora & ejus morbi. 3
Pleuritis. 33. 105. 119
Podagra. 182
Pollutio nocturna. 272
Præputii inflammatio. 210
- - - tumor & ulcera. 210. 212
Presbytopia. 286
Priapismus. 209. 210. 322

Pulmonis inflammatio. 106. 119
Punctura scorpii, apum, vesparum & aranearum. 423

R

RAbies canina. 290
Raucedo. 257
Renum inflammatio. 106. 120
Respiratio difficilis. 227
- - - - - - - infantum. 391
Rhachitis. 174. 395
Rigor articulorum. 330
Ructus. 345

S

SAturnina venena. 419
Satyriasis. 210. 322
Scabies. 201
- - - retropulsa. 202
Scirrhus. 244
- - - hepatis. 172
- - - lienis. *ibid.*
- - - venereus. 220
Scorbutus. 203
Scorpii punctura. 423
Secundæ relictæ. 372
Sensuum morbi. 277
Serpentum morsus. 421
Singultus. 320
- - - in acutis curatio. 52 89
- - - infantum. 385
Sitis nimia. 338
- - - - - - - in febribus. 25. 26
Solani veneni curatio. 419
Somnia. 282
Sopor. *ibid.*
Soporosæ febris senum curatio. 28
Spasmus. 313
- - - cynicus. 316
- - - maxillæ. 315
Sphacelus. 56. 111
Sputum nimium. 256
Sterilitas mulierum. 359
Sternutatio nimia. 317
Strabismus. 278
Stramonii venenum. 410
curatio. 419
Stupor. 280
- - - artuum. 287
Sudor Anglicanus. 34
- - - nimius. 274
Sudor nimius in acutis. 55
Suffusio sive cataracta. 285
Suppressio hæmorrhagiæ narium. 131
- - - hæmorrhoidum. 364
- - - lochiorum. 146
- - - mensium. 141
- - - urinæ. 233
- - - - - - - in infantibus. 394
Susurrus aurium. 157
Syncope. 301
Synochus simplex. 32
- - - putrida. 33

Ta-

T

Tabes adultorum. 163
- - - infantum. 395
Tenesmus. 357
Testiculorum tumor. 210. 213
Tinnitus aurium. 157
Tithymali veneni curatio. 417
Tophi venerei. 220
Tonsillarum inflammatio. 117
Tremor. 322
Tumor præputii. 210. 211
Tussis convulsiva. 317
- - - acutarum curatio. 53. 54. 69
- - - humida. 257
- - - infantum. 391
Tympanitis. 198

V

Variolæ. 33. 57
Vasorum obstructio. 243
Venena quid. 404
- - - acida & alcalica. 408
- - - animalium. 411
- - - narcotica. 410
Venenorum differentiæ. 405
- - - assumptorum curatio. 415
Venerea lues. 209. 213
Ventriculi ardor. 340
- - - inflammatio. 106. 120
Ventris tensio. 364
Vermes intestinorum. 351
Vertigo. 161
- - - senilis. 324
Vesicæ inflammatio. 106. 120
Vespæ punctura. 423
Vigiliæ nimiæ. 281. 291
- - - - - - - in acutis. 52
- - - - - - - infantum. 384
Viperarum morsus. 421
Virium in acutis reparatio. 55
Visus debilis. 278. 283
- - - læsiones. *ibid.*
Ulcera. 276
- - - venerea. 212. 220
- - - penis venerea. 213
Unguis oculi. 278
Vomica pulmonum. 165
Vomitus cruentus. 134
- - - in acutis curatio. 50
- - - nimius. 260
Urinæ incontinentia. 272
- - - incontinentia post partum. 378
- - - difficultas in infantibus. 363
- - - suppressio in adultis. 234
- - - - - - - in infantibus. 393
Uteri inflammatio. 106. 120
Uvulæ inflammatio. 105. 117

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di revisione, ed approvazione del P. F. Paolo Tommaso Manuelli Inquisitore nel libro intolato: *Laurentii Heisteri compendium Medicinæ Practicæ &c.* non v'esser cosa alcuna contro la santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo licenza a *Simone Occhi Stampatore di Venezia*, che possi esser stampato, osservando gl' ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Data li 25. Ottobre 1747.

(
(*Barbon Morosini Cav. Proc. Rif.*
(*Marco Foscarini Cav. Proc. Rif.*

Registrato in Libro a carte 13. al num. 96.

Girolamo Alberti Seg.